DISSIDENTIS
DESCISCENTIS
RECEPTÆQVE
NEAPOLIS
LIBRI VI.

RAPHAELE DE TVRRI
AVCTORE.

INSVLIS.

ANNO SALVTIS MDCLI.

AD NEAPOLITANAM SEDITIONEM. 1

NVLLVM Reipub. præſentius malum ;
monſtrumue tetrius portento proxi-
mum , humano ſemper ſanguine expian-
dum , SEDITIONE. Quæ dominandi im- 2
potentia , parendique impatientia proles
longè deterior , nunquam ſęuior oritur ,
inq; certiorem rerum perniciem debaccha-
tur ; quàm ſi nullo obſtetricante,erumpat vl-
trò. Hæc vincula humanæ ſocietatis diſrum- 3
pit; ius , faſque omne violat , pietatem calcat ,
pudorem proſtat ; nihil ſanctum , nihil profa-
num habet ; ſed cunctacontrectans, inconcuſ-
ſa proſternit, ſtrata erigit,imaque ſummis mi-
ſcens , riſus lachrymis iungit, crucibus ſceptra;
dumque ſpargit pęnas ſine delectu , prodigit
pręmia ſine iudicio;ludat crudeliùs inter mor-
talium miſerias,dubites, an illudat mortalitati.
Feræ huiuſce beſtiæ plura deteſtanda facinora
inter cęſorum aceruos ſpectauit antiquitas , & 4

ſi vltra humanum ſanguinem quid acrius pũ-
git hominum animos, vel certius inſtruit; vi-
dit Spartam frugalitate nobilem luxu per ſe-
ditiones languеſcere; Athenas libertate fęlices
pluribus laceratas Tirãnis; Romam Regni iu-
ratam hoſtem perlata Regia lege deierantem;
Hieroſolymasq; intus quærere, & facere ho-
ſtes cum foris tot haberet, quot Romanũ con-
5 tinebat Imperium. Plena ſunt hæc, & plera-
que alia, decoris tradita ingenijs documento-
rum; quibus teterrimi monſtri prohibeamus
fœturam; ſin minus fętum abortu auertamus
fallaci ſub ſpecie latentem, vel in ipſo ſaltem ni-
ſu opprimamus; quando inconſultius ſit, orti
vires experiri; miſeriarumque præſentiſſima-
rum pati diritatem.

6 Illa verò Seditio, quę noſtris hiſce tẽporibus
Neapoli ſubitò exarſit, vniuerſaque correpta
Ciuitate opulentiſſimum illud Regnum depa-
ſta eſt; cùm multiplicitate caſuum, tùm noui-
tate, & varietate rerum, quæ ante nos fue-
runt, ſuperat vniuerſas: fęcundiorem conſi-
liorum ſegetem haud dubiè meſſori non indi-
ligenti præbitura eſt, ſi fidus adſit narrator.

Quis prætereat rebus paulò attentior: par-
tiam plebeculæ manum in ſoro olitorio otio- 7
ſam, caſu concitam, fuſtibus tantum, & arun-
dinibus inſtructam, nullo duce, inſtigatore 8
nullo, Maieſtatẽ Imperij in Prorege, viro Prin-
cipe, multis nominibus claro præfulgentem,
firmis arcibus munitam, numeroſo milite tu-
tam, ornatam claſſibus, omnium cultu cœlo
æquatam; contemnere auſam; contemptam
calcare; calcatam propellere ad eas accipiendas
leges, quas & quoties inconſultus populi fu-
ror, & licentiæ auida multitudo iubebat? His
adde Ducem illum aſſumptum, quem nulla 9
corporis, nulla animi commendabat vis, qui
idem nemini ex illa plebeiorũ fęce inertia ce-
debat, procacitate, ebrietate, morum prauita- 10
te, infamia; cui nihilo ſecius ità promptè pare-
bant omnes, vt eius reſponſa tamquam Ora-
culi putarent, reciperentq; & ad eius nutum
mortes patrarent, domos incenderent, prælia
inirent, quietem agerent, ſciſcerent leges. Nec
minus promptè eumdemmet poſtea petitum 11
ad necem deſeruerint, necati caput conto prę-
fixum læti ſpectauerint, auctores necis tam-

quam Tiranni interfectores plausibus exceperint. Sed satis cito capti desiderio interempti, conquisitum, aptatumq; cadauer sumptuosissimo extulerint funere, totaq; affluente Ciuitate inter fęminarum lachrymas, & omnium faustas acclamationes, populi liberatorem, ac libertatis vindicem lamentantes, magnificè vt supremum belli Ductorem tumulauerint, & si vota spectentur inconsultæ multitudinis, inter Diuos retulerint.

12 Nec minori est digna miraculo inter tumultuantes in rebus natura diffitis eodem tenore consensio; scelera auersari dum faciunt, pœnaq; delere, quæ imperant, plures inauditos subitæ neci dare; sed quos omnes nec Minois vrna versatos diu iustius condemnasset: Regiam Gazam perdere, flammis potius habere quam rapere, egestatemque tot millium solari vindicta, quàm copia explere: Regemque
13 Philippum huius nominis quartum factis perduellibus eiuratum, acclamationibus Domiminum profiteri; & sexcenta alia inter se pugnantia, aut pugnare visa ijs, qui more vulgi, rerum causis neglectis, earum euentibus prę-

ter

ter rerum ordinem contingentibus hærent
attoniti. Ego verò operæ pretium me factu- 14
rum reor si totius rei gestæ seriem à pluribus
oculatis testibus fide dignissimis acceptam, po-
steris tradam; dumque Genius me meus ame-
niora ad hæc studia vel cupientem ducit, vel
tergiuersantem trahit, in publicum bonum
vertam.

An verò labores hosce meos probaturus sit 15
Lector, vt maximè cuperem; ita in eruditissi-
mo sæculo desperandum est mihi: Illud anni-
tar vt probet studium, diligentiam, candorem;
quod si fuero assequutus, tunc leuiùs
feram iacturam, inter eruditos non
censeri, cum inter viros bonos lo-
cum teneam. Hoc namque ne-
cessarium omninò est,
illud expedit tan-
tum.

NEAPOLITANARVM RERVM
Status ante Seditionem.

LIBER PRIMVS.

16 NEAPOLIS Campaniæ fęlicis Ciuitas, dominantibus ſemper fida, ad inferum mare, in ſinu Auſtro obuerſo à Græcis condita, verſutias Gentis, fęlicitate ſoli, cęlique in Romanam conſtantiam commutauit: vſque adeò, vt obtinentibus Pu-
17 nicis armis Italiam ferè vniuerſam; ſpectantibusque ad defectionem ſocijs Latini Nominis, Coloniſque; Neapolis, fęderata Ciuitas, argentum factum magni ponderis (ad extrema ſibi ſepoſitum) in ſubſidiũ belli, Romanis detulerit; Annibalique, victoria Cãnenſi tumido, exercitumq; adhuc calentẽ ſanguine tot cæſarum legionum trahenti, portas
18 claudere, muros, ferrumque opponere, prima omnium, non dubitauerit. Nec Capuæ exemplo, victoriam ſequutę, corrupta, quę poſt afflictam rem Romanã rerum caput in Italia erat, iteratò oppugnata à cupidiſſimo portus, inter quẽ, & Aphricã facilis eſſet excurſus; iterũ eadẽ fortu-

ſortuna reſtitit. Nec minorem propoſiti tena- 19
citatem domi retinuit, ſed ſuis legibus, liberta-
teque contenta; Ciuitatem Romanam, Italo-
rum omnium metam votorum, cuiuſq; deſi-
derio acerrimum inter omnia ſociale bellum
exarſit; adeò non concupiuit, vt dum promi-
ſcuè poſt victoriam omnibus in Italia populis
Ciuitas Romana concederetur, teſtetur M.
Tullius in Balbi defenſione; magnam partem
Ciuium Neapolitanorum iuris ſui libertatem,
Ciuitati Romanæ antetuliſſe. Nec conſtantiæ 20
tantæ leue præmium tulit; cũ nec clades, qui-
bus illo bello vaſtata fuit Italia, ipſos afflixerint;
nec Colonijs militaribus, poſt victorias ciuiles
deducendis à Scilla, à Cæſare, ab Antonio, à
Triumuiris, ab Auguſto; deſſignata vnquam
fuerit: in qua (prout in quamplurimis Italiæ
Ciuitatibus ſæpius contigit) nouiſſima cru-
delitatis ederentur exempla, dum pulſi po-
pulariter Ciues auitas ſedes, & parta maiorũ,
alienis cedere cogebantur: quinimò ab iniu-
ria tã atroci, inuiolati adeò, & immunes fue- 21
re Neapolitani; vt Auguſtus, in ipſo dedu-
cendæ Capuam Coloniæ procinctu, captus
de-

deſiderio agri cuiuſdã Neapolitani, fęcundioris meſſe alicis, quam in delicijs habebat; pro eo
22 numerari iuſſerit illis è fiſco ſuo annua vicena millia; vt auctor eſt Plinius.

Sed huiuſce conſtantiæ decora Neapolitanis à genio loci, natalisq; ſoli fęlicitate prouenire longè præſtantiora, quàm quibus celebris erat apud antiquos (veluti magnus certaminis campus inter Liberum Patrẽ, & Ce-
23 rerem) probat continuus per ætates omnes, & quaſi per manus traditus apud poſteros, tenor idem. Occidente namque poſt inconſultã illam diuiſionem Romanorũ Imperio, quod ad occiduam pertinebat Orbis plagã, & Occidentale dicebatur, eoq; pęnitus deleto; obfirmato ſemper animo Neapolitani in fide erga Conſtantinopolitanos Cæſares permanſere. Sed ingruentibus Gothorum armis, & quadam veluti gentium illuuie omnia exundantibus, quibus Roma ipſa rerum caput obſiſtere nequiuit, cedere coacti; dum eamdem fidem ex inſtituto Theodato Gothorum Re-
24 gi ſeruant, à Beliſario vltimo illo Romano grę-corum Duce recepti; quæ coąčti deliquerant,

vo-

volentes prudenteſque emendauerunt: tanta
cõſtantia, vt Neapolis, poſtrema fuerit ex om- 28
nibus Italiæ Ciuitatibus; quæ Imperium illud
venerari deſierit; &, non niſi, anno trigeſimo
à reparatiore humani generis, poſt ſæculum
vndecimum; omnia circumquaque, iam diù
obtinentibus Northmanorum armis, aucto-
ritate Innocentij, huius nominis, ſecundi, Ro-
mani Pontificis; in ditionē Rogerij Calabriæ,
& Apuliȩ Ducis, Comitiſq; Siciliȩ; conceſſerit.
A quo Rogerio, mox, ab eadem *Sancta* ſede, 30
vtriuſq; *Siciliæ* Rege, appellato: illud præci-
puum, claritate nominis, eſt aſſequuta; vt Re-
gno, citra Farum, Neapolitani Regni, incly-
tum nomen indiderit, apud gentes omnes ce-
leberrimum. Quod quidem Regnum à Nor- 31
thmanis cȩptum, à Sueuis auctum, à Gallis or-
natum, firmatum ab Hiſpànis; obtinuit tandē
Carolus Philippi Auſtriaci filius, in quem vnū
iura Regnorum omnium, ne dum quæ pater 32
in ſuperiore, & inferiore Germania, & Gallijs
poſſidebat; ſed opulentiſſima illa etiam Hiſpa-
niarum, tum Bȩtica, tum Tarraconenſia, quæ
à Ferdinando Auo, & Iſabella Auia in eundē,

hæreditario iure, confluxerant. Quibus pro cumulo, non minus ad dignitatem, quàm ad robur, acceſſit Imperium Romano germanicum. Ad quod, fruſtra in contrarium adnitente Franciſco Galliarum Rege, ſummis Electo-
33 rum ſtudijs, aſſentiente etiam Summo Pontifice, cuius lege Reges Neapolitani ab Impera-
34 torio culmine arcebantur, aſſumptus fuit. Quot verò, quæue bella, quo euentu bellauerit Carolus Quintus in Hiſpania, in Gallia, in Germania, in Illirico, in Italia, in Aphrica, &c, penè dixerim, vbique terrarum; quibusue inter proſpera, & aduerſa agitatus rerum viciſſitudinibus; pluribus literarum monumentis mandata ſunt poſteris; Illud iuuat meminiſſe: tot eum Regna, diſſita regionibus; moribus diſcreta; linguis diſſona; ſub Imperio, nedum continuiſſe, ſed additamentis pluribus extendiſſe, in Italia præſertim, in qua Mediolanenſi Ducatu potitus, vſusque firmiſſimo aduerſus Gallos propugnaculo, reliquos, in ea dominãtes, ingentibus beneficijs deuinctos; conciliauit ſibi volentes; nolentes oſtentatione virium
35 continuit in fide. Ciuitatem verò, Regnumq; Nea-

Neapolitanum, dè quo nobis institutus est sermo; (sì illum excipimus belli turbinem, quo conspirantibus cum Francisco Galliæ Rege Italis omnibus, & Angliæ Rege concussum funditus fuit, & ferè absorptum) potentissimè semper obtinuit. Nequè enim, inter ancipitia recensendæ sunt turbæ illę, quas inconsulta Petri Toletani excitauit pertinacia, dum Quęsitores fidei Hispanico more, populo renuente, inducere tentat: cum eas Maiestate Imperij, indicta etiam mulcta ducatorum centum millium, sedare potuerit. Quinimò inter tot, tantasquè bellicas expeditio- 37
nes, quibus cum vniuerso propè terrarum Orbe Carolus bellum gessit, nullum horreũ, nullum nauale, nullum armamentarium, nullum ęrarium affluentius habuit Ciuitate, & Regno Neapolitano: nec vndè, ad instruendas, supplendasquè legiones, militem legeret, robore animi, corporisquè præstantiorem Neapolitana Ciuitate, & Regno. Quę 38
licet ingentia, minimè mira videri poterunt reputanti, Neapolitano Regno contineri, cũ parte Latij, Marsos, Hernicos, Pelignos, Vol-

ſcos, Samnites, Brutios, Lucanos omnès, alioſ-
què: quorum fortiſſimorum populorum
cõmilitio, Romani vniuerſum propè domue-
re Terrarum Orbem: ea verò amplitudine
extendi, vt portionem Regni Neapolitani,
non maximam, Gens in ſui ęſtimatione non
modica, Magnam Græciam appellauerit, vt
40 Plinius obſeruat: eàque vbertate prouenire
terras illas, Campaniæ præſertim, & Apulię;
vt nihil ad humanæ vitæ vſum, nihil ad cultũ,
nihil etiam ad luxum, in regionibus alijs deſi-
deretur, quod in Ciuitate, & Regno Neapo-
41 litano non abundet adeò, vt & alijs quoque
gentibus, magnis ſanè emolumentis, confer-
re non valeat: & vt commodius poſsit, circũ-
quaquè in modum peninſulæ alluitur mari
Adriatico, Ionio, Siculo, Tyrreno; à quorum
ſęuientibus fluctibus, frequentiſſimis muni-
tur portubus; qui ſecuram nauigijs cuiuſcum-
què generis præbent ſtationem, facilemquè
excurſum in quamlibet Terrarum plagam.

Hę tamẽ opes Regni Neapolitani, tantæ, vt
nedum ſibi ſufficerent, ſed alijs gentibus vſui,
& præſidio eſſe poſſent, finitæ tamen fuere,
&

& quæ vſu nimio, vt cętera naturæ; atterun-
tur: nec expectãdum, vt cui inexhauſtæ No- 42
ui Orbis terrarum, auri argentiquè ſodinæ
non ſufficiebant, ad tot tantaquè bella admini-
ſtranda; opes vnius Regni, licet opulentiſſimi,
facerent ſatis. Sed qua erat magnitudine ani-
mi Carolus, qui ſpe vorauerat vniuerſi terra-
rum Orbis Imperium; pecunias, quas vltra
vires à Regno Neapolitano cogebat, non
emungendis populis, quos ſæpius liberalitate 43
ſubleuabat; ſed oppignorando Regio Patri-
monio, numquam luiturus, comparabat.
Hinc factum, vt clariſſimum apud Neapoli-
tanos Carolus Quintus nomen adeptus, acre
ſui deſiderium, poſt celebrem illam abdica-
tionem, cunctis reliquerit: filius verò Philip-
pus, in opulentiſſimo illo quidem Regno, ſed 45
neruis ſucciſo ſucceſſerit; conſtat namque, ex
ducatis ſeptingentis millibus annuis, & vltra,
qui tributi nomine in fiſcum ex vniuerſo Re-
gno inferebantur, & ex longe maiori ſumma,
quæ quotãnis ex portorijs & vectigalibus Re-
giæ Ciuitatis, & Ditionis vniuerſæ cogeban- 45
tur, vix tot reliquos fuiſſe, quot ad ſtipendia
ſemi-

ſemiplenæ legionis Hiſpanorum præſidiariæ,
& ad alendas triremes, quæ Neapoli excuba-
46 bant, ſacerent ſatis. Quod quidem Regni vi-
tium, aut latuit, aut innocuum ſuit, dum
Philippus ſumma inter omnes Reges prudẽ-
tia vſus, pacem in Italia aluit: & ſi arma tra-
ctanda alicubi ſuere, prout in Imperijs ma-
gnis, & neceſsitas ſępè poſtulat, & conſilium
flagitat ſemper; & acerrimè tractauit, toto ſui
Imperij tempore Philippus apud Belgas; ſatius
habuit ipſa Bętica Regna, nouis ſubindè one-
47 ribus prægrauare: à Neapolitano verò, tam-
quam re ſacra, abſtinere; contentus eo tributi
genere à Neapolitanis, quo olim Romani à
Batauis, armis ſcilicet, viriſquè: commiſſaquè
48 Regni adminiſtratione Hiſpanis Proceribus,
virtute, & integritate præcipuis; eorumdem-
què, vbi opus ſuit, ſeueriſsimis iuſſis coercita
licentia, id facilè obtinuit; vt regnante Philip-
po, eiuſdem nominis ſecundo, prudentia ve-
rò omnium primo, Hiſpaniarum Rege, Nea-
poli, vnà cum tranquillitate, & iuſtitia, artes
omnes, tùm liberales, tùm mecanicę, ſupra
49 omnes Italiæ, atque adeò totius Chriſtiani Or-
bis

bis floruerint, Ciuitaſquè ipſa ſplendidiſſimis
ædificijs aucta, populoquè referta, ſummo in-
colis ſplendori fuerit, exteriſquè miraculo.

Philippi mortui iacturam, parum ſenſit re- 50
rum Neapolitanarum ſtatus: licet enim ſub
filio, fortunæ ac nominis hærede, receſſum
fuerit ſatis citò à ſeuera illa, addicta regnandi
diſciplina, quę ſub patre floruerat, cuncta prò
libito moderante Lermæo Duce, qui ſumma
gratia apud nouum Regem omnia poterat:
nihilominus non ſecus ac iacula, quę manibus
excuſſa, non decidunt illicò, ſed eò longius
ferũtur, quò maiore vi intorta fuere; ità Nea-
politani Regni adminiſtratio, in magna ſuc-
ceſſorum negligentia, conſilio eius, qui ſapiẽ-
tiſſimè eam diſpoſuerat, diutius promota, ſẽ-
ſimquè ex interuallo prolapſa eſt.

Labare maniſeſtius cępit Oſſunę Duce 51
Regias Vices obeunte, qui nulla iuris, nulla
ęqui, nulla pudoris habita ratione, cuncta cõ-
tumelijs vexauit, ſtupris polluit, latrocinijs 52
exhauſit, & per quadriennium ità omnibus
inſultauit; vt Tyrannidem exercere viſus fue-
rit: cuius vſurpandę ſuſpicione, coacto exte-
rorum

rorum militum exercitu non contemnendo,
conciliatiſquè populi ſtudijs per Genuinum
quemdam nobis ſępius memorandum, adeò
53 infamis fuit; vt vi Prouincia diſcedere coactus
(cum imperia eluderet) inquè Aula tractus
verius, quam profectus, & è carceribus cau-
ſam dicere iuſſus, inter dicendam, vitam per
omnem licẽtiam actam exitu finiuerit ęrum-
noſiſſimo.

54 Albanus Dux electus qui ſucceſſor Oſſu-
nę, ęgris rebus mederetur. *Sed* quę ab ęgro-
55 tante medela? Integris ille, quidem moribus,
& in ſeueritatem formatis, alieniquè adeò nõ
appetens, vt (rarum apud Hiſpanos decus)
ſuo parceret; ſed ſæpius cubiculo clauſus, ęgri-
56 tudine ſimulata, vel non diſſimulata, raros
præberet aditus, rarius vacaret negotijs: hinc
factum, vt per ſeptennium, quo Prouinciam
adminiſtrauit, à morbis illis illæſam habuerit,
quos, opes tanti Regni, quidam veluti natu-
ralis calor in humano corpore, ſuperare po-
tuerint: eos verò, qui altius inſederant, ne
tentatos quidem, palpauerit potius, quam
profligauerit; vt quietem fluctuanti Regno,

non ęgro sanitatem, attulisse censendus sit.

Quid opis allaturus fuisset Dux de Alcalà, 57
successor Albano? annè responsurus opinioni dè se conceptæ; quod bonæ menti, meliores literas indidisset, incertum. Breui decedere coactus (eo crimine, in Aula Hispaniæ 58
super omnia vlciscendo) quod inter præparamenta excipiendæ hospitio Regiæ sororis, quæ coniugio Ferdinandi Regis Hũgariæ destinata, per Regnum Neapolitanum iter instruxerat, ad concilium retulisset; annè sibi Palatio cedendum foret: nec valuit cessisse, splendidèquè excepisse, omniquè officiorum, & obsequiorum genere coluisse: Maiestatem Regiam sola hæsitatione violasse creditus: haud meliore illorum successu, qui, dum deliberant, desciuère.

Sed quas Ossunius, virium ostentatione, 59
afflixerat opulentissimi Regni opes; frustraquè erigere tentauit Zapatta Cardinalis, de- 60
terior remedijs quam malis in interregno, Comes Monteregius successor abutendo fregit. Magna is, apud Regem gratia floruerat; sed à maiore Oliuarij sororij victus, per spe-

C ciem

ciem honoris ab Aula pellitur, & quanta
nullus vnquam aliàs ornatus poteſtate, in
61 Italiam mittitur, ad res fluctuantes compo-
nendas: vbi aduenit magno faſtu, ſed maiore
rerum pernicie, preces Ducis Niuerſij ſpre-
62 uit, qui natus licèt in Gallijs, origine Italus,
ex inclita gente Gonzaga, in Mantuæ, & Mõ-
tisferrati Ducatibus, gentilitio iure, ſucceſ-
ſerat.

Mouerat enim ſuſpicaces Hiſpanorum ani-
mos: Gallum hominem, in Gallia educatum,
magniſquè affinitatibus Gallis innexum, di-
tionibus alligatum hos obtinere Ducatus, Me-
diolanenſi Prouinciæ limitaneos: in quibus,
hinc Caſalenſis arx munitiſſima; inde ipſa
Mantuæ Ciuitas, quarum nulla firmiora per
vniuerſam Italiam propugnacula, maximè
ſuſpectabantur. Nec Mõteregius oblatis cõ-
ditionibus acquieuit: quibus, & ſuetum ante-
ceſſorum ſuorum Ducum, ergà Hyſpaniarũ
Reges, præſtabatur obſequium; & in cuius
certiorem fidem ea munimẽtorum arcis Ca-
ſalenſis pars, quæ ad Ciuitatem ſpectabat,
63 deijciebatur: ex qua arce, ob ſpretas haſce
con-

conditiones, ingens fluxit calamitatum Illias tum Italiæ, tum vniuerſo Orbi Chriſtiano luctuoſiſſima. Peragrata Italia Romæ tãdem conſedit Monteregius, & apud Summũ 64
Põtificem Vrbanum Oratoris Regij munus, magno ſplendore, obijt. Nec diù perſeuerauit, ſed cum in dies magis, ac magis vileſceret apud Neapolitanos Zapattæ Cardinalis adminiſtratio, lapidibus ferè obruti à Populo; 65
Mõteregius, Oliuarij gratia, iuſſu Regis, Prouinciam illam inijt, eamquè ſuſcepit adminiſtrandi rationem, cæteris neglectis, quæ magis ſibi conducere videbatur, ad corrogandas è Ciuitate, & Regno pecunias, quæ ſufficere poſſent, ne dum ad ſubmittenda Prouinciæ 66
Mediolanenſi à Gallis inſeſsę ſubſidia, quæ 67
vno Neapolitano ærario nitebantur, ſed etiã ad nouum contra Gallos, in Prouincia ſuſcipiendum, quod ipſe diù voluebat animo: quodquè tenacius conceperat, dum ex itinere, loca illa occulis ipſis luſtrauerat; ratus, nõ ad vtilitatem tantùm, ſed ad exiſtimationem etiam pertinere, omnes intelligere, eas eſſe Regis ſui vires, quę ne dum ad propulſandũ,

68 ſed ad inferendum etiam Gallis bellum; in
propria terra, ſufficerent.

Nouerat quaſdam obſcuri nominis Inſu-
las, ſeù verius ſcopulos ipſo Prouinciæ ingreſ-
ſu, littoribus prætendi, anguſto Euripo, à
continenti diſiunctàs, à Sanctis Honorato, &
Margarita nomen adeptas perquè Monacos
Lerinenſes Benedictinæ ſacrę familiæ, à ſoli-
tudine vindicatas: has munitionibus cinge-
re, & præſidio firmare, cupido cęperat; fu-
turas, vel gradum ad interiora Regni per oc-
caſiones penetrandi, vel receptaculum con-
fugarum, ſi quando quidpiam turbidi, ex gē-
69 tis ingenio emerſiſset: cumquè Hyſpanorum
vires in mari magnę tunc eſſent, Gallorum
autem nullę, munitio verò obuia, & ſecura
tuitio fingebatur. Nec deſtinatis mora lon-
gior ea, quę Monteregio diſtulerat ſummum
rerum Hyſpanicarum in Italia arbitrium, cũ
longè ante Oliuarium ad audaciſſima quęquè
lętiſſimum, & per Oliuarium, Regem ipſum
ſpe impleuiſſet rerum ex munitione illa fęli-
70 ciſſimè gerendarum. Nihil propterea re-
tardatus mole belli, quæ à Gallis Prouincię
Me-

Mediolanenſi incumbebat: hinc ad Padum Sabaudo, & Parmenſi Ducibus ſocijs; indè ad Vulturenam vallem, Rhoani Duce Rhetorum cateruas trahente, ſed & ſuppetias militum, pecuniarumquè anxiè flagitanti Gubernatori Mediolanenſi identidem ſubmitte- 71
bat; & eodem tempore ingentem, tum celſarum, tum roſtratarũ nauium Claſſem Marchione Santacrucio Duce, adornabat; eamquè ne dùm nauta, milite, commeatu, ad diuturnam nauigationem inſtruebat; ſed inſuper rebus omnis generis implebat, quæ ad excitandas plurium formarum munitiones, in 72
deſerto loco, excitataſquè muniendas, aduerſus vicinum, & potentiſſimum hoſtem, opus eſſent.

Quibus adminiſtrandis, opes florentiſſimi Regni, quacumquè alia cura vacui, ſufteciſſe magnum fuiſſet: nihilo tamen ſecius ab tam exinanito, tantoque bello in Ciſalpinis impli- 73
cito, Monteregius expreſſit; & quod fidem ferè omnem excedit; non ſemel, ſed iterùm, & tertiò eadem reparare coactus, quæ fruſtrà (damnante videlicet Deo inanes, & infe-

lices conatus) bis tentauerat Santacrucius. Tùm opinione sua deceptus, tùm naufragio retardatus ad Corsicę littora, tùm periculo laborantis Valentiæ ad Padum motus, quæ à Gallis; socijsquè premebatur: in cuius subsidium, exposito ad Ligurię littora milite, per aditum illum triũ ferè milliarium, inter Lemnum, & Scriuiam fluuios, (quem vnum, in vastissima Mediolanensi Prouincia, vndiquè hostibus cincta, apertum auxilijs seruauerat Genuensis Reipublicę in amicitia Catholici Regis constantia) subsidia opportunissima immiserat, quibus soluta obsidione Valentię, vniuersam Prouinciam quę in ea periclitabatur, seruauit incolumem.

74 Hinc Neapoli in magna ęrarij inopia, longè maior pecuniarum indigentia erat, nec vndè suppleretur ex Regijs opibus, vel Imperij iure, consumptis omnibus, spes vlla reliqua: minusquè Prorex Monteregius supplere poterat de suo, qui splendore anteactę vitę obęrato patrimonio, in Italiam aduenerat; consumptaquè fide Romę sumptibus immodicis, Prouinciã inierat pecunia omninò vacuus.

Repo-

Repoſitę igitur ſpes omnes in Ciuitate erant, 75
quæ tamen oneribus pręgrauata eadem au-
geri nouis indictionibus ferebat impatientiſſi-
mè: nec integra regia fide, & vetuſtiſſima 76
Regni conſtitutione, ſuper commeatu præ-
ſertim, niſi per Ciues ipſos induci poterant:
inter quos, cum omnia poſſet Nobilitas, hãc
Prorex artibus omnibus aggreſſus, demereri
ſtuduit. Quam lenocinio voluptatum, quo-
rum illecebris Gentes omnes capi ſolent, Nea- 77
politani verò (indulgentia ſoli, cæliquè) quã
facilimè; feliciſſimè vſus, ſuam fecit, conductoquè,
ab Hyſpanijs vſque, Comicorum grege
ſcitiſſimo, dies, noctesquè cogendis nobilium
virorum, ac fęminarum cętibus; iungebat ad
conuiuia, ad chorẹas, ad ſpectacula, ad com-
meſsationes: vt Aula Neapolitana, in tantis 78
belli cladibus, & laborantis Chriſtianitatis an-
guſtijs, nunquam fuerit ſolutior luxu, quam
Monteregio Prorege: qui redarguta antiqui-
tate tamquam nimis tetrica, quę non niſi par-
ſimonia aucupaſſet pinguiora vectigalia; per
luxuriam ipſe, nouo inuento, quam ampliſ-
ſima colligebat, dum Nobilitas luxu empta; 79

vt illum aleret, nihil recuſaret eorum, quæ
Prorex iuſſiſset.

Sed monſtrum planè eſſet, ex monſtro aliã
quam monſtruoſam prolem gigni, quam, &
quidem geminam parente longe deteriorem
genuit hic luxus Proregis. Alteram, quã
80 Nobilitas, elato aliàs animo, prenſari ſe à Do-
mino ſentiens, multo elatiores ſibi ſpiritus
81 ſumpſit; & quaſi conceſſa ſibi rebus in omni-
bus licentia, omni exuto legum metu, abu-
tebatur in omnibus, ſed aduerſus Plebem pręci-
cipuè, genus omne ſuperbię, ſęuitięquè exer-
82 cebat impunè. Alteram quà auocatus à ne-
gotio Prorex, rerum omnium adminiſtran-
darum curam, vniuerſamquè Rempublicam
Adminiſtris permiſit, ſibi gratioſis; hoc vnũ
iuſsis, etiam atquè etiam parare pecuniam:
qui nihil præterea penſi habentes, per omne
83 fas, & nefas, expoſita venali ſub haſta iuſtitia,
pecuniam vndique corradebant: eò inclemẽ-
tius, quò auidius, per occaſionem illam, cito
elapſuram diteſcere ſatagebant; ſucceſſu adeò
fęlici, vt per illud quadriennium, quo Mon-
teregius rebus præfuit, nedum, ex exhauſto

licèt Regno, pecunias ad vtrumquè bellum, 84
inexplebilemquè, quocumque bello grauiorem, Aulæ luxum, afflatim ſuppeditauerint; ſed tot præterea ſuperſuerint, vt fama tulerit, ipſum Monteregium Prouincia diſcedentem, tercēta, & amplius, ducatorum millia ſignatæ pecuniæ, præter Gazam pretij longè maioris, in qua in miniſterium menſę, vaſa ex auro ſolida cōſpicerentur, in Hyſpanias aſportaſſe. Quæ fama, ſi vt plerumque aſſolet mē- 85
dax fuit, nullo mendacio aſpergitur veritas cōteſtata; Roſalios, alioſque huius generis Adminiſtros, pauperes, Prouinciam itidem pauperem ingreſſos, opulentiores ex ea diſceſſiſſe, quàm ſi opibus refertam, non adminiſtrandam, ſed depopulandam accepiſſent.

Quæ mala, tamquam ad Regnum pręclariſſimum perdendum, non ſuffectura cumulauit Dux Medinius, ſucceſſor Mōteregio datus: qui ex Oliuarij vnica filia, quæ fato conceſſerat, olim gener, maxima pollebat in Aula gratia; qua obtinuerat, deſtinari ſibi Principiſſę Oſtiliani, ſplendidiſſimarum ditionum 87
in Regno hæredis, coniugium, hac lege pa-

88 ctum, muliebri ambitione parentis Aldobrã-
diniæ, si futurus maritus Proregis honore,
ac munere auctus fuisset. Is igitur, cum vxo-
re, ac dote, donationem propter nuptias prę-
clarissimam nactus, ijsdem artibus, quæ Mõ-
teregio fęliciter cesserant, pecunias ad sustinẽ-
dum in Prouincia Mediolanensi bellum, & ad
Aulæ luxum, emunxit; fractasquè quas acce-
89 perat Regni vires, prorsus perdidit, aucta in-
super in immensum nobilitatis licentia, cuius
florem per vxoriam affinitatem complecteba-
tur. A die namque decima quarta Decembris
anni trigesimi septimi, ad septimã Maij qua-
dragesimi quarti, Christiani sæculi decimi sex-
90 ti (per quod tẽpus rebus præfuit Medinius)
vicies septies centena dena ducatorum millia,
& vltra, vno militari ærario, expensa retulit,
vt narrabat mihi Genesius Sangninetus con-
ciuis noster, spectatæ fidei vir, qui Medinio
fuerat à rationibus: vt enormem adeò pecu-
niarum quantitatem, ab exausto iàm Regno
vix credibile sit, eum conficere potuisse; op-
pressa licet, nobilitatis ministerio, nouis sub-
inde conditionibus, Ciuitate.

Quæ

Quæ ſuaptè natura grauiſſima; intoleran- 91
da faciebat exactorum acerbitas, inclementior
ex eo, quia exactionum ſiuè vbertas, ſiuè te-
nuitas; ipſorummet cedebat commodo, vel
incommodo. Vſus namque iamdiù; obtinue-
rat, vt onera quæcumquè, tùm Fiſcalia, tum
Ciuitatis, quæ de nouo imponerentur, quã-
tumuis in dies ſingulos, & perpetuò ſubeũda, 92
illicò tamen, & vnico pretio diſtraherentur
redemptori, ſuo non minus iure, quam peri-
culo, exactionem curaturo. Hinc miſeriarũ, 93
& ęrumnarum cumulus: nullus namque ad
haſtam hanc accedebat, niſi pretio admodum
vili, duriſquè conditionibus licitaturus, pro-
nis ad omnia venditoribus, prætextu tempo-
rum, re verà mercede ingenti corruptis, &
non raro ſocietate conſiliorum, emolumen-
torumquè præocupatis; eo ſucceſſu, qui ex-
pectari poteſt commercio in illo, in quo di-
ſtractor rei ad ſe nihil pertinentis commoda
ſectatur emptoris, & venditoris curàs emptor
nutrit. Id quod, tanto exceſsu, quandoquè, 94
contigit: vt, mirum dictu, decies centies du-
catorum millia, quibus conſequendis nouum

vectigal impoſitum fuerat, in vſus belli, Gubernatori Mediolani perſoluenda; vix, ac nè vix quidem, in pecunia numerata, tercentum
95 millia ad eum peruenerint. Nihil tamen, propterea, remittentibus de iure malè parto redemptoribus: quinimò, vt licentius, & inclementius agerent aduerſus innoxios, Ciuitatis Proceres in partem prędarum aſsumebãt; & ſub ſpecie annui redditus, ſuper eiſdẽ exactionibus impoſiti, illiſquè diuenditi leuiſſimo pretio, eiſdem rapinarum omnium propugnatoribus vtebantur, eò audacioribus, quo
96 potentioribus, ditioribuſquè. Conſtat namque, Cenamum quemdam, inter cæteros, qui à ſordidiſſimis initijs ad Præfecturam Regij Patrimonij, perueuerat, quadraginta annua ducatorum millia, & vltrà, in cenſu habuiſse his artibus quæſita; dum pænas repoſcenti, iratæ multitudini, truncato capite dedit.

Sed quoniam de adminiſtratoribus, ne dũ Regijs, ſed & Ciuitatis, facta eſt ſuprà, & frequentius infrà facienda eſt nobis mẽtio; haud parum ſplendoris me exactiori rerum dicendarum

darum

darum cognitioni allaturum reor, ſi altius repetitis principijs, quæ Ciuitatis eſſet, adeòquè totius Regni Neapolitani adminiſtratio; 97
quæue inter Adminiſtros ipſos diſcrimina dignitatis auctoritatiſquè, paucis exponam.

Iam primum conſtat, apud Proregem ex 98
Proceribus Hyſpanis, ad Regis nutum in triẽnium (ni temporum ratio aliter ſuadeat, cogatue) Neapolim mitti ſolitum, omnem, & 99
de omnibus fuiſse poteſtatem: eidemquè, inſtruendæ potius, quam temperandæ, tres, quatuoruè Conſiliarios Iuris ſcientia commendatos, Hyſpanos mixtim, Neapolitanoſquè iungi; qui quaſi illius lateri continui, collaterales vocabantur. Ab hoc Concilio vniuerſa pendet totius Regni adminiſtratio; in
ſpeciem magis, quàm re, pronis ad libita Pro- 100
regis conſultoribus, è ſchola Tiberiana libertati ſæpius imputantibus, quæ ſeruitio dominantis impenderentur: quam etiam ſpeciem
ſpernere, pronum erat Proregi, aſsumpta 101
ſummi armorum Ducis perſona, qua & poterat, & ſolebat, licèt in alta pace, ardua queque pro libito moderari.

Poſt

Post Collaterale aliud Concilium, sacri appellatione, celebratur; numero quidem potius, sed dignitate longè posterius, viginti Iureconsultis cum suo Præside, tertia parte Hyspanis, reliquis ex indigenis constans. Ad hoc tamquam Iustitiæ tribunal, ab Alphonso Aragonio institutum, lites omnes dirimendę; tum ea quas Neapolitani inuicem agunt, excipiuntuè; tùm quæ ex Regno vniuerso prouocationis auxilio, vel alijs præcipuis causis,
103 deferuntur. Et ad faciliorem exitum, tot vndique confluentium controuersiarum, in quinque veluti classes dispertiti, quas Aulas vocant, quaterni ius dicere consueuere; non ità tamen, vt quę magnis plerunquè testibus
104 agitantur, Collateralis Concilij iussu (cuius rescriptis tamquam oraculis parent) duarum sæpius, & quandoque plurium Aularum, simul conferentium suffragijs non decidantur; accersitis etiam non rarò Aulis ipsis in Collaterali Concilio, & ibi accuratius discussa ab omnibus controuersia finem accipiat.

105 Ærarij verò tutela, fisciquè Regij cura, & omnimoda administratio, septem itidem

I. Con-

I. Consultis, tribusquè Rationarijs, mixtim ex Hyspanis, Neapolitanisquè demãdata est, sub vno magnæ auctoritatis Quæstore, siuè Præside, quem Cameræ Locumtenentem vocant.

Sed longè antè alios eminet Tribunal, cũ 106
suo Præside, sex vt minimũ Iudicibus, vnoquè ex Consiliarijs institutum; cui facinora coercendi, plectendiquè sontes munus demandatum est: & (vicarias veluti Regis cum summo Imperio obiens partes) Vicaria appellatum; tantæ antiquitus dignitatis, vt inferius Maiestate Regij sanguinis non duxerit olim 107
Carolus Andagauensis Rex, eiusdem nominis secundus, Raimundum filium Vicariæ imponere Pręsidem; sed quantum dignitatis transactis temporibus detractum à Præfecturà, e regij splendore sanguinis, moderantibus Hyspanis Regibus; tantumdem, & amplius additum gratiæ: non enim à Rege ipso, vt 108
cætera, quem temporum ratio tulerit; sed à Prorege (quem gratiosissimum) accipit Pręsidem Vicaria, à qua tamen prouocatio est ad Sacrum Concilium.

Qua-

109 Quatuor hiſce præcipuis Concilijs, quaſi
totidem Orbibus in girum labẽtibus, vniuer-
ſa circumuoluebatur ſub Hyſpaniæ Regibus
Neapolitanarum rerum ciuilis adminiſtratio.
Nam alia duo Concilia, ſpecioſis nominibus
110 Status, & Belli celeberrima, Proceribus illa
quidem longè clariſsimis Aulæ, & totius Ci-
uitatis conſtant, ſæpiuſquè vocantur; ſed cũ
in eis cuncta ad nutum Proregis decernãtur,
tamquam parum ad ſummam rerum confe-
rentia, in compendioſa narratione omittenda
111 fuere. Non ità tamen, vt Ciues etiam Nea-
politani ſua non haberent Concilia, ſuos Ma-
giſtratus, non minus nomine, quam dignita-
te, & fructu longè inter ſe diſſita, quæ om-
nia longum eſſet, nec fructuoſum referre: illa
non reticenda, apud quę magna pars calami-
tatum, quas narrare aggredior, ſunt ſita.

112 Magno ſemper in pretio apud Neapolita-
nos ſplendor nobilitatis fuit; & vt ſummus in
Italia vniuerſa apud Equeſtrem Ordinem an-
tiquitus fuit (Patriciatu apud Romanos ſolos
vigente) ità totius vetuſtatis retinentiſſimi
Neapolitani (vt ſuprà monui;) florem illum
ſuum

ſuum Nobilitatis, Equites appellant, & qui 113
apud alias gentes gradus dignitatis, apud eos 114
eſt teſſera Nobilitatis. Hunc ordinem Ciuiũ
honeſtiſſimorum, in quinquè partes, veluti
conciliabula, diuiſum habent, quæ à conſidẽ-
do (vt puto) dum congregantur, ſedilia vo-
cant, Capuanæ ſcilicet, Nidi, Montaniȩ, Por-
tanouæ, & Portus. Inter quæ, vt quiſque
primò locum obtinuit, illũ & poſteris propa-
gauit, ad ſeruanda perpetuò gentium, & fa-
miliarum diſcrimina, inter quȩ magna Nobi-
litatis æmulatio; quam vt facilè ſedaueris, in-
ter ſe collatis Sedilibus ipſis, ob præcipuum
ſplendorem Capuanæ, & Nidi; ità acrius ex- 115
cites, ſi conferas inter ſe plurium gentium, &
familiarum decora, peruetuſtis opibus, & Dy-
naſtijs inſignibus ſplendidiſſima. Hanc tamẽ 116
ſpeciem æqualitatis ſeruant, vt annis ſingulis
omnes de quocumque ſedili conueniant ſtato
die ad Sancti Laurentij, ibiquè plurium ſuf-
fragijs certum ex omnium numero creent,
quem ab actu ipſo Electum vocant; cui cum 117
quatuor alijs Collegis, à reliquis Sedilibus pa-
riter nominatis, curæ ſunt illo anno, quæ ad

118 commoda Ciuitatis spectant; Quibus additur
sextus è Populo, quem viginti Principes Ot-
tinarum eligunt, quos Capitaneos dicunt, ex
Ottinis totidem singuli, in quas quasi curias
vniuersa Ciuitas est distributa: Hæc tamen
popularis electio, non adeò pendet à Populi
suffragijs, vt ex tribus per eum designandis,
Proregi ius non sit, quem malit eligere.

119 His sex viris rerum priuatarum cura Ciui-
tatis Neapolis incumbit, quàsi œconomica, ea
120 respiciens præcipuè, quæ ad vitæ necessarios
vsus, in frequentissima Ciuitate sæpius aliun-
dè conquirenda, nunquam magis suo tempo-
re, quàm antè tempus comparantur, multo-
rumquè incuriæ paucorum præcauetur pro-
121 uidentia. Et si quando rei frumentariæ ino-
pia laboratum est, vt non rarò laboratum, pu-
blico impendio occurrendum fuit necessitati
priuatorum, tenuiorum præsertim, quorum
in amplis Ciuitatibus ingens semper est nu-
122 merus. Quibus, alijsquè haud absimilibus
de causis, æs alienum contractum; cui dissol-
uendo nihil procliuius, promptiusue, quàm
123 leue aliquod vectigal super eisdemmet rebus
ad

ad vitam necessarijs imponere, assentiente, simul cum Prorege, Collaterali Concilio.
Licèt enim inter iura Regnorum, & Dominationis fructus, ius indicendi vectigalia precipuum sit, & nullus indè præter Regium Fiscum querat emolumentum; cum tamen ex priuilegijs Ciuitatis Neapolitanæ per plures retrò Principes, & firmissimè per Carolum Quintum Cæsarem Austriacum, inductum sit: eos numquam super tritico, oleo, vino, & alijs speciebus, quibus ad humanam vitam sustinendam vtimur; vectigal aliquod indicturos; hinc, super eisdem rebus, tamquam sibi ex priuilegio sepositis, Curatores Neapolitani ius summi Imperij exercuerunt, cautius vtique curaturi, si numquam exercuissent: eò namque paulatim deuenerunt, vt è rerum statu feliciſſimo, in quo Principis sui munificẽtia erant plene immunitatis; propria ipsorum imprudentia, in erumnosissimũ omnium (onera subeuntes quæ sustinere nequibant) se coniecerint. Vsquè adeò exemplo peccatur; vt cepta plerumque à volentibus, letantibusquè, non sinè fructu, ab in-

124 125 126 127

uitis, nolentibuſquè, cum pernicie peregantur.

Reſtat, vt pauca, ſed quæ ad inſtitutum ſufficiant, de re militari percurram, cuius sũ-
128 mum Moderatorem Proregem eſſe memini me dixiſſe; ad cuius miniſterium præſto ſunt,
129 prȩter minores, Architalatus Triremium, Legionis Præſidiariȩ Hyſpanorum Tribunus, Præfecti Arcium Caſtrinoui Vrbi quà mari alluitur impoſiti; Sancti Ermetis, in ſummo colle; Oui in ſcopulo propè littus affixi. Quibus omnibus muniendis, ornando-
130 què, & cuſtodiendo Prorege, vna ſufficit Hyſpanorum Legio, quam memorabam; licèt & claſſis antiquitus ſuum militem, gentis eiuſdem haberet, Nauticȩ Legioni attributũ, quȩ Legio, procedente tempore, bellorum impendijs, & calamitatibus, tandem ceſſit.
131 Hinc factum, vt tota vis Hyſpanici Imperij in Regno Neapolitano in vnica Legione ſita eſſet, tyronibus ſȩpius ab Hyſpania ſupplenda, numerus potiùs quàm vires, euocatis in Belgium, & ad reliqua belli munia, veteranis.
132 Securũ nihilominus Dominantẽ ab interno

hoſtè

hoste fides Neapolitanorum faciebat, & vulgi mores in quodlibet seruitium comparati; tutum verò ab externo hoste opulentissimi
Regni vires, indè Sicilia, Sardiniaquè eidem 133
parentibus Imperio, viris, armisquè refertis cincti; hinc Latio Thusciaquè condirionibus, arcibusquè, in partes tractis, nequaquam defecturis, vigente à tergo Gallia Cisalpina, è qua veluti Italiæ totius arce firmissima, Hyspanica arma capitibus Italorum omnium im-
minebant: nec deerat in procinctu domesti- 134
cus miles, numero, & militum genere non contemnendus.

Sed præcipuum robur in equitatu sexdecim grauioris, quatuor leuioris armaturæ:
turmæ erant, sexagenis singulæ equitibus, 135
sub suis quælibet signis, & Præfectis è præcipua Nobilitate, inter quos eminebat Prorex ipse, ad cohonestandum simul, & continendum ordinem; splendidissimis omnes stipendijs aucti, in pretium seruitutis, quem numerum per se satis amplum, equitum nimirum mille ducentum, longè ampliorem reddidit
subsequutus regius iussus, quo sexagenis 136
prio-

prioribus centeni sunt additi, retento eodē Præfectorum numero: illo tantummodò immutato, vt pro cataphractis, quorum vsus in bello desijt, omnes leuiter armarentur; quibus addita tercentorum Epirotarum ala, adeò paratum erat ab Equitatu Neapolitanorum Regnum; vt nedum tutum ab hostibus, sed vniuersæ Italię formidabile meritò esse posset: præsertim, cum nullibi terrarum generosiores gignantur equi, quàm Regno in illo, nulliquè hominum magis equis gaudeant, & in-
137 suescant Neapolitanis. Et adhuc alius equitatus, extra ordinem, sed absque stipendio, per omnes Regni Neapolitani Prouincias, institutus est, cui à sacculo nomen. Allicitur hoc genus militum proposito præmio exemptionis onerum plurimorum: instruũtur singuli equo, sclopoquè rotato quibus militant à centenis patribus familias conterraneis suis; nec nisi Proregis iussu in opere versantur, cęterum domi desides. Quælibet Prouincia quinque turmas sexagenis constantes ex hoc equitum genere sub suis vnamquamque Ducibus alit, addita sexta apud Hydruntum ob

pira-

piratarũ frequentiam; nec in his ad ſubita belli minus viriũ, niſi defectus ſtipendij redderet ad munia ſegniores: & nihilominus, vel vitio naturæ nunquam deſinentis ſit factũ, vel ambitione quorumdã, qui dum & ipſi cũ æqualibus locum teneant, nihil dubitant, ſe cęteroſquè in caſum dare; dum Regnũ ipſum ſupra quam ferre poſſet, oneribus prægrauatũ, inter ancipitia fluctuaret, reſcripto Regio ap- 138
probata fuerunt Dynaſtarũ quorũdam poſtulata; quibus ala tercentorum Cataphractorũ ſub Præfectis quinque inſtaurabatur, quorũ lectio vtcumque ceptitata, longè grauioribus ceſſit curis.

Tanto equitatui iuſtus peditatus non de- 139
erat, ex vniuerſo Regno ſelectus, ſuiſquè ad munia quæque Præfectis aptiſſimè diſpoſitus; quem ab acie inſtruenda, committendaquè Battaglionum vocabant; cuius ſi numerũ ſpectes, ſi genus militum, ſi militaria munia per eorum quãplurimos in hoſtem obita, vix cedere putes exercitui Veteranorum; & ne cedere quidem, ſi ſtipendio augeas.

Ad moderandum hoc tantum Regnum, 140

Ad-

Admirati, Castellæ successor, Dux Arcos deligitur, exeunte anno à reparato humano genere Millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto: qui licet splendore generis, & animi præstantia, cuilibet muneri par; non tamen
141 sine gratia Aloysij de Aro, quē coniugio sororis affinitate complectebatur, summam tanti Regni Præfecturā obtinuit. Deuinxerat iamdiù Aloysius morū suauitate, & elegan-
142 tia Regis animū; & postquam exciderat Oliuarius, non minus laborabat, nè in eius locū successisse videretur, quàm cauerat, ne alius quisquam tamquam vacuū occuparet. Cer-
143 tusquè potentia cautius quàm iactantius frui, specie recusantis, contradicente nemine, potiebatur; ideòquè facilè fuit, sororiū, quem vnum optauerat, tamquam è pluribus à Rege designatū Regno Neapolitano imponere, prospero Aulæ rumore, haudquaquam potiori tantū honorem mandari potuisse: non sinè spe (vt proni, facilesquè sunt homines ad læta sibi præsagienda) vt Admirati splendor, ex Fronterabię liberatione conceptus valuerat, ad abstrahendū Medinę Ducē, per quinquen-

quennium Prouinciæ incubantem; ità Ducis
Arcos dexteritatem non minus valituram,
ad ſananda ea Regni vulnera, quæ Admira- 145
tus idem per biennium curationis, ſiuè inſci-
tia, ſiue negligētia exaſperanda potius Admi-
niſtris expoſuerat.

Integra igitur ſui fama, ſed inauſpicatò, 146
Dux Arcos ex littoribus Hyſpaniæ ſoluit, Au-
tumno cæpto, Italiam verſus: plurimis nam- 147
que, & atrociſſimis tempeſtatibus agitatus,
& retrò non ſemel actus, vix tandem diu flu-
ctibus eluctatus Balearem tenuit; indequè
velis, remiſquè, totiſquè viribus conniſus li-
cet, Campaniæ tamen littora nunquam obti- 148
nere potuit; ſed proras ad Tirreni littora de-
flectens, ibiquè diù hærens, tandem exſcen-
ſione ad centum cellas facta, Romam vel in- 149
uitus ſucceſſit; indequè terra adulto iàm hye-
me expectatus aduenit Paulilipum, vt non
niſi ab amico aliquo Numine ijs locis arceri,
tandiù videri potuerit, in quibus tantam ac-
cepturus erat calamitatem. Certè poſt eius 150
appulſum Coniectores Neapolitani vulgò ca-
nebāt: Ducem Arcos vltimū futurum ab Hyſ-

pania Proregem, siuè ex positu syderũ, seù verius ex desperato Ciuitatis, totiusquè Regni statu, hęc eos species cæperat.

151 Et sanè agitatam antiquitus, nec in hac Euãgelij luce adhuc sopitam disputationem, de artis siuè vanitate, siuè præstantia attingere, vel præiudicata in alteram partem opinione decernere, consiliũ non est. Suspiciant homines, prout libet, miracula prædictionum, vel irriso inani conatu falsi coarguant; imputantes hi casui, quæ prænunciata euenere; quæ secus illi falsæ, fallaciquè tribuant inscitiæ: vel si magis placet, (vt eruditò illi) in cõfinio veri, & falsi ponatur hæc Ars; dum mordicùs retineamus, quæ Deus Naturæ Auctor,
152 & falli nescius, nullo temporario discrimine, videt omnia vti præsentia infallibiliter obuentura, nihil detrahere humanæ libertati: haud secus, ac non detrahit ille, qui ex alta specula viatores cernit sese induentes in latronum insidias. At videt ille quidem, & liberè induẽtes, & necessariò indutos. Stulta, & ò nimis in sui perniciem ingeniosa mortalitas, Deum anxiè colere, quem spontè sibi ipsa imponit,

& in

&in ſumma negligentia imminentium, cadẽtiumquè ſub deliberationem eadem ſuſpicere, & admirari præterita tamquam ineluctabilia! Ingenij humani ſuperbiſſimi faſces Diui- 153
næ Naturæ ſubmittendi ſunt hìc; nec animal in tempore natum, ad tempus viuens, & tẽpore periturum, non ſine temporis fęce, cogitatione res complecti, dedignari debet; quę prorſus deſęcata ſimpliciſſimæ Naturæ & ęui cuiuſcumquè inexpertæ ſe offerunt cognoſcenda. Illud mihi in tanta rerum ambage perſpicuum, & experimento ſępius comprobatum: Neminem ſubitò fieri miſerum; ſed 154
non ſecus ac capite plectendi denunciatione libant ſęuę mortis angores; ità calamitates, dũ immineat, præmittere in animum quaſdam ſui veluti præcurſorias notas, eò moleſtiores, quò obſcuriores: nautarum ad inſtar, qui ſereno, & miti cælo, ſurdo aquarum ſubter labentium mugitu excitati, pręcipiunt trepidis animis futuram quam neſciunt tempeſtatem.

Certè Dux de Arcos huiuſmodi pręmoni- 155
tione non caruit, ſed ſtatim à primo ingreſſu Arcis Regię de infelici Pręfectura moleſtiſſi-

 mam

mam habuit. Reddebat de more ſolemnia viſitationis officia Admiralio, nõdum admiſſus ad Regni curas, exceptuſquè magno apparatu in ampliſſima omnium, & ornatiſſima Palatij Aula, picturis exquiſitiſſimis exculta: interrogauit primo ſtatim affatu Hoſpitem; ecquam rerum ſeriem tam elegans referret pictura? vt autem audiuit, Albani Ducis res
156 inter Belgas geſtas continere, inde Albani aulam appellari; abominatus rem, locumquè illicò protulit, Son laſtimoſas memorias y exẽplos muy malos.

Ipſa retuli verba quę Octauianus Saulius militum Tribunus conſtantiſſimus, & fidei ſpectatę vir pręſens hauſit; dum pars honeſtiſſimi comitatus penè veſtigia ipſa Ducis ſequeretur, à quo & hęc, & pleraquè alia inferius dicenda, oculato nimirum teſte, & omni exceptione maiore accepta profiteor. Et is eſt Octauianus Saulius, qui dum hęc commẽtabar ad Caſalem agri Bononienſis ſumma virtute, nec minori fortuna, peditatus Ductor arrogantiam Gaufridi repreſſit fregitque. Qui conſiliorum idem, ac armorum Ducis Parmenſis

menſis

menſis moderator ſummus, Pontificio equitatu in fugam acto, cum eo pedites, & vniuersũ exercitum deleuiſſet; ni Saulius ab equitatu deſertus, eiuſdemquè in ſuos fuga, peditatus aciem explicare prohibitus, cum paucis intecto occurrens pectore, ſtetiſſet primo ruentem, ſuſtinuiſſetquè per illud tempus, quo pluribus exemplo magis, quam auctoritate conglobatis, egregiè profligauit, eiecitquè eadem impreſsione turpiter fugientem, ex Bononienſi agro, totaquè quam ſpe vorauerat, Pontificia ditione.

Sed quem (vt ad inſtitutum ſermonem redeamus) Ducem de Arcos ventorum, fluctuumquè reluctantium ingentes minæ retardare non potuerunt, quin per tot tantaquè pericula, concupita Prouincia potiretur; leues 157
quædam in pariete imagines ob oculos caſu obſeruatæ, mentiquè ſubito illapſę, ab illius aſpectu, ipſoquè quàſi complexu eum auellere haudquaquam potentes erant.

Nec mora, inito de more magna pompa 158
Magiſtratu, ſtatimquè ad curas conuerſus, cuncta perſpexit, ſupra omnem ſui, aliorumquè

què æſtimationem perdita, & profligata; am-
pliſſimamquè illam Ciuitatem, celſiſſimæ ad
inſtar Nauis, latis vndiquè fatiſcentem hiati-
bus, & carinam trahentem incertis fluctibus
ferri potius, quam conſilio regi. Omnia in
159 Aula, in Tribunalibus venalia, nullam Iuris,
nullam pudoris haberi rationem, & in ſum-
ma ſingulorum licentia neminem in commu-
ne conſulere; ſed vt in naufragijs ſolet, quem-
160 què ſibi ex omnium iactura compendium
facere, oblata quęcumque ad ſe trahere; ra-
pere aſtu, dolo, vi demum graſſari: quæquè
modeſtiæ, induſtriæ, virtuti ſunt propoſita
præmia fraudibus tantum ſceleribuſquè pa-
tere.

Sed ſupra omnem taxationem, deplorabi-
lis erat Regij Ærarij, totiuſquè rei pecuniarię
161 conditio. Vectigalia ad Fiſcum pertinentia,
antiquitus inſtituta, & à Proregibus Albano,
Monteregio, Medina, quorum ius eſt, in im-
menſum aucta, quęquè alijs vocabulis de no-
uo indita, alienata omnia, in priuatorum cē-
162 ſum iamdiù tranſierant: nęc lętiori ſpe blan-
diebantur ea, quæ Ciuitas ipſa ſibimet indi-
xerat,

xerat, grauiora iam quam ferri poſſent; cum farinæ tumulus (menſuræ genus centũ quinquaginta circiter librarum pondo) ſeptem carolenos argenteos nummos cum dimidio (ex quibus decem ducatum conficiunt) pẽderet. 163
Cętera verò ſiuè ex lacte, ſiuè ex carne cibaria, quæ ad graſſiam (gentis vocabulo) referuntur; tres ex ęre denarios (torneſios ab ipſis vocatos, quorum viginti carolenum argẽteum explent) in ſingulos rotulos (ponderis genus triginta vnciarum) vt de cęteris taceã.
Quibus illud accedebat incommodi, quod horum exactiones non per Regios ęrarij Adminiſtros procurabantur, ſed partim per Ciuitatis Curatores, partim per eoſdemmet, qui vti prædiximus veluti peculium proprium adminiſtrabant; vt nihil ſubſidij eſſet, ne ad ſubita quidem, in tardioris repreſentationis commodo: ſi in Regium Fiſcum, per breue tempus, ingentes, quæ ſingulis diebus exigebantur pecuniæ, perueniſſent. Sed nihil 164
ęqué afflixit, profligauitque rem pecuniariã, quam vilis apud omnes, & quaſi ludibrio habita fides publica; quam ſequi, & decipi pro eodem, 165

eodem, ijs moribus, habebatur. Hinc, in
ſumma Ærarij inopia,cum aliunde in vſus in-
166 ſtantis, prǫmentiſquè intenſiſſimi belli Galli-
ci pecuniǫ haberi non poſſent, præterquam
ex vectigalium nouis indictionibus, ijſdẽquè
prǫſenti pecunia diſtrahendis; rari erant, qui
auderent in caſum prǫſentiſſimi periculi, ſuas
dare pecunias; itá vt qui darent, non niſi ſub
167 vſuris acerbiſſimis ſpetioſo pretextu cambij
crederent, periculoquè illo maximis pretijs
ǫſtimato; vt ſubductis rationibus ex ingenti
ſumma, qua Regium patrimonium, ſiue
Ciuitas grauabatur,leuior pars in Regios vſus
deriuaret.

168 Non deſerit tamen ſeſe nouus Prorex; ſed
reputans, quò magis implicita erat Prouincia
ſibi demandata, eò maius meritum apud Re-
gem ſuum ſe conſequuturum ea explicata;
ſummo ſtudio, totiſquè viribus, induſtriam
acuente difficultate, adminiſtrationi ſe dedit;
169 vtquè maiori auctoritate alios reducere in viã
poſſet, ſe primum, domumquè ſuam intra
cancellos iuſtitiæ, & continentiæ aſtrinxit.
170 Familiam ille, quidem, & vniuerſum illum
quaſi

quaſi theatralem domus apparatum, quo ętas noſtra ſupra omnem antiquitatem ſuperbit, habebat ſplēdidum, & quem Proregem Neapolitanum deceret; ſed abſque luxu, nihil domi alienum, nihil venale, familiares pauci, gratioſi nulli; pluribus, & ad plura vti, ſed tamquam inſtrumentis; promptos præbere aditus, benigna dare reſponſa, iuſtitiam in 171
cognitionibus, ſeueritatem in ſontes, miſericordiam lapſis, in promptu habere: in ſumma ità ſe compoſuit, vt in eo nihil appareret, quod peccaturis fiduciam, probis præberet terrorem. Indè ad alienos conuerſus, Colla- 172
terales, cæteroſquè Conſiliarios omnes, & quoſcumquè Adminiſtros publicè, priuatimquè loci muneriſquè admonuit; & ne præteritorum obliuio conceſſa crederetur, ſupremo ex Hyſpania Repoſcitori geſtorum ratio- 173
nem reddendam edixit, carceribus mancipato Bartholomeo de Aquino mercatore notiſ- 174
ſimo, peculatus, & plurium rapinarum famoſo. Sed longè maximum opus, & non ſuarum ferè virium, reſtabat Nobilitatem cōpeſcendi, cuius licentiam publicæ, priuatæ-

què causę eò prouexerant, vt inde nullus receptus appareret.

175 Obtinenda fuerant in belli vsus difficillimi pecuniarum subsidia à Curatoribus Ciuitatis, nec nisi ab odiosis nouorum vectigalium impositionibus expectanda; à Ciuium Neapolitanorum vt exposuimus potestate, & voluntate pendentibus: quam vt suasionibus, precibusquè flexisse, quandoque impossibile fa-
176 ctu non fuerit; cum tamen Proreges iteratò, & tertiò, & deinceps eamdem fabam cuderent, alienosquè experirentur ab ea dementia Neapolitanos, in alta pace quiescentes ipsos, ad laxandas alienas angustias, & commoda comparanda, siuè vt Hispaniarum Rex laxius imperaret se posterosquè suos perpetuis præmere tributis; descēsum iamdiù fuerat ad cor-
177 ruptelas, Nobilitatis præcipuè, ad quam comitiorum ratio (quam retulimus) decernēdi vim tribuebat, quinque nimirū ex sex suffragijs obtinentis. Hanc itaque aggressi Proreges; & omnium exquisitissimè Montere-
178 gius, & Medinius, officiorum, munerum, & præmiorum illecebris sibi deuincire studebant,

bant, vt à ſedilibus ſingulis ij in ſex viros potiſſimum eligerentur, qui, vt ipſi empti, Patriæ libertatem, & commoda vendere non recuſarent. Cognouit Nobilitas ſui pretium, dum ſe rogari ab Imperante ſentiret; eoſque 179
ſibi ſpiritus aſſumpſit, quos nec Ciuitas, Regnumuè vniuerſum ferre poſſet; nec addictũ illud, & ſeuerum Hyſpanorum Imperium vlla ratione in officio continere: hinc præferocioris, inter eos, ingenij præditos, intole- 180
randa in plebeios ſuperbia, maiori erga ęquales contemptu, ſumma erga digniores contumacia, agere: nullus apud eoſdem legum reſpectus, nullus pænarum timor, nulla Magi- 181
ſtratus reuerentia; ſed vt cuique libitum agere, trahere, rapere, facile conniuente, vel cõcedente Prorege; qui ſciret, ſe ab horum, cognatorumque, & affinium ſuffragijs pendere.
Longum & prope infinitum eſſet referre no- 182
uiſſima ſæuitiæ, & rapacitatis exempla à pleriſque Nobilium, tota inſpectante Ciuitate, ne dum impune, ſed ingenti cum fructu patrata. Duos inter plurimos nominare poſſem
ex Nobiliſſimis familijs; quorum alter, tenui 183

 admo-

admodum fortuna ortus, tantas opes breui corrasit; vt quadraginta, & amplius ducatorũ millia ex emptis terrarum Dynastijs, haberet in annuos redditus: alter vero sicarijs sẽper, tamquã satellitio cinctus, parum duce-
184 ret, quem libuisset leuissimis de causis neci dare, ni contumelijs prius, tormentisque Tyrannorum instar cruciasset; vt mirum nemini videri debeat: illũ priorem ad tantam licentiã deuenisse, vt palam ac publicè cũ vectigalium redemptoribus de numero inuehendarũ in Ciuitatẽ mercium pacisceretur, quæ quod il-
185 lis debebatur lege vectigal, sibi per summã iniuriã pensitarent; in præmiũ promissæ in reliquis abstinentiæ, ea confidentia, vt prælato titulo rapacissimi nominis, muliones Rhedarij, cęterique huius generis homines, domũ eius tamquã teloniũ quoddã impudentissime frequentarent: hunc verò posteriorẽ eam hominũ carnificinã profiteri, veritum nõ fuisse, qua à Duce Medinæ successori Pro-
186 uinciã dimissuro, de triginta & amplius atrocissimis patratis criminibus gratiã sibi fieri, vnico rescripto petierit, obtinueritque. Tãta
haec

hæc ſcelera minus inuidioſam faciebant arro-
gantiam, qua vniuerſus Equeſtris Ordo ad-
uerſus populares vtebatur, quos non tamquã
eiuſdem Ciuitatis, eiuſdemquè ferè ſanguinis
Ciues, & vnà cum eis eadem ſorte compoſi- 187
tos, ſub eodem Hyſpanorum dominatu, ſed
quaſi pretio emptos, contemptui habebant;
facilè tolerantes, ob ſummam erga Nobilita-
tem venerationem, cui inſueuerant.

Hos rei Naepolitanæ ſatiſcentis hiatus, be-
ne nouerant cũ feciſſent Regij Adminiſtrato-
res; ſed adeò alieni erant à ſtudio committen-
di iterũ membra, corpuſquè reparandum; vt
aucta Nobilitatis audacia, multiplicatiſquè diſ-
ſidiorum cauſis, augerent potius, & dilatarẽt:
quaſi verò ruina imminens, ad vicinos nõ ad
Dominum pertineret. Populi namquè pars
illa, cui (vt aptiſsimè ſapiens) vna ex annona
Reipublicæ cura, egerrime ferre, in Ciuitate 189
fertiliſsimi ſoli premi ſe penuriæ malis, nec ta-
cebat; ſed numero tuta, & vilitate ſecura, paſ-
ſim obſtrepere, nec tẽperare conuicijs, No-
bilitatiſqué præcipuos, inuidiæ proximiores,
palã proditores Patriæ appellare: quæ cõuicia 190

quò

quò magis, & verius iactabantur, eò inſanabilius vulnerabant eorum animos, qui propte-
191 rea inclementiſſimè contra plebis commoda
ſæuiebant: laudibus tamen celebrabantur ijdē
à Proregibus; qui vt promptiores ſeruitio haberent, cæteroſquè æmulatione accenderent, meliorum eos partium, fideiquè & obſequij erga Regem præcipuos, in ore, & in honore
192 habebant. Hinc ineluctabilis rerū Neapolitanorum interitus, quibus alendis eo cibo opus erat, quo præſentiſſimam traherentur ad necem. Tanti refert rerum opportunitates ſine diſcrimine praui, vel honeſti captare; vtilitatemq; ſolo fructu, non cauſis metiri.

193 Introſpexit hæc omnia, quo erat ingenij acumine nouus Prorex, & certus non diſſimulare, vltrà quàm neceſſe eſſet, nephariorū hominum auſus, purgare cæpit Ciuitatem,
194 & Regnum Sicarijs, & perduellione damnatis, alijſquè nefarijs hominibus: ſed illa grauior vrgebat cura, qua ſcilicet via, aut ratione, inter tot difficultates, pecunias cogeret, in
194 Galliam Citeriorem tranſmittendas, in vsū belli, vrgentibus Regijs iuſſis; & ſupra omnia
iuſſa,

iuſſa, monitis, & precibus Aloyſij ſororij, qui horum ſpe ſubſidiorum Comiti Stabuli Caſtellæ perſuaſerat; vt is homo nequaquã militaris, licet tenaciſſimus recti, difficillimã illã Prouinciam, vndique ab hoſtibus oppugnatam, adminiſtrandam ſuſciperet.

Sed propiores curæ Proregis animum ad 196
alia traxerunt. Illa leuior ex Admirati faſtu, qui Romam profectus honorariam legationẽ apud Summum Pontificem Regis iuſſu obiturus, inutili leuitate iactauerat, ſe erga Eſtẽ- 198
ſem Cardinalem nec ſolemnia viſitationis officia præbiturum; & ne quidem ſi caſu inter vagandum per Vrbem ei occurreret, currum honoris cauſa cohibiturum. Crimini dabat, 199
eum deſertis Auſtriacis partibus, Gallis palã adhæſiſſe; quod ferendum non cenſebat ab Eſtenſibus, cuius Gentis Princeps Mutinæ, & Rhegij Lepidi Dux, Cardinalis frater, clientelari obſequio Imperatori Auſtriaco obnoxius eſſet. Iactantia hæc Aulam illam, pẽdentem totam ab his, & huiuſmodi alijs officioſis ſignificationibus, ne inter inimicos quidem intermitti ſolitis, haud parum turbauit:

Car-

Cardinalis verò, ad quem iniuria pertinebat;
200 publicè profeſſus, nè flocci ſe quidem facere
Admirati viſitationis officia, quibus longè digniora peteret, quam præſtaret: quoad currũ
verò in occurſu ſiſtendum attineret, non defuturum in re præſenti ſe ſibi, dignitatiue
201 Cardinalitiæ, præſeferebat. Hinc ſtatim per
Ciuitatem vniuerſam, talium auidam ſpargi-
202 tur rumor: Eſtenſem Cardinalem, vel nolẽtem addacturum Admiratum, honoris cauſa
currum ſiſtere; rumorem auget armorum,
203 virorumquè copia, quæ tamquam ad bellum
palam vndique cogebatur, nudantibus certa-
204 tim ſtudia partium illis, qui prò Auſtriacis ſtabant, quorum Romæ cuiuſcumque ordinis
magnus ſemper eſt numerus; facile augẽdus
205 pro libito, ſi res poſceret, ex vicino Neapolitano Regno: Hinc primis illis diebus vulgò
increbuit, Admiratum haud dubiè rem obtẽ-
206 turum; ſed excelſo animo Eſtenſis, certus nõ
cedere, numeroſa & ſplẽdida familia cinctus,
ex honorarijs ferè omnibus Aulicis Eſtenſi
Domui addictiſſimis compoſita, plurimiſquè
clientelis fræcus, quas tum Romæ, tum in

vniuersa Pontificia ditione, & ipse sibi officijs, & splendore vitæ quæsierat, & à Maioribus acceptas fouebat; parare arma, sacrũquè purpuratum Ordinem, cuius causa agebatur, 207
in partes trahere, contranitentibus magno numero, nec minori auctoritate, Hyspano nomini addictis Cardinalibus, qui amore partium Admirato fauebant.

Inter omnes verò, qui Estensi adfuerunt, 209
pręcipua fuit opera Cardinalis Grimaldi, qui Gallorũ partes paulò ante susceptas, ea tunc in causa maximè periclitari cognoscebat, & ad suã existimationem pertinere; Si Princeps Estensis aliqua, quantumuis leui, ex suscepta pro Gallicis partibus contentione, ignominia aspergeretur. Fuerat is ante Cardinalatum 210
Vrbis Gubernator, & in Vmbria, alijsquè Pontificijs ditionibus, plures gesserat Præfecturas; vtquè erat, præter Aulicum morẽ, moribus apertissimis ijsquè integerrimis, prõptus officijs, beneficijsq; & ad hominũ volũtates demerendas, apprimè natus; plurimas vbique clientelas sibi parauerat, sed cui lon- 211
ge maximũ robur à Barberinorũ fratrũ assecLis

accedebat; quibus Roma profugis, Gallia in
quam se receperant, patrocinium ipso Car-
dinale in primis adnitente promiserat. Hi
namque numero plures, conditionequè in
212 vniuersa ditione Pontificia pręcipui, quos be-
neficia longæui, & fęlicissimi Principatus sub
Vrbano patruo Summo Pontifice peperere;
à Grimaldo appellati ijs studijs descenderunt
in partes, ac si de Barberinis reducendis age-
219 rętur, euocatisquè armatis Vrbem implebãt:
vt Estensis causa, Purpuratorum decreto iam
melior (qui communi consilio denunciari
iusserant Admirato: satiùs fore, eum ab ijs
officijs abstinere, quæ discrimina sererent in-
ter Cardinales, in malũ publicum haud dubié
220 eruptura,) armis iàm etiam potior appareret;
præsertim cum Dux Arcos, de suppetijs sub-
ministrandis interpellatus; constantissimè ne-
gauisset; ratus haud digna ex causa tantum
221 motum cieri. Qua spe deiectus Admiratus,
territusq; Estensis constantia, qui postquam
cognouisset, eum cum armatorũ cateruis, per
Vrbem vagari; vim parabat adeò nõ dissimu-
222 lanter, vt Cardinalis Grimaldus associatus
Car-

Cardinali Valenzè militari viro, numerofiffi-
ma cum cohorte iuftis armis inftructa, & tã- 223
tum non fub fignis, promptus aduenerit, va-
fa collegit, fequè domum trepidus reduxit,
eaquè femina concordiæ iaci paffus eft, qui-
bus & quies Vrbi (quę in incerto fluctuaue-
rat) reftituta eft, & officia eadem inter Car- 225
dinales, & Regum Legatos promifcuè retẽ-
ta funt, quæ mos vetuftiffimus fecerat folem-
nia. Proregem autem, magna in his turbis
non fouendis, prudentia vfum, alia & potior
caufa quam innuebam, aperuit.

Siuè alieni fuerint ab Italicis rebus toto hoc 226
bello (vt credi volũt) Galli; fiuè quia cogno-
uerint, illud ab Italiæ Principibus auerfari;
feù veriùs conducibilius exiftimauerint tueri,
quæ parta habent in fubalpinis, & Montefer-
rato; oftentatifquè in Gallia Cifalpina tantũ-
modo armis, hoftium animos fufpenfos tene-
re, virefquè diftrahere; fiuè alia ex caufa, illud
certiffimo experimento docuere: abhorrere
fe ab Italico bello; dum illo exardefcente inter 227
Vrbanum Summum Pontificem, & fęderа-
tos Principes, quantum diligentia quantum
H 2 aucto-

auctoritate valuerunt conniſi, miſſo etiam
228 in Italiam cum ſumma auctoritate Regio Legato Cardinali Bichio, nullo alio adiutore, pace tandem conciliata, illud extinxere. Sed iniquiſſimo Italiæ fato (liceat ad infamiã auertendam, Poetarũ figmentis imputare, quæ mores hominum, æquitatis impatientes, deliquerunt) factum fuit, vt ijdem Galli, qui vniuerſo belli huiuſce pondere in vtramque
229 Germaniam, Hiſpaniamq; Tarraconenſem, incubuerant, vel nolentes in Italiam traherẽtur. Quandoquidem pace inita, quam commemorabam, & per mortem Vrbani Summi Pontificis, dato ſucceſſore Innocentio Sãctiſſimo ex Gente Pamphilia, quò manifeſtius auerſantibus Gallis, eò procliuius, ardentiuſquè Auſtriaca factione promouente, primas partes egit in diuinis illis comitijs, extollẽdoq; ad ſummum inter Chriſtianos apicem Inno-
230 centio Ioannes Carolus Cardinalis Medicęus: qui Magni in Hetruria Ducis frater, inimicitias, quas in bello contra Pontificis fratris filios exercuiſſe, fęderatos excuſabat, non iniquum putabat, poſt pacem contra Cardinales fra-

fratres, totamquè familiam Barberinam redintegrare; eiuſdemquè ſtomachi ſocios habebat, quos belli, & pacis habuerat Venetos.
Ergo Mediceus, aſſumptis adiutoribus Legatis Venetis, Innocentij animum, tanto beneficio deuinctum, contra fratres Barberinos incitare, Quietis oſores, peſtes pacis publicę, „ fures, alijſquè odioſis nominibus eos identidẽ, „ appellando: & per quorum ſuperbiam, qua, „ gradum fecerant ad rapinam, non ſtetiſſet, „ quò minus inextinguibili incendio Italia vni- „ uerſa conflagaret. Darent tandem pænas pio, „ ſub Principe Prouincijs, quas bellorum incẽ- „ dijs vaſtaſſent, Pontificiæ ditioni, quam tri- „ butis exhauſiſſent; Ordini Eccleſiaſtico, quẽ, „ ad ſaga compulſum dehoneſtaſſent; Ærario, „ Apoſtolico, quod expilaſſent; ſacrilegas nec, „ etiam manus à ſanctiore illo theſauro abſti- „ nentes, quem in Adriana mole ad extrema, „ Sanctæ Eccleſiæ prudens ſummorũ Pontifi- „ cum cura ſepoſuerat, ſacraueratquè: indignũ, „ profectò eſſe, ſedente Innocentio, ad ſanan- „ da Eccleſiæ vulnera diuinitùs aſſumpto, Bar- „ berinos, qui ea altius inflixerant, Tyrannidis, „

231

tantę,

„tantæ, & tamdiù exercitæ reos, ne dum in-
„ultos, ſed ſplendidiſſimis, opulentiſſimiſquè
„ſacerdotijs ſuperbos pati; eadem tentaturos
„haud dubiè ſub Innocentio, ni audaciæ pęna
„occurratur, æqualium, nedum ſuperiorum„
„intoleranti.

232 His concinebant Hyſpani, quibus Vrbani memoria ingrata erat, quē mediū cum ęgrè tuliſſent, inimicū interpretabantur; & ex
233 fratribus Cardinalibus alterum apertè hoſtē, alterum parum conſtantem amicum experti fuerant. Immoto tamen ad hæc, & pleraq; alia Innocentio, qui probè intelligeret, quò & quorsū talia dicerentur; memorquè eſſet, ſe nonniſi ingenti vtriuſque fratris Barberini opera tantā dignitatem adeptum, ſummoque vtriuſque conatu: quorum alter Regis Galliarum gratiam, à qua totus pendebat; alter verò omne ſtudiū, & Barberinicæ factionis vires, quæ plurimū in Comitijs illis poterant, & cuius hic Princeps fuerat; poſtpoſita etiam fra-
234 tris ſalute impendiſſent. Illa etiā tacita mordebat Innocentij animum cura; quomodo Galli eam accepturi, laturiquè eſſent electionem,

nem, cui apertè cõtradixiſſent: nec deerant
acres ſtimuli ex chirographis, qui inter Callũ
Oratorem, & Marchionem Theodulum
commeauerant de Pontificia electione, quo- 235
rum autografa penes Cardinalem Antonium
erant; ex quibus ſacra illa Comitia vulgi ſer-
monibus diſtrahebantur: vndè importunum
rebus ſuis arbitrabatur, Barberinos laceſsere.
Certus tamen Mediceum, Aſſeclaſquè repul-
ſa non alienare; rogare primum (quod mol-
liſſimum eſt negandi genus) vt parcerent, &
quieti publicæ iniurias darent, ſatis irarum
viſum, ſatis calamitatũ, nec Barberinos amiſ-
ſo patruo, & quod Patruo charius erat, Im-
perio amiſſo, obærato patrimonio, funeſtiſ-
ſimi belli apud omnes reos, meritæquè inui-
diæ expoſitos, leues admiſſorum ſoluere pę-
nas, grauiores haud dubiè daturos, ni ſè in
ordinem coactos tandem meminiſſent, di-
diciſſentquè, æquò iure cum cæteris viuere.
Nihil remittente Mediceo, recenti apud Sũ-
mum Pontificem merito feroci, & Hyſpano- 237
rũ fauore valido: Innocentius, vt erat aulicis
artibus plenè inſtructus, & verſare hominũ

ani-

animos diù assuetus, blandissimis verbis in-
gentia eius merita extollere, negare, se æqua-
» lem vnquam gratiam relaturum, effusis licèt
» in eius sinu vniuersi Pontificatus opibus: quę
» dè Barberinis recenset, sibi memorię esse, &
» cordi futura; illa, & cætera omnia Principa-
» tus munia, non sine eius consilio, suo tem-
» pore dispositurum, consilia namque tempo-
» rum esse, sapienter olim dictum; eorumdē-
» què ingentia esse beneficia, se longa experiē-
» tia didicisse.

Sed quò lentior erat Innocentius à violan-
dis Barberinis impulsu fęderatorum, Hispa-
norumque, vt suspicionum querelarumquè
occasionem longius arceret; eò promptior
erat, proniorquè in cæteris eorum desiderijs,
quę adumbrata licèt eò collineabāt omnia, vt
eum à Gallis Barberinisq; quàm maxime fa-
cerent alienum. Quæ consilia aperuerunt,
& iuuere non parum nuptiæ statim ab inito
Pontificatu eorū auctoritate conciliatæ inter
Pontificiam ex fratre Neptem, & Ludoui-
237 sium Principem factioni Hispanicæ addictis-
simum; inter gentis illius proceres adlectum,

eum-

eumdemquè apertas inimicitias cum Barberinis exercentem. Nec minus promouit ſpecioſum illud conſilium, quo S. Pontifici auctores fuere, vt aſſumpto ad Cardinalitiam purpuram Camillo fratris filio, in quo vno 239
ſpes propagandæ familiæ Pamphiliæ nitebatur, eam ſimul demerent ſpem coniugij eius cum Thadæi Præfecti Vrbis, & Cardinaliũ Barberinorum fratris filia; de quo ad arctius 240
iungendas has familias ſermo haud quaquam otioſus fuerat, inſtantibus comitijs Põtificijs. Quorum nepotum inuicem conſpirantium, ſtimulis artibuſquè, Ludouiſij præcipuè, cui ob recentem affinitatem maior apud Pontificem auctoritas, alienatior Innocentius in dies 241
à Barberinis erat: quos etiam cõtemnere cæperat, dum totam è Gallia tempeſtatem ſuper Cardinalem Antonium exoneratam vidit, protectione exutum, codicilliſquè ignominioſis ab Oratore Gallico prohibitum, Regia inſignia prælata domui foribus habere; ſibi verò vti legitimo Petri ſucceſſori per certũ Oratorem tantam dignitatem gratulatum mitti, 242
oblato etiam Camillo nepoti Cardinali pin-

gui ſacerdotio vt iam fruſtrà dubitaret de illo obſequio, quod etiã muneribus præſtaretur. Quin etiam (vt facilius humanum animum occupat confidentia, quò magis ex inſperato locum deſerit timor) cõſtans eum cæpit opi-
243 nio; quam ad comitia Pontificia contrà ipſum attulerat à Gallia Bichius Cardinalis interceſſionem, non ex animi Regis, Regiorumue Adminiſtrorum proueniſſe ſententia; ſed fallacia Cardinalis Mazzarinij Antonio Cardinali coniunctiſsimi ſurreptam, quem etiam Mazzarinum vti alienigenam,& in Aula mutationibus facili nullis præſidijs ſuſtultũ, breui præcaria potentia non ſine ruina caſurum ſibi credulus perſuaſerat.

Hac igitur confidentia ſecurior Hyſpanoruuı rebus largius fauere viſus: nam ſupra ingentem pecuniæ vim, quam ex Eccleſiarũ bonis in vſus belli initio Pontificatus indulſit,
244 ad Cardinalatũ promouit ſeù ſtudijs,ſeù natura ferè omnes Hyſpanis addictos, nullum
245 Gallis. Luſitaniæ verò Ioannem ne dũ Vrbani exemplo, Regem agnoſcere recuſauit; verum atrociſſimas iniurias eidem in Aula

ipſa illatas præterijſſe credebatur: cum enim Ioãnes per certum clericalis ordinis Virum 246
à Sancta ſede enixius flagitatum miſiſſet; vt ij, quos nominabat pietate, & literis præſtantes in Paſtores Eccleſiarum viduarum de more aſſumerentur; hunc pio operi intentum, & 247
nihil tale metuentem, ſicarij in Vrbe media de die pluribus ſcloporum ictibus ad mortem impetiunt: quod atrociſſimum facinus, ad cuius ſtrepitum inhorruerat Romana Ciuitas vniuerſa, mandato Comitis de Siruela Hyſpani Oratoris, vt credebatur, patratum, Sũmus Pontifex ſeuerius vltus non eſt, quàm 248
interdicto in poſterum Oratori ad ſe aditu; poſtulatis verò Luſitanicis ità ſe in Purpuratorum Senatu annuere dixit, vt tamen non ad cuiuſcumquè nominationem electos Epi- 249
ſcopos appareret, quod præcipuè à Ioanne in argumentum Regiæ poteſtatis, petebatur.
Quæ eò grauiora Gallis accidebant, quò par- 250
cius ſecum agi putarent; qui nec Regis nomine obtinere potuiſſent, dedi ſibi nobilẽ quẽdam Gallum Romæ carceribus mancipatum, coniurationis reũ in Cardinalem Mazzarinũ,

251 nec Reginæ matris precibus ad Cardinalatũ promoueri Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtrũ, 252 eiuſdem Mazzarini fratrem germanum, magna ſanè offenſione eius, cuius ſecuritati, & ſplendori hæc omnia curabantur; qui quoti-
253 die magis Aula in illa validus, dum Regios inter Proceres, Regiſquè Matrẽ medius, omnes ex æquo colit, acceptus viciſſim omnibus, ſupra omnes extollitur auctoritate.

254 Tunc demum opportunitas viſa aggredi Barberinos, & à Cardinali Antonio incipere; quẽ incuſtodita adoleſcentia, tempore Vrbani Pontificis, opportuniorem iniuriæ faciebat. Braceſius quidã Cardinali acceptiſſimus, magna immiſſa ſatellitum turba, in ędes Car-
256 dinalis ad Quirinalem, pene in illius cubiculo capitur noctis tempore, eo addito iniuriæ ludibrio, quo Braceſio iam capto, petitum fuerit à Cardinali Pontificis verbis, vt permit-
257 teret capi: Crimini dabatur Braceſio Bononiæ, belli tempore, cui ſummo cum imperio Cardinalis Antonius præerat, Moniales quaſdã, poſt expletam in eis libidinem, neci dediſſe; nec à conſcientia ſaltem, & diſſimula-

tione

tione tãti ſceleris Cardinalis ipſe eximebatur. Qui iam diù cognitis inimicorum conſilijs,& curis moleſtiſſimis agitatus, cum nihil certi è Gallia rediret, quò ad reparandam Regis gratiam certos homines miſerat certioribus cum
mãdatis, iter quod diù voluebat animo, clàm 259
arripuit in Galliam, nè petita quidem à ſummo Pontifice venia. Quod factum, maleuolorum ſtimulis in diminutionem Pontificiæ dignitatis interpretatus Innocentius, Summi
Queſtoris, & Arcipresbiteratus ad Sanctam 260
Mariam Maiorem munera, nulla habita ratione eorum, quibus,de more Cardinalis Antonius ante diſceſſum vices mandauerat ſuas; Cardinalibus alijs delegat exercenda; mox re-
ſcripto ad Cameræ Apoſtolicæ Delegatum, 261
damnato Cardinalis Antonij receſſu, ſe incõſultò, fructus omnes ſacerdotiorũ eius quorumcunquè, & aliorum bonorum, ſub ſequeſtro poni iuſſit; grauioraq; in dies timebantur. Inter quæ Franciſcus Cardinalis frater, qui
fruſtrà tentauerat, probare Pontifici iuſtam 262
cauſam fraterni diſceſſus, pendere iuſſit præ
foribus domorum omnium fratrum Barbe- 263
rino-

rinorum, inſignia Regis Gallorum. Qua
ſubita re ictus Innocentius, exacerbatuſquè,
264 quaſi contra ipſius auctoritatem hac Gallici
obſequij profeſſione præſidium quæreretur,
ſuorum tandem cõſilijs regendum ſe totum
265 permiſit contra Barberinos; nouumq; inſti-
tuit, ſumma cum auctoritate Concilium, ad
repetẽdas rationes geſtorum à fratribus Bar-
berinis Vrbani tempore, cui Concilio Præ-
ſidem dedit Sfortiam, quem ipſe creauerat
Cardinalem virum promptum ſibi, ſuiſqué
266 fidum, nec minus Barberinis infenſum, quo-
rum ſpolijs hominem ornauerat, permiſſa ei
Queſturæ adminiſtratione. Cuius quidem
268 Concilij ſeuiſſimis decretis tandem cedens
ipſemet Franciſcus Cardinalis, vnà cum fra-
tre Vrbis Præfecto, totaq; familia, Antonium
fratrem benigniſſimè iam, & honorificentiſ-
ſimè exceptum, ſequutus eſt in Galliam.
269 Hæc, aliaquè non leuiora, in ſui cõtemp-
tùm interpretantes Galli, eò impatientius to-
lerabant, quò fęlicius expeditiones eorum bel-
licæ vbique fluebant ad votum; certiquè Bar-
berinis non deeſſe, quos in ſui odium ab ho-
ſtium

ſtium ſuorum conatibus premi non dubita-
bant, Mazzarino auctore, ſuaſore Grimaldo 270
ab Roma identidem intonante leniter agen-
do nihil profici; nihilq; deſperandũ ſi vi age-
retur; tandem belli conſilia, & vires in Italiã 271
conuerterunt: non quidem contra Pontifi-
cias ditiones, quas vt Gallicum beneficium, 272
inuiolatas ſeruari, tueriquè, ad ipſorum pie-
tatem non minus, quam exiſtimationem in-
tereſſe putant; ſed meditata aggreſſione con-
trà præſidia Hyſpanornm ad littora Hetru- 273
riæ ſita; (exuuias ſcilicet è Senenſi Republi-
ca,) rati haud difficile eſſe, ſi iuſtis armis pe-
terentur, intercipi ſaltem aliqua ex eis poſſe;
indequè Medicæos, Pontificioſq; repugnan- 274
tes, belli incommodis; quieſcentes verò, belli
timore ad ſaniora de re publica, priuataquè
Barberinorum ſumenda conſilia vel inuitos 275
adigere. Nec mora, ingenti adornata celſarũ
nauium, triremiumq; claſſe in Gallia Narbo- 276
nenſi ſub Frõſacco Duce, feruidi ingenij ado-
leſcente, quiquè ingentes diuitias priuatim
nactus, ex opulentiſſima Cardinalis à Richie-
lieù hæreditate, publicè in belli vſus profun-

dere

dere non dubitabat: Hanc militibus, classia-
277 rijsquè instructissimam Thomas ex Sabaudiæ
Principibus, & totius expeditionis Dux ad
vada Sabatia, cum flore veteranæ in subalpi-
nis militię, conscendens, ad littora Hetruriæ
impulit; promõtoriumq; Voliscitanum, quà
in Occidentem Solem excurrens desinit, por-
278 tumquè ab Australibus tutum Sancti Stepha-
ni appellatione, celebrem facit, occupat; ex
positoquè milite, Orbatellum oppidum in-
ter mare & paludes situm, non minus manu,
quam natura munitum, promptis animis, spe
certissima aggreditur. Quos motus animorũ,
279 in Italia præsertim, fecerit tàm valida Gallico-
rum armorum impressio, in illius quasi vm-
bilico, non facilè exponent quibus id curæ.
Argumento sufficiat meo; Magno in Hetru-
280 ria Duci tanto fuisse terrori, vt neglectis fæ-
derum legibus, clientelariquè seruitio, quibus
ad tutelam illarum Arcium Hyspaniarũ Regi
obstringebatur; statim appellatus à Bentiuolo
Abbate, Regis Galliarum nomine, concesse-
rit, permiseritquè hosti Arcium expugnatio-
nem, præbito etiam commeatu. Innocentiũ
verò,

verò, territum antea tanti apparatus famã; 281
sed quem ea spe lactauerant sui, illum in Hyspaniam Tarraconensem destinari; subito tãtæ rei nuncio consternatum, quæstumquè sè à Medicæis desertum, nihil spei in Venetis bello Turcico implicitis, nihil in Hyspanis 282
tot cladibus afflictis, nihil in Pontificatu viribus proximo bello accisis & penè exaustis, digniora de Gallis, meliora de Barberinis disserere; Cardinalem autem Grimaldum quem 283
antea fuerat auersatus, benignè appellare, familiarius alloqui, eorumquè spem facere ad Galliæ commoda, ad Mazzarini splendorẽ, ad Barberinorum conseruationem, reiectã antea, quæ non multo post euenere.

Interea Dux Arcos Prorex Neapolis, à quo nostra discessit oratio, cuius Præfecturæ Arcium Hetruriæ tutela commissa est; audito armorum strepitu in Gallia Narbonensi, sũ- 286
ma vigilantia agere, omnia prospicere, Arcesque illas milite firmare, armis cibarijsquè omnis generis munire; quodquè super omnia valuit, Duci imperterrito, pluriumquè stipendiorum probato Carolo Gattæo 287

Neapolitano cõmendare, quem ſentiens ſub aduentum hoſtium ſe in Orbatellum incluſiſſe, omnia parare; tum quæ ipſe per ſe, ad
288 ſuppetias ferendas, totis Regni viribus poſſet; tùm quæ ab Hyſpania opus erat, claſſem ſcilicet validiſſimam iam paratam feſtinatis nuncijs accerſere. Hæ autem ſunt illæ curę, qui-
289 bus diſtractum dicebamus Proregis animum à ſtudio quærẽdæ pecuniæ in ſubſidium Mediolanenſis Prouinciæ; quæ licet longè diuerſæ, in idem tamen recidebant, difficultatis ſcilicet rei pecuniariæ, quam tamen explica-
290 tu faciliorem cauſa faciebat. Nemini, enim, mortalium dubium erat, de ſecuritate Regni Neapolitani agi, in illis Arcibus defendendis, totidem nimirum eiuſdem veluti pro-
291 pugnaculis; quibuſquè ab hoſte occupatis, apertus, planuſquè inde paucorum dierum itinere pateret aditus in ipſa Regni totius
292 interiora. Nec is exitus Proregi defuiſset, quem ferè ſemper cępta fortiter, prudenterquè adminiſtrata conſequi ſolent; fæliciſſimus, ſi per vnius ignauiam non ſtetiſſet.
293 Poſt defenſum longa, acriquè oppugnatione

Orba-

Orbatellum, post interfectum Fronsaccum 294
maritimarum virium Ductorem, post fuga-
tum, requè infecta pedem referre, cum Exer- 295
citus penè consumpti reliquijs, totius expe-
ditionis Ducem, vno verbo post victum egre-
giè; victoria frui prohibuit Marchio Visus, 296
triremium Neapolitanarum Præfectus, qui
Aulica Marchionis Sanctacrucij Patris gratia
superbus, cum nihil ex Hyspanica animi con-
fidentia præter arrogantiam hausisset, nihil-
què ex cautione prẹter prẹlij formidinem, pu-
gnari prohibuit; frustrà reclamantibus Duci- 297
bus cẹteris, militibusq; omnibus, qui certam
sibi victoriam ex hostili classe ab exequuijs pe-
rempti Ducis redeunte, nec prẹlium detre-
ctante, e manibus sibi eripi eius timiditate
indignabantur. Sed parum obfuisset non 298
vicisse; detrimentum & quidem maximum
attulit; quod auolantibus indignitate rei com-
motis Classibus Hyspaniensibus, Gallica ve- 299
rò tertiò ad Hetruriæ littora illata nouo au-
cta supplemento, nouoquè Duce Milleræo
tormentorum bellicorum per Galliam Sum-
mo Prẹfecto, Viro impigro, & multarum

300 palmarum; non ſolum is Populoniam in con-
tinenti cępit, validoquè peditum, equitum-
què pręſidio firmauit, multiplicatis etiã pro-
pugnaculis; ſed Iluę Inſulę portum, cui in-
301 trorſus in longum patenti Longoni celebre
nomen eſt, & portui imminentem Arcẽ fir-
miſſimam vi, operibuſque expugnauit; no-
uiſquè auctam munitionibus, firmoquè mu-
nitam pręſidio, clauſtra Tyrreni maris Gallis
attribuit, vt fructus defenſi Orbatelli, ſi glo-
riam demas, ne dum citò perierit omnis, ſed
in damnum ceſſerit longe detrimentoſius.
302 His peragendis, Ducem Arcos ingentem
vim pecunię impendiſſe, dicere non eſt opus:
illud ad rem noſtram non prętereundum, cũ
aliundè facultas non ſuppeteret, acciſis omni-
bus Regni neruis; Auctorẽ illum, vel inuitũ
fuiſſe Curatoribus Ciuitatis, ſummaquè con-
tentione, ſolitiſquè artibus obtinuiſſe, vt in
ſubſidium periclitantis Reipublicę, ad confi-
cienda centies decies ducatorum millia, quę
303 Ciuitas vltronea in ſpeciem largitione obtu-
lerat Regi, nouum ſuper arborum fructibus
304 imponeretur vectigal, minutatim illud qui-
dem,

dem, & ſingulis diebus, omni futuro tempore, & ab omnibus exigendum, vnica tamen venditione, & pretio, præſenti pecunia, vt expoſuimus, diſtrahendum. Cuius ſubſidij

ſpes proxima, fidem vtcumque reſtituit, 305
& cum fide, tantam attulit pecu-
niæ vim, quæ abſtinentiſſimo,
vigilantiſſimoquè Proregi 306
ad vſus illius belli, fe-
cerit ſatis.

ORI-

ORITVR, ALITVRQVE NEAPOLItana Seditio.

LIBER SECVNDVS.

1 FErtiliſſimus Neapolitanus Ager fælicium arborũ fructibus exuberat adeo, vt Neapolitana plebs pretij vilitate alliciente, nullo alio eduliorum genere frequentiùs auidiùſq; veſcatur: indèque neceſſariò conſequebatur;
2 grauiora apud populos omnes circa rem cibariam indictiones, & onera, apud Neapolitanos grauiſſima, quæ circa fructus indicuntur, cenſeri.

Nouerat id quidem Dux de Arcos Prorex, & alieno malo didicerat, ab vſque Oſſunę temporibus intolerantiam plebis Neapolita-
3 næ odioſiſſimi vectigalis; eò contumacioris ad iugum illud ſubeundum futuræ, quò libentiùs idem olim excuſiſſet. Hinc licèt Prorex ſtrepentibus ad Etruriæ littora Gallicis armis;
4 ſummo ſtuſtio curauiſſet, obtinuiſſetque à ſex viris Curatoribus Ciuitatis vltro elargiri in belli ſubſidium decies centena ducatorum millia

millia Hyſpaniarnm Regi domino ſuo; hærebat tamen vnde potiſſimum ingentem adeò pecuniarum vim, à prægrauata iam, & penè 5
obruta ciuitate emungere poſſet; cum nullus pateret nouo vectigali locus, vetera verò tãta acerbitate exercerent Publicani, vt quod farinæ inditum, & ſæpius auctum fuerat, non ſolum ab ijs exigeretur, qui ex ea panem cõficiebant venũ expoſitum, ſed emptores etiã 6
ipſi, quaſi idem intertrimentum in eo comparando non præſenſiſſent, tamquam conſumptores farinæ vectigali obnoxiæ viritim æſtimata quantitate iterato pendere cogebantur. Nobilitas nihilominus, quæ nullum ferè ex vectigali ſuper fructibus incommodum ſentiret, id ſolum, & vnicum ad pecuniam 7
conficiendam ingerebat identidem Proregi.

Nihil propius prędicans *quàm quæ è terra, proueniunt terræ Domino penſitare; & cum, nihil affluentius ex agro Neapolitano proueniat, fælicium arborum fructibus, indignum profe-, ctò eſſe inter tot res, ſiue ad vsũ, ſiue ad ſplendo-, rem, ſiue ad neceſsitatem vitæ comparandas, vectigalibus ſupra quam ferrè poſsit prægraua-, tas,*

,*tas, ſolos arborum fructus tamquam in alieno*
,*natos immunes eſſe. Fruſtra deniq; curatum*
,*tanto ſtudio Principi donatiuum, ſi obſiſtat Pro-*
,*rex ne præſtari poſſit: ſe quidẽ fidei obſequij-*
,*que partes omnes adimpleuiſſe, & præſtituros*
,*vſque ad finem; videret ille, ne res natura ſua*
,*expeditiſſima nimia cunctatione corrumpere-*
,*tur.*

8 , Iaciente verò Prorege, *rem plenam periculi*
,*eſſe: plebem numero infinitam, lingua procacẽ,*
,*duriſſimis in rem cibariam vectigalibus præ-*
,*grauatam; fructibus etiam in ſolatium quaſi*
,*tot ærumnarum relictis quodammodo prohi-*
,*beri. Satis documenti præbuiſſe Oſſunæ tem-*
,*pora: & quãto leuiora tunc plebi Neapolitanæ*
,*onera? ſtolida etiam animalia, ſi ſupra quàm*
,*ferre poſſint ſuperingeras, & quæ ferebant pro-*
,*ijciunt.* Obſtrepentibus ad hæc Nobilibus: &
9 ,inter alios acerrimè Carolus Spinellus, inanes
,hos metus appellans: *quò maior ſit Populi Nea-*
,*politani multitudo, eò tardiorem eamdem ad*
,*motum fore ni validus adſit concitator: & non*
,*ſecus ac Maria, ni Auſter, Euruſque, aut*
,*Aquilo vehementiſſimis flatibus attollant, im-*
pellant-

pellantque, quiescunt immota; & ne dum Xersis flagellationem, sed puerorum lusus patiuntur innocua; ita multitudo, ni gratiosorum sibi hominum, & potentissimorum seditiosis flatibus intumescat, tolerat omnia, & torpet immota. Nec verendum cum nobilitas omnis Regiarum partium sit, vnum aliquem ex ea tantam rem ausurum repugnantibus cæteris: Populum verò sine nobilitate quidnam aliud, quàm cadauer truncato capite esse? ea autem in contrarium nitente, ne cadauer quidem. Cæterum vt non equi omnes, ità nec populi eodem freno reguntur; non nesciret Prorex, Neapolitanum populum suetum omnia perpeti; vnde locus dicterio factus: Pane, ac fuste moderandum. Nec satis apparere, vnde tantæ ex vectigali fructuum plebis querelæ. Errare, qui credunt aliunde, quam ex fonte aquam deriuari; non secus ac pecuniam ex siccis tenuiorum hominum fortunis exprimi, inde decepti quod humorem ex cōpressa spongia fluentem è proximo attractum aridis illius imputant venis. Quis nesciat opulentos in ciuitate homines nutrire plebem; cui si cariùs viuendum est, cariùs etiam operæ præ-

*,standæ ei sunt, quibus victitant; vt omni certi-
,tudine certius sit, quæ commeatui onera impo-
,nuntur, specie quidem ciues omnes amplecti, re
,verò eos tantùm premere, qui soluendo sint.
,Nec Ossuniana gesta in exemplum trahenda,
,nisi in detestationem, cùm Tyrannidis suspicio-
,ne, & infamia virum apud posteros magni alio-
,quin futurum nominis, aspergere potuerint.
,Denique consilium expediendi tantam pecuniæ
,vim, vel hoc vnum esse vel nullum, quod ve-
,rò ad ipsummet* Carolum *attineret, non absolu-
,tum putare se qua tenebatur erga Regem fide, ni
,allatum consilium re, & periculo suo iuuaret,
,comprobaretque, & cæteris exemplo præiret:
,Offerre igitur se quadraginta ducatorum mil-
,lia præsenti pecunia expositurum, in redemptio-
,nem vectigalis fructuum, quatenus id à curato-
,ribus Ciuitatis indiceretur.*

10 His tandem cum nulla aliunde spes affulgeret cogendæ pecuniæ, Prorex cessit, indictionique luctuosi futuri vectigalis tandem assensit. Nec Spinellus oblatis defuit, sed certatim cum eo plures ex Proceribus pecuniosioribus, quas pecunias habebãt in prõptu

in

in id conferre, eò promptiùs, quò nihil rebã-
tur vtilius, quàm ex centenis nummis ſemel
impenſis denos, & amplius ſingulis annis ſi-
bi, poſteriſque in æuum omne referre; nihil 12
commodius, quam ſuis ipſis quodammodo
manibus (quibus expoſuimus modis) ſata-
rum à ſe arborum fructus in Regia Ciuitate
decerpere. Id quod etiam ad augendam Pro- 13
regis confidentiam valuit; qui haud ex nihilo
profectã cupidinem hanc noui vectigalis ac-
quirẽdi in Proceribus Neapolitanis interpre-
taretur; breui experimento ſciturus, fallaciã 14
humani iudicij, dum non aliundè, quàm ex
eadẽ cupiditate ingens quod imminebat paſſa
ſit Reſpublica detrimentum.

Sed publicato noui vectigalis edicto, quo
tributi nomine tres argentei nummi caroleni
in ſingula fructuum cantaria (ponderis genus 15
ducentum ſeptuaginta quinque libris conſtãs)
indicebantur; plebs non niſi inani rumore
de Nobilitate conqueſta Delegatis præcipuè 16
inuidiæ magis expoſitis, quos paſſim tamquã
Patriæ proditores proſcindebat; campũ ape-
ruit ipſis Nobilibus iactandi apud Proregem

consilium suum; quo prædicauerant Plebem
17 non nisi inania verba ausuram : sed rerum
nescij trophęum ante certamen, ne dum ante
victoriam, statuebant.

18 Hyems tunc erat, tempus gignendis fru-
ctibus alienum; & licèt Populus Neapolita-
nus satis cognoscere posset, quæ verbis tunc
agebantur, re suo tempore præstanda esse;
non tamen eumdem doloris sensum adferūt
mala expectata, quem præsentia: & quæ ra-
tio anteuertere raró suadet, præsens necessi-
tas semper cogit; multitudinem præsertim,
apud quam quó minus ratio valet, eó valen-
19 tior impatientia dominatur. Mense igitur
Maio, in cõfinio scilicet æstatis, & veris quo
potissimum tempore terra præcoces fructus
vbiq;, sed copiosissimè in tractu Neapolitano
ob Cęli fęlicitatem effundit, super quibus exi-
20 gi cęptum nouum vectigal, argumenta non
leuia suppressæ inter plebeios impatientiæ
erumpere cęperunt. Solebat Prorex statis
diebus pietatis ergo Ecclesiam Deiparæ Vir-
ginis ad Montem Carmelum frequentare,
quæ Ecclesia ad forum rerum minutatim

vena-

venalium (vulgò mercatum dicunt) ſita eſt;
quo in foro magna ſemper degit plebis infi-
mę multitudo, pluribus, varijſq; miniſterijs,
& curis ſeruilibus intenta, vt merito forum
illud pro quodam quaſi plebuculę domicilio,
& ſentina Ciuitatis ab omnibus habeatur:
Hoc igitur ex loco dum Prorex veneratus de
more Deiparam, ſuetis cinctus ſtipatoribus,
totuſque in oſtẽtationem maieſtatis imperij
compoſitus, domum curru reuehitur; ab in-
cõdita mulierum puerorumque cingitur tur-
ba, quę ſenſim ab accurrentibus aucta, diſſo-
nis clamoribus, vocibuſque contumacioribus
quàm rogantum more, antiquari inuiſum 21
vectigal non ſine deteſtatione Nobilitatis, ef-
flagitabat. Qua ſubita re ictus Prorex, cum
parum prędidij in maieſtate imperij cerneret,
& intutum vim duceret experiri; ad lenita-
tem conuerſus, blandis verbis appellare, cõ- 22
ſolari, inuidiam facti à ſe in Ciuitatis Delega-
tos auertere; polliceri demum ſe omni ope
curaturum; vt vectigal antiquaretur. His ar-
tibus ſedata vtcumque, ſi non pacata multitu-
dine, trepidus, & conſilij anceps domum re-

gre-

greditur, regressus Collaterale Conciliū statim indicit; & accersitis tum Status, tum Belli
23 Consiliarijs, Delegatisque Ciuitatis, rē ex integro non minus verbis, quam mente commotus, magna contentione exorditur.

, *Non expectandum vt à mulieribus ad viros, à , vocibus ad manus deueniatur: quamuis si iusta , æstimatione pensitentur, quæ in foro sibi contigerunt, parum abfuerint ab infortunio, quo perniciosius nullum quantæuis manus fortiū virorum inferre dominantibus possent; dum ad preces descendendum sibi fuerit, vt imperium retineret. Peccasse se haud dubiè in permittendà , vectigalis indictione, non inopia proprij consilij, , sed quia maluerit alienum sequi, cui satis iam , datum cum ad extrema sit ventum. Non igitur , de retinendo vectigali deliberaturos conuocasse, , quod abolēdum certum iam ac decretum sibi; , sed qua ratione minori incommodo id faciendū , sit, & oppigneratæ fidei publicæ satisfaciendum; , licet Republica salua, fidei læsæ facilè subueniri , possit, quam (eadem perdita) frustra seruaueris.*

24 Non omnium in illo consessu eadem volun-

lun-

luntas, idem consilium. Erant qui Proregis angustias lætis aspicerent oculis; rati (vt res erat) opis ipsorum indigum, & obnoxiū habituros, faciliorem ad concupitas Præfecturas, indulgentioremque experturos, in conniuendo circa licentiam, qua abutebantur impunè. Aliqui prudentiores, sanioresque, vt facilè assentiebantur Proregi de pericnlo imminentis seditionis; ita, vt in ægro corpore, cui defectis iam viribus, nullum certiùs imminet mortis periculum, quàm inter ipsam curationem, hærebant incerti. Multo plures redemptione vectigalis impliciti, fortunas suas simul cum eo periclitari intelligebant. Omnes tamen per diuersa in idem mirè cōueniebant, ne vectigal antiquaretur, licèt offensionem Proregis veriti, palam profiteri non ausi, varijs circumloqutionibus, & verborū ambagibus declinarent. *Sed tandem ausus est* vnus ea proferre, quæ plures, potioresque sentiebant. Cenamus is fuit Regij Ærarij Pręfectus, qui obscurus genere, sed industrius à sordidis initijs, ad Præfecturam illā euectus, ingentes cumulauerat redemptionibus potissimum

simum

ſimum diuitias, ex quibus partem non modicam ex inſtituto in nouo fructuum vectigali expoſuerat. Cenamus (inquam) ſic orſus dicitur.

,, *Ita me ſemper, moreſque meos ab ineunte*
,, *ætate compoſui Excellentiſſimè Prorex, vt nihil*
,, *priùs, nihil antiquiùs duxerim, fide, & erga*
,, *imperantes obſequio; meumque non eſſe æſti-*
,, *mare quid, quibuſue ex cauſis iubeant ij, qui-*
,, *bus ſummum rerum iudicium Princeps attri-*
,, *buit. Plura noueram eis mandata, pluraque*
,, *credita, quæ me latere deceret, quæque diligen-*
,, *tiùs exquirere non minus illicitum, quàm an-*
,, *ceps ſit. Quam igitur obſequij gloriam ſolam*
,, *mihi relictam intelligebam ſectatus ſum, eam*
,, *ſi aſſequar, næ omniũ votorum meorum metã*
,, *attigero. Quod meum inſtitutum, in hanc diẽ,*
,, *religioſiſſimè ſeruatũ non ſine fructu, inſipiens*
,, *planè ſim ſi deſeram hodie, non ſine periculo of-*
,, *fenſionis; dum te Excellentiſſimè Domine, cui*
,, *opulentiſsimi huiuſce Regni permiſſæ habenæ*
,, *ſunt, video obfirmato animo ferri ad tollendũ*
,, *nouũ vectigal: quinimò, & ex certa animi mei*
,, *ſententia probo, & operã meã quã non inanẽ,*

in

in re pecuniaria expedienda expertus es, & à me ex munere debitam vltrò polliceor. Sed quoniam non dissimulat excellentia tua, consilium hoc à studio sedandæ erumpentis seditionis profectum esse, desciuisse me putarem ab eadem fide, & obsequio, quibus glorior, ni pro ea, quã longo rerum vsu didici, experientia, candidissimè exponerem, dubitare me, ne non incẽdatur ea potius hac indicti vectigalis abolitione. Quos timores meos postquam patefacero Excellentiæ tuæ; tunc expeditior sequar, quò duxerit; & præibo, si imperabit. Non adeo perpetuum est medicorum vulgatum illud: contrarijs contraria curari, vt quandoque etiam non irritentur, & vnda illa qua nihil aptius, nihil potentius ad flammam extinguendam, non rarò vtimur ad excitandam; quæ si in rebus inanimis de facili maiori copia ad propriam naturam reuocandis experimur. Quid in hominum cupiditatibus, nulla copia vnquam explendis, sentiendum est? Monstrosi prorsus generis animal est cupiditas, cuius fames cibo non tollitur, sed augetur, numquam nisi cum spiritu ipso ab hominum pectoribus eruenda. Cupit haud dubiè, & valdè

, cupit plebs Neapolitana, leuari se fructuum ve-
, ctigali, leuetur! quid tum? Cessabit in eis for-
, tè cupiditas, aut cessabit in quod feratur? Du-
, ra temporum conditio nos adegit ad eas vecti-
, galium indictiones, quas natura ipsa quodam-
, modo respuit. Quota pars est arborum fructus
, in tanta eduliorum copia, & varietate, qua
, hominum vita sustentatur vectigalibus prægra-
, uata? Vel rerum causas retrorsum agi opor-
, tebit, vel quò promptiùs ad plebeculæ rumorem
, fructuum vectigal tolletur, eò ardentiùs cupidi-
, tas excitabitur ad panis, vinique, & cæterorũ
, esculentorum onera excutienda, à quorum ve-
, ctigaliũ redditibus pendet salus publica, & pri-
, uatorum.

, Romana Plebs, vt à neruo, & compedibus
, obærati eximerentur, in quibus à creditoribus
, suis omnibus iniurijs expositi detinebantur, tu-
, multuari cæpit, obtinuitque tandem, æquitate
, postulatorum, & virtute in hostem suffragan-
, tibus, ne vincirentur. Quieuit ne propterea?
, Nihil minus: Quinimo successu læta, & auda-
, cior ad grauiora semper tendens; Magistratus
, suos primum voluit, eosque sacrosanctos appel-
lauit,

lauit, & fecit, per quos tamquam in acie ab hostibus vita, in Ciuitate à debito obsequio plebeiorum contumacia defenderetur, obfirmareturque; suaque placita tāquam leges sciscere voluit; nec se eis obstrinxisse contenta ciues omnes plebiscitis subiecit; indeque quasi gradu facto, suos fastidita, patritios etiam Magistratus appetijt, & ne dum obtinuit (quod ab ipsius suffragijs in campo pendebat) vt deberet omninò singulis annis vnus ex Consulibus plebeius creari, vterque posset: sed numquam quieuit, nisi postquam cum Cōsulatu, Dictaturas, Præturas, Sacerdotia, Connubia promiscua effecisset, florentissimæ Reipublicæ statu à temperata Aristocratia in licentiosam Democratiam conuerso, pænitus afflixisset. Desperes igitur Excellentissime Domine ab alijs licet hominibus alios mores, & postquam muliercularum, puerorum petulantiæ de fructibus concesseris, vt decreuisti; animum præpara ad sustinendum virorum fremitum de pane, nec eo assecuto quieturum: nec vlla spes blandiatur posse in posterum homines ab eis abstinere, quæ semel sibi, alijsue experti sunt fructuosa. Quibus si obsistendum obiectu

„ corporum nostrorum est, initijs occurramus; & „ in retinendo fructuum vectigali, farinæ, vini, „ vniuersique commeatus propugnemus vectigalia. Experti etiam bello Duces multitudine impares, in angustijs hosti occurrunt sæpè victores, quem in aperto haud quaquam sustinere potuissent; & virtutem, qua miles in acie vsus sæpè fuisset ad victoriam, frustra ferè semper reseruauit ad defensionem castrorum. Saluberrima haud dubiè res est, nulloq; Reipublicæ bono postponenda, timore seditionis ingruentis intentas laxare ad tempus habenas Imperij: sed ò (dicam equidem, non meis verbis; neque enim coram Excellentissimo Prorege auderem, sed verbis illius Bruti, cuius ore ciuilis prudentia loquebatur ad Atticũ lib. pri. epist. ad Brut.) ò (inquam) magnam stultitiam timoris, id ipsum quod verearis ita cauere; vt cum vitare fortaßè potueris, vltrò accersas, & attrahas. Cũ igitur præ te feras Excellentissime Prorex, ideo vectictal aboliturũ, vt comprimatur seditio; ego sequutus prudentissimũ consilium tuũ, illud adderem; comprimendam statim dũ tenues ei sũt vires, & per equites Neapolitanos facilè dissi-

dissipari possunt: non quidem vi (nondũ enim ad extrema ventũ) sed pro ea auctoritate, quam apud populares merito habent, & sæpius apud Excellentiam tuam iactare solent: nihilque omittendum, ne turbentur composita, vnde pendet totius huiusce Regni fidei excellentiæ tuæ commissi salus, & conseruatio.

Perorante Cenamo haud dubius fuit cæterorum Senatorum assensus; quinimò læti vnũ 28
aliquem extitisse, qui specie obsequij, & obtentu Reipublicæ rem singulorum tutatus, offensionem Proregis (si aliqua incidisset) omnem in se traheret; certatim dictis applaudere; ex oraculo voces illas profectas, nihil demum certiùs, nihil pro re nata accomodatiùs dici, aut excogitari potuisse. Prorex autem 29
non fallacijs dissentientis captus, nec immemor à se vno potestatem omnium pendere, nihilominus tanto consensui cedere, rebus suis necessarium duxit: atrocem certè imminere tempestatem Ciuitati, nimio & supra quam ferre posset pondere fatiscenti, siue tollatur, siue retineatur inuisum vectigal; parumque referre ad summam rerum, qua potissi-

tiſſimum ratione contingat, ſed valdè ad ſuas,
30 ſi dici, aut credi poſſet, id ſuo vnius conſilio,
cæteris refragrantibus contigiſſe. More apud
Hyſpanos Proceres receptiſſimo in rerũ ad-
miniſtratione à publicis ſeparantes res ſuas;
quæ illis ſemper offecerunt, ſemper officient.
31 Dato igitur negotio equeſtri ordini, vt ſpar-
ſus per Ciuitatem blandis quàm maximè ver-
bis, calamitate pręſentium temporum, & ſpe
in poſterum meliorum, plebem conſolaretur,
& ſuper omnia diſpergeret eius congreſſus.
Vt enim nihil periculi à nitrati ſulfurei pulue-
ris granis inuicem diſgregatis, à cumulatis ijſ-
dem nulla pernicies non expectanda, ſi flam-
mam concipiant. Nec alienum hoc ab equi-
tibus munus; ſi cogitauerint Cæſarem etiam,
vt Sicoris vndæ mitiores fluerent ad Illerdã,
obiectu equitum eas fregiſſe ac diſſipaſſe, trãſ-
ductiſq; per flumen lenius poſt equites fluẽs
32 copijs, prouinciam confeciſſe. Ipſe verò cer-
tus plebis licentiæ ſe in poſterum amplius nõ
committere, ſtatam viſitationem ad Deiparã
Carmelitanam intermiſit; & ne cum pieta-
tis iactura id contingeret, aliam ad eamdem
Lau-

Lauretanam inſtituit; quæ Eccleſia in via To-
letana ſita, ſplendidiſſimis ædibus exculta, vi-
riſque nobilibus habitata, longè diſtabat ab il-
la Ciuitatis ſentina.

Verumtamen nõ eodem ſtudio commiſſa 33
erga plebeios officia Nobiles peregère; vel ar-
rogantia ingenita, ne rogare viderentur; vel
inſita perſuaſione, plebem ſuam nihil ſine
ipſis auſuram, multò certius repugnantibus;
ſeù veriùs odio in Proregem, quem non latu- 34
rum eorum in plebeios tyrannidem; diutiùs
(vt dicebam) ſatis cognoſcebant; pluribus ex
præcipuis ſolum vertere, non paucis carcere
coactis, inter quos Dux Matalonæ, eiuſque 35
frater Ioſephus Carraſenſes eminebant, qui
opibus florentes, cognationibus, & affinitati-
bus, omnes ferè nobiliores Ciuitatis familias
attingebant; quod quidem odium ſatis ape-
ruit dies anniuerſarius ad recolendum ingens
illud beneficium reparatę mortalitatis, quo
Deus ipſe vt aptiſſimè faceret, homo eſſe &
fieri voluit; tantæque rei cæleſtem nuncium
ſponſæ eidem, ac Matri mox futuræ auſpica-
tiſſimum miſit: hoc enim die apud Neapoli-

tanos

tanos pietate ingenita celeberrimo, Prorex ipse sublimis in equo, magna, & exquisitissima pompa, omnibus comitatus Magistratibus, totaque comitante nobilitate ad Nunciatæ Deiparæ gratias publicè relaturus vadit. Qua in celebritate (caualcatam vocant) vniuersa ad spectaculum effusa Ciuitate, Nobiles
36 omnes aliàs ad æmulationem prompti) splẽdore, & alacritate inter se certare solent, & frequẽtissimi adesse: & tamen hoc anno adeò rari fuere, vt Prorex ne dum alienationis animorum certam coniecturam facere potuerit, sed etiam ad diminutionem Maiestatis interpretari; vt propterea die S. Io: Baptistæ sacro, eadem festiuitate de more celebrando, caussatus parcendum expensis, abstinuerit, ne iterato contemptu contumaciam augeret.

37 Inter hæc verò vt nulla ratione dici potest aucta seditio, quæ nulla erat, nullusque seditionis concitator, nullus auctor; ità certò certiùs illius causas fuisse semper magis, ac magis
38 intentas, & auctas: tùm quia cępta iam æstate, fructus arborum, doloris scilicet occasio, vberrima copia prouenirent; cum & multò maxi-

maximè, quia Panormitana in Sicilia ſeditio
illis ipſis diebus (importuno ſanè tempore) 39
ijſdem de cauſis exarſerat, ſubitaq; abolitione
vectigalium compoſita fuerat. Mirum enim
quantum ſicularum turbarum ſucceſſus, ani-
mos Neapolitanæ plebis erexerit, quę vt nihil 40
in commune cum Panormitana conſuleret,
ſatis priuatim edocebatur, & peſſimo inſtrue-
batur exemplo. Eàtenus miſeros ſe futuros,
quatenus ſe miſeros eſſe nolle aperte profite-
rentur. Nec deerant qui ex occulto ſparſis,
expoſitiſq; libellis, eadem eò licentiùs ingere-
rent, quò ſecuriùs. Ille inter cæteros celeber- 41
rimus fuit, vagauitq; per plurium ora, quo
Sicilia ſororem Neapolim admonere finge-
batur deprompto illo ex ſacra pagina carmi-
ne; exemplum enim dedi vobis vt ſicut ego
feci, ita & vos faciatis. Vt iam apud Corda-
tos viros certa, & præſens eſſet futura Neapo-
li quoque ſeditio; vſque adeò vt Ioannes Phi- 42
lippus Spinula conciuis meus, quem Neapo-
lim attraxerat fratris hæreditas ibi vita defun-
cti, acerrimi vir ingenij, & in re procuranda
diligentiſſimus; opulentam illam quidem na-

ctus hæreditatem, ſed valdè implicitam in huius generis vectigalibus (inter quæ creuerat) quouis prętio cūcta diſtraxerit, quibus empto-
43 rem præſenti pecunia inueniret, & pro lucro haberet quamcunq; etiam enormiſſimam in rebus breuì caſuris læſionem; licèt vt mihi ſępius confirmauit, non ſine aliquo doloris morsù, tot tamq; diſperſas ſarcinas ante ruinam omnes vtcumque colligere non potuiſſet.

44 Ad huc tamen ſueti Imperij veneratio, inueteratumq; erga dominantes obſequiū præualebat, nec in tanta multitudine; tantaque opportunitate vllus apparebat, qui vel rei indignitate, vel gloriæ cupidine, vel ſpe amplio-
45 ris fortunæ profiteri palā auderet, quod omnes tacitè ſentiebant, ſeque Ducem cupientiſſimis offerret; ſine quo nec pecora paſtum exeunt, nec vnquam auditum, auſum fuiſſe
24 populum aliquem ſeditionem. Sed quæ Natura ipſa cogit, humana non indigent deliberatione; & mulier pręgnans vbi ad maturitatem peruenit, partum edit etiā inuita. Erupturæ igitur ſeditionis inditium ſimul, & oſtē-

tum

tum ex flammis ortum, quibus conflagrauit 46
lignea caſula illa, quæ ex temporaneo opere in
foro excitata receptum præbebat ijs, qui mi-
niſterio exigendi inuiſi vectigalis inſeruiebãt;
prȩnunciantibus ſcilicet lugubriores illas, &
latiores flammas, quæ mox vagaturȩ erant
per regias illorum Procerum ædes, qui apud
vulgum indictorum vectigalium infames erãt.
Ergo non vltra diem ſeptimam menſis Iulij 47
qui erat Dominicus dilata calamitas,leuiſſimis
illa quidem de cauſis, ſi more vulgi occaſio-
nes à cauſis non ſeparentur, tali initio.

Ruſtici quidam non pauci ſummo mane
Puteolis in forum, magnam fructuum copiã
apportauerant vendituri de more, nec deerat
emptorum copia maior ex plebe; ſed orta in- 48
ter eos controuerſia, cui potiſſimum ex con-
trahentibus incumberet onus ſoluendi vecti-
galis, Ruſtici, qui non magis inſtructi fru-
ctibus, quam pecunia inanes aduenerant; nec
dicacitati vel petulantiæ plebis pares eſſent in-
dignari, fremere, ad Palatium demum aduo-
lare, benignèq; admiſſi, querelas ſuas ad Pro-
regem deferunt, quam tumultuoſiſſimè.

, Arbores suas fructus gignere, non pecuniã: , illi si petantur (indignũ quidem esse priuari se ,solatio ingentiũ laborum totius anni) præstari , tamen posse; quæ verò negat Natura, frustra , imperari sibi, nisi simul eodem imperio illa adi- ,gatur, pro ficubus pomisue, gignere carolenos, , ducatosque.

50 Hos, verbis quam blandissimis appellatos Prorex ad Didacum Bernardum de Suphia Præsidẽ delegat; qui ex Collateralibus vnus pro munere habebat, illa in Ciuitate curare, quæ pertinent ad rem cibariam (Præsidem Grassię vocant) qui increpuit eos, primum, accersito dein Populi Delegato (Andręas
51 Anaclerius is erat) ei imperat, vt statim cum Rusticis illis se conferat ad forum: controuersiam dirimat, contumaces castiget, & super omnia turbas sedet, quietem seruet.

Is tractandis plebeiorum animis assuetus, diùque in eodem munere (iniuria temporũ) retentus, & supra vires audax, prouinciam alacri animo suscipit, nec minori confidentia se in forum proripit. Vbi controuersiam re-
52 perit re, & numero auctam, & oppidò satis

impli-

implicitam; vt enim æquius planè, & expeditius erat pecuniæ partem, prætij nomine, ab emptore ſoluendæ ruſtico, cedere Publicano; ita inexplicabile prorſus pretiorũ quotas in tot minutis non eiuſdem rei, nec numeri, emptoribus ſtabilire. Cuius difficultatis cum exitum nullum inueniret Delegatus, nec dilationem res pateretur, memor eorũ,
quæ ſibi poſtremis verbis iuſſerat Præſes, li- 53
tem adiudicauit plebeis, quibus delinitis, & ad partes ſuas illo beneficio tractis, nil publicæ quieti timendum erat à Ruſticis illis quãtauis irritatis iniuria. Sed ſi vnquam aliàs exitus ille aperuit; intutam eſſe ſpreta Iuſtitia ſa-
gacitatem: rerum namque ipſa Natura ab au- 54
ctore ſuo Iuſtitiam edocta, vt eam ſeruet, & tueatur; impetu quodam mortalibus incomperto, in formas omnes verus Protheus ſe vertit, ne ſine aliquo ſaltem piaculo Sãctiſſimum Numen à quopiam violetur. Quid ni? ex ruſticis illis vnus, quem ſententię iniquitas altiùs fixerat; non excitauit ille quidem ſeditionem in plebem eadem iniuria lætam, vt non malè coniecerat peſſimus Iudex; ſed indigni-

dignitate commotus, pecuniam poſci per eos ipſos fructus, quos pecuniæ vacuus ad illam conſequendam adduxerat; rusticanas corbes fructibus plenas vltrò euertit, effuditque in foro, contenta voce fatus ad plebem.

, *Abuterentur porrò ijs, poſt hac per ſe cari-*
, *turi; poſtea quam malitia illorum, à quibus pu-*
, *blica adminiſtratio pendebat, impedimento erat,*
, *ne cuncti ex æqua frui poſſent vbertate terrarũ,*
, *quam Deus dediſſet.*

His vocibus auiditas illa, quæ vix in illo ho-
muncionum, puerorumq; grege ſe contine-
55 bat, laxata ad effuſos fructus, certatim accur-
rere, rapere, vorare; nec effuſis contenti ad
ruſticos tenaciores conuerſi ciſtas, corbeſque
pariter euertere, reſiſtentes propellere, di-
56 cterijs irridere, manu calce impetere, & quaſi
vnius liberalitas in cęteros etiam licẽtiam de-
diſſet, fructus omnes in foro vniuerſo prædę
loco habere. Delegatum verò reſiſtere auſũ
verbiſque aſperis obiurgantem, manuq; reni-
tentem, contemnere primò, irridere deinde,
57 ijſdem demum fructibus, & exinde ſaxis im-
petitum è foro proturbant; furem eum, &

populi

populi proditorem identidem (neutrum fal-
ſo) maximis clamoribus proſcindentes, dete-
ſtanteſque; qui vix propinqui maris auxilio
cimba periculo ereptus obſtupuit, vel obſtu-
peſcere potuit; illud idem decretum ſuum 58
aptum natumque, & factum ad leniendam,
demerendamque multitudinem, iniuria vitia-
tum adeo degeneraſſe inexcogitabilibus mo-
dis, vt ne dum prorſus alienauerit, ſed turbu-
lentiſſimam omnium excitauerit ſeditionem. 59
Multitudo verò poſt exturbatum foro De-
legatum, atrocitate facinoris attonita, & con- 60
trouerſiarum cum ruſticis oblita, hærere pri-
mum; mox nudatis iam ſtudijs furens intu-
meſcere, ad libertatem, ad vectigalium aboli-
tiones proclamare, obſiſtente nemine: qui- 61
nimo omnes quaſi iuſtitio indicto, tabernas,
domoſque foro imminentes obſerare, plures
rerum ſuarum ſolliciti, non pauci metu car-
ceris, ne tamquam maleficij indices, vel par-
ticipes raperentur, reliqui impetu quodam
vel cæterorum exemplo, & augeſcente iden- 62
tidem numero, clamoreque diſſono inuale-
ſcente, vocibus aera implere, & quã maxima
voci-

63 ›vociferatione *Deo, Philippoque Regi quater ›maximo, vitam, Imperium prosperaque om- ›nia precari; rerum verò præsentium statum, ›vectigaliumque indictiones detestari, auctoresque maledictis proscindere.*

Hisque auctibus, quod pauci despectissimę sortis homines ausi sunt omnes secuti, atrocissimam omnium excitauerunt seditionem, quæ ab iniuria illa quidem, vt plęreque alię, nata; id tamen peculiare, & summa animaduersione dignissimum habuit; quod non ab
64 iniuriam passis, Virginio scilicet aliquo, vel Collatino sit orta, sed ab iniuria eadem lętis, & exultantibus: vsque adeò anceps telum est iniuria, & eiaculantibus semper infidũ, quod acie vndique noxium, vbi stringas, & quomodocumque stringas, illico lædaris.

65 In tanta tamen, & tot millium consternatione nullus adhuc apparebat, qui se Ducem tumultuantibus offerret. Capaciores namq; ijdemque cordatiores non audebant se, suaq; in plenam adeo periculi aleam dare, leuitatique Plebis, vitam fortunasque omnes committere. Donec (vt appareret non à quo

rege-

regerentur,ſed à quo inciperent Ducem quę- 66
ri) quidam extitit deſpectiſſimę ſortis homũ-
cio, vigeſimum ſecundum ætatis annum vix
egreſſus, ſtatura puſillus, gracilique, facie
ſubfuſca, & ſole torrida, ſine lare, ſine cen-
ſu, qui femoralibus lineis, & interiori tunica
ſemitectus, cætera nudus piſcatu vitam tole-
rare aſſuetus, re, & toto corporis habitu con-
temptibilis, auſus eſt potentiſſimum in terris
Regem Dominum ſuum, quem tot gentes, 67
gentiumq; Proceres reuerentur, & colunt,
aperto voto, factiſque perduellibus prouocare,
prouocatum intra paucos dies nobiliſſimo,
opulentiſſimoq; omnium, quæ ſub cœlo sũt
ſpoliare Regno.

Thomas Annellus Amalphitanus nomi-
ne, quẽ tamen mutilatis de more gentis, cõ-
tractiſque vocibus, Maſanellum populares vo-
citabant fuit; qui forte eo ipſe die, & tempo-
ris articulo, & rerum motu, à ſcopulis, ca-
lamiſq; feriatus in foro diuerſabatur, non re- 68
uerentia diei, ſed operæ intentus, quam ędi-
tuo Eccleſiæ ad Montem Carmelum loca-
uerat.

69 Mos inualuerat (qua de cauſa, vel origine
incompertum) ſed antiquitate, & aſſuetudi-
ne firmatus; quo recurrẽte ſingulis annis eiuſ-
dem Eccleſiæ feſto die, grex quidam proca-
cium puerorum ex plebis ſęce in Arabum ge-
ſtus, modoſq; deformatus, magno tripudio
ligneum Caſtellũ ad mare ex tẽporaneo ope-
re excitatum miſſilium vario genere oppu-
gnaret, interque iocos, plauſuſq; affluentis
70 multitudinis expugnaret. Huic gregi præpo-
ſitus Maſanellus, ſimulacro futuræ pugnæ, cũ
pueris illis proludebat ad ferale illud ſeptum,
quo in foro cingitur locus, vbi Corradinus
Sueuus in Regij ſanguinis dehoneſtamentũ,
olim capite plexus fuit. Exercendis igitur ad
71 ludicram pugnam pueris intentus Maſanel-
lus, ad effuſos à Ruſtico fructus cum grege
ſuo illico aduolat inter primos; eiſq; ad ſatu-
ritatem repletus, ad vicinã cauponam diuer-
tens, vſuſque tribus carolenis nummis, qui-
bus ab ædituo in operarum præſtandarũ mer-
72 cedem auctus fuerat, vino ſe mergit quàm ge-
neroſiſſimo, eoq; madens prorumpit in me-
dium concitatæ multitudinis, profeſſuſque

(verè

(verè vel falsò incertum) incensorem se Ca-
sę ad inuisum vectigal excitatæ, quanta potest
maxima vociferatione exclamat.

Philippo Regi quater maximo vita, victo- , 73
ria; consceleratis peculatoribus, furibusq; pu- ,
blicis, præsentium rerum moderatoribus cum ,
abolitione vectigalium laqueus, vncus. ,

Quas voces tamquam Oraculi excipit cir-
cumfusa multitudo, redditque geminatas,ab 74
alijs remotioribus vicissim reddẽdas geminã-
dasque tanta alacritate, & plausu, vt quodam
quasi tonitru perpetuo aer concuti videretur.
Sed cum tantam multitudinem, forum licet
amplissimũ capere iam amplius non posset;
per quamdam velnti exundationem, Masa-
nello Duce, per plana vrbis, vbi frequentissi-
ma plebeiorum domicilia, saburram diceres,
irrumpit, & ad Chiaiam vsque,Occidentalio-
rem Vrbis partem, elato Philippi Regis vexil- 76
lo, progressa, regressaque, cuncta ijsdem cla-
moribus repleuit, omnesque illos, quos ob-
uios habuit, fanaticum agmen, in eumdem
furorem attraxit, & casulas reliquas ad idem
munus vectigaliũ exigendorum vbique ere-

ctas pariter incendit; fruſtra Tiberio Caraſa Biſiniani Principe, & Vrbanæ militiæ ſummo Magiſtro, plebiq; ſplendore vitæ, & morum ſuauitate acceptiſsimo, tumultuantes ſedare conato. Quinimmò dũ adequitans, ſeque multitudini ſæpius oſtẽtans operi ſedulò incumbit; & cum eo Satriani Princeps Rauaſcherius, ſummus item Magiſter copiarum
78 totius Regni, eadem, eodẽque ſucceſſu mouẽs; honeſta cuſtodia per aliquot horas detẽti ſunt à furenti multitudine: hæc interim telonium maius farinæ ad Portam Nolanam aggreſſa diſrũpit corrumptiq;, & cum eo magnam farinæ copiã, auri vim non modicam,
79 pignoratarumq; rerum numerũ non minorẽ, & demũ rationes, ac codices, quibus quęſtuoſiſsimũ conſtat vectigal, vna cũ cæteris publicis, priuatiſque documentis, vno delet incendio.

Sed longè maior pernicies, vnde minimũ periculi: ex illa multitudine, quæ quaſi rupto
80 aggere è foro exundauit, pars imbecillior, pueris ætatiſque primæ iuuenibus conflata, quibus nullum conſilium, nulla cautio, Palatiũ

verſus

versus se effundit; & tamquam læta omnia
afferret, dum Philippi Regis nomen vna cum
cælesti Numine effert, celebratque, carmen 81
à Masanello effatum clamore dissono perstre-
pebat. Nec aditu prohibita ab excubitoribus,
atrium, scalas, aulam subitò implet; occurrẽ-
temque Proregem precibus contumacibus,
intentisque clamoribus fatigat vectigalium
abolitionem flagitans; facilèque omnia con- 82
cedentem, nec blanditijs, abstinentem, dicẽ-
temque (ipsa referam verba, quæ idem Octa-
uianus Saulius, qui tanto in discrimine Pro-
regi semper adfuit, mihique retulit.)
Si hijos mios todo se harà luego. 83
circumsistit sedatior: sed vbi Prorex in ordi-
nem ferè se à colluuie gentium illa redactum
videt, furtim in interius cubiculum occlusis
foribus subducit se magis extra contumeliã, 84
quàm extra periculum; exclusa multitudo,
quasi remoto vnà cum Prorege pudore om-
ni, effręnatius agere; & licèt inermis omni- 85
nò, nisi quatenus arundinibus, fustibusque
instructi quamplurimi, ense verò pauci om- 86
nia concutere, euertere, fores effringere: &
iam

iam ad vlteriores peruentum erat, quæ ſolæ obſtabant ne Prorex ipſe violaretur; nec obſtitiſſent ni prouidentia Saulij præſidio fuiſ-
87 ſet. Dum enim Prorex per concuſſarum rimas, ne dum verbis, ſed re placare furentes nititur, immiſſo chirographo ab ipſomet cõſcripto, quo vectigal inuiſum antiquabatur; præcauens Saulius Proregem humero apprehenſum à foribus retrahit, eo ipſo temporis articulo, quo per eas ipſas rimas enſis pũctim adactus iugulum haud dubiè Proregis hauſiſſet, ſi vel momento tardior Saulius à ſalutari
88 ceſſaſſet officio. Nec tamen deſtitit Prorex, quin geminato eiuſdem decreti chirographo, proiectoque in publicum tam ijs, qui intra Palatium, quàm ijs, qui extra tumultuaban-
89 tur; fructuum ne dum vectigal pęnitus tolleret, ſed auctarij loco farinæ etiam ex parte leuaret.

Tum plebs tantis ſucceſſibus audacior facta, negare bona fide ſecum agi, informe eſſe decretũ illud niſi auctoritate Collateralis Cõ-
90 cilij roboretur, nullius præterea momenti fore niſi palam tuba præcinente ediceretur

voce

voce prçconis. Nec diſtulit Prorex deditque illico roborandum, edicendumque Franciſco Toralto, & Octauiano Saulio, qui nulla interpoſita mora aſſumpto Regio prçcone in publicum egreſſi iuſſa ſolemniter peregere; qua 91
in re illud accidit opportunum, quod turbam ferè omnem, quæ Palatium repleuerat rei nouitas foras traxit; idq; animaduertentes Saulius, Toraltuſque; Hyſpaniæ aciei ſummum 92
inſtructorem, qui præ foribus excubabat, monuerint, ne redituram admitteret; quod tamen renuit ille, cauſatus id ſibi pro imperio nequaquam iniunctũ eſſe: quaſi verò ad ſingula militum miniſteria præcipuum exigatur imperium; nec ſatis imperata dicantur, quæ res ſubita quodammodo cogit. Et ſanè vt nõ 93
facile excuſari poteſt excubitorum oſcitantia, qui tantæ multitudini, licèt imbelli aditum in Palatium non probibuiſſent, præſertim admoniti clamoribus, quibus Ciuitas vniuerſa perſonabat; ita haud dubiè omni repræhenſione digniſſimi, quod vim experti cui Prorex ipſe ceſſerat, tacentibus licet Saulio, Toraltoque repetentes non excluſiſſent: ſed omni ſu-

ſtuario

ſtuario digniſſimus Inſtructor ille, ſi arrogã-
94 tia ideo non excluſiſſet, ne regi ſe alieno cõſilio, & quæ ſui muneris erant alieno imperio facere videretur.

Interim Prorex vbi cognouit, plebem poſtulatorum omnium compotem factã adhuc furere; quem tamdem exitum res eſſet habitura incertior, periculo ſe ſubducere ſtatuit, &
95 ad Arcem Caſtri noui reſpexit, quæ Palatio propinqua eidem Xyſto iungebatur, dum verò propiùs ad locum feſtinat, ex inexpectato aditum occluſum reperit, quod ei ingratiſſimum accidit, quaſi fortuita etiam in calamitatem imminentem conſpirarent. Vxor fuerat quę periculo anxia cum filijs, totoque gynæceo anteuerterat, nec ſatis ſe tutam in arce putauerat, niſi cæterorũ negligens quàm diligentiſſimè occluſis foribus. At Prorex
96 aditu illo prohibitus, inopia melioris conſilij, poſtico ad fallendum aptiſſimo in equorum ſtabulum deſcendit; indeque conſcenſo, qui caſu ſe obtulerat curru, qui mulis trahebatur, quam occultiſsimè in Arcem ferebatur, irrito tamen conatu, ſummaq; indignitate deforme.

Odo-

Odorata namque fugientem multitudo, cur-
rum magno impetu circumſiſtit, nec reue- 97
riti viri maieſtatem iam vocibus defuncti, ma-
nibus violant; & exſcendere coactum, circũ-
ſiſtunt, vrgent, premunt, & oppreſſiſſent,
propellentibus vt fit in turba ſpectandi auida
vlterioribus proximos; ni Prorex periculo 98
trepidus, ſed rei intentus, à liberalitate inge-
nita mutuato conſilio auaritiæ circumſtantiũ
illuſiſſet: auri namque puriſſimi Venetos nũ-
mos (Zechinos dicunt) plena manu circum-
quaque ſpargere cępit; dumque proni in ter-
ram quamplurimi inclinant ſe, aureos illos
collecturi, & vrgentibus à tergo obſiſtunt, &
aperiunt, ſcinduntque circumfuſam, premẽ-
temque coronam; ex ea ingenti labore elap-
ſus, ad Sancti Lodixij ſacram Ædem è regio- 99
ne Palatij ſitam, feſſus, & ſudore ma-
dens tandem ſe recepit non ſine ope Con-
uerſani Comitis, qui ei illo in diſcrimine cum
quibuſdam aſſeclis ſemper adfuit; eiuſdemque
Octauiani Saulij, qui ab obitu munere rediẽs,
cognito Proregis conſilio eum inſequutus:
vbi videt peditem nudato capite à turba illa,

veluti maris æſtu, in partes omnes agitari, in-
dignitate rei commotus, vna cum Franciſco
Maria Saulio Patrueli ſuo, quantum ma-
nibus, pedibuſque, totoque corpore value-
runt, conniſi per turbam vadentes, ei ad ef-
fugium ſatis in tempore adſuerunt, receptũ-
100 que in ædem ſacram ſudore abſterſum,& po-
tu aquæ frigidę terreo vaſculo recreatũ,quàm
aptiſſimis verbis conſolantur. Inter quæ (oc-
cluſis quam firmiſſimè illius ędis foribus) dũ
de loco aptiori ad receptum Proregis delibe-
ratur; nec deeſſent qui latebras ſuaderent, &
inter præcipuas Turrim, Campani ęris ſedẽ,
in qua valdè probabatur difficilis plurium ſi-
mul aſcenſus; prælatum tamen Odeolũ val-
101 uis Eccleſiæ imminẽs, in quod receptus Pro-
rex tam corpore, quàm mẽte ſedatior, ſedi-
tionẽ audit magis magiſque recrudeſcere; ſe-
ditioſorumque identidem numerum augeri:
quinimo à concurſationibus, clamoribuſque
ad manus ventum, oppugnarique præſidia-
riorum militum ſtationem, quæ maior dici-
102 tur; eamque pariter, quæ veteri Palatio ex-
cubabat.

Prop-

Propterea serò sapiēs edictum aliud dictat,
scribitque excipiente etiam, scribenteque eo-
dem tempore Saulio, vt quam celerrimè plu-
ribus exemplaribus vti posset: quo edicto Re-
gis nomine vectigalibus omnibus fidissimus
Neapolitanus Populus leuabatur; illudque 103
in vulgus sparsum nihil proficiebat reclaman-
te plebe, & Caroli Quinti Priuilegia minaci-
bus vocibus flagitante; cui cum Prorex vltrò
consentiret, & omnia facilè polliceretur, fa-
cilitas ipsa in suspicionem trahitur, autogra-
phumque ipsum Priuilegij documentum si- 104
gno imperiali munitum exposcitur, & quasi
contra renitentes, renuentesque rem habe-
rent, manibus interea haud quaquam tem-
perant. Sed expugnata nō sine mutua vtrin-
que aliquorum cæde vtraque statione, ex ar- 105
mataque, effractisque tandem non sine san-
guine sacrę ædis foribus, in eam magno im-
petu irrumpunt Odeolum ipsum, in quo de- 106
gebat Prorex ijsdem furijs inuasuri, ni scala-
rum angustijs obsistentes adiuti impetum re-
tardassent.

Commodissimè inter hęc contigit, vt Car-

107 dinalis Philomarinus Ciuitatis Archiepiſcopus ad incendium extinguendum accurreret curru vectus: qui cum vndique ingruentem turbam vix penetrare poſſet, monitus à domeſticis Paulo Æmilio præſertim Medico,
108 ne ſe furenti multitudini committeret; reſpondit non ſine ſtomacho *Paratum ſe, illius*
, de reparanda ſanitate præceptis parere: dum
, verò agitur, de Parentis, Paſtoriſque munere
, obeundo ſibi credito, non alio niſi ſuo conſilio
, vſurum.

109 Iuſsitque intrepidus, aurigã per mediã turbam equos incitatiſſimos immittere: quem vt Prorex via Toletana aduenientem perſpexit exhilaratus, Patre Pepe ex Clericorum Regularium ſacra familia præcipuo obuiam miſſo, ad agendas pro ingenti merito gratias, codicillos illico ad eũ componit, Marchioni-
110 que Tarracuſio iuniori perferẽdos tradit, quibus ſignificabat.

, Ne dum fructuum vectigal, cuius tollendi
, ſæpius auctor, & ſuaſor ille fuiſſet, ſed cætero-
, rum cibariorum omnium etiam antiquaſſe:
, pergeret porrò, & qua valebat apud multitu-
dinem

dinem auctoritate doceret, votorum omnium ›
compotem factam nihil restare, quò minus il- ›
la quietem ageret, & ad obsequium rediret. ›

Quibus in ipso Aloysianarum Ædiũ aditu
perceptis Cardinalis, incertus vnde potissimũ
tantam rem aggrederetur, quæ nullam pror-
sus admittebat moram, affluente identidem
multitudine ad opprimendum ædibus in illis
Proregem, & haud dubiè oppressissent; ni so-
lertissimo vsus consilio Cardinalis, ne saluta-
to quidem Prorege edictum illud alata manu 111
tenens, plebique ostentans in forũ dirigi cur-
rum iubet, ibi palam omnibus lecturus, & Po-
puli charissimi commodis plenius consultu-
rus, vt Patrem, Pastoremque decebat: hæc 112
elata voce profatus, identidem iaciebat in
vulgus.

Irent secum alacres, bonoque animo essent, ›
leuati iam vectigalibus, excussoque egregiè iugo, ›
Publicanorum. ›

Hoc commentum plurimos illorum in fo-
rum ab illis ædibus traxit, & reliquorum ani-
mos à contentione paulisper auertit; vt spatiũ 113
fuerit Proregi ab Odeolo in alias honoratio-

res

res illarum ædium partes, vſibus Summi Pręfecti illius familiæ deſtinatas, ſe recipiendi; ex quibus arbori ficus innixus, manuque Saulij pendens, ad caput ligneę ſcalæ ſe dimiſit, quã ei ſubdecurio equitum ſtipatorum parauerat; per quam tandem in viridarium Doctoris cuiuſdam, & ab eo in viam publicam peruenit, acceptuſque in conductitiam ſellam, ſuccollãtibus de more mercenarijs, & proſequente
114 eodem ſubdecurione ad Pizzofalconum primò, inde ad Sancti Eremetis Arcem peruenit incolumis: quam incolumitatem, & cum ea rerum omnium ſalutem debuiſſe Proregem Cardinalis conſilio, auocãtis à ſacris illis ędibus multitudinem, Maſanellus ſæpiùs teſtatus eſt; dum Proregi offenſior imputare ex inde ſolitus fuerit Cardinali, per eum ſtetiſſe; ne, vt Barchinionenſes cæſo Comite de Sancta Columba iugum Hyſpanorum excuſſerant, non ſecus excuterent Neapolitani, obtruncato primo illo impetu Duce de Arcos.

Interim verò pars illa plebis, quæ Cardinali neglecto Proregi inſtiterat perſeuerantior, Palatij, Eccleſiæ, ſtationumque militarium

rium expugnatione ſuperbi, imbutique ſan-
guine, tàm ſuorum, quam Præſidiariorum,
ferociores; vbi ſenſere Proregem fuga elapsũ, 115
vagi per Ciuitatem, furenteſque quaſi oeſtro
perciti, tumultu omnia replent, omnia mi-
ſcent, carceribuſque effractis fontes omnes
emittunt, ſibique iungunt audacia præcipuos, 116
& ſcelere lætos: Vicariæ tantummodo parci-
tum Carolum Quintum reueriti, quem au-
ctorem illius tribunalis ferebant, cuiuſque
nomen fauſtiſſimis acclamationibus identidẽ
celebrabant.

Qua animorum inclinatione vſus Iudex
Mico, qui loco de more præſidebat; in occur-
ſum exijt furentis multitudinis, oblatiſque in
lance clauibus, fateri ſe dixit.

Eis vti licere vti Dominis, putare tamen ſe, 117
non adeò immemores fore ingentium benefi-,
ciorum, quorum flagrent deſiderio, vt Maie-,
ſtatem Caroli Quinti beneficentiſſimi in illo fa-,
cinoroſorum hominum ergaſtulo violare ſuſti-,
neat: nec ſuſtinuerunt.,

Quis verò audeat faciem inſanientis Ciui-
tatis, tercentis capitum millibus habitatæ, re- 118
ferre?

ferre? is poterit faciliùs incitationes omnes,
repercussionesque fluctuum maris inter Cy-
clades excitatorum, à sæuientibus hinc inde
vehementissimis ventorum flatibus enume-
rare: illud non omittendum in tanta rerum
perturbatione, & insanientis vulgi contu-
119 macia non defuisse, qui Proregi curru deie-
cto violatoque manus, ac etiam pedes obse-
quiosissime deoscularentur; multoque plures
Clericorum Regularium familiam, pietatem-
que sequuti, & æmulati, quæ ad inuocandũ
in tanta consternatione Diuinum subsidium,
120 longo ordine per Ciuitatem ad Chiaiam vsq;
precabunda processit: prælato, expositoque
Angelorum pane illo, in quo Christiana pie-
tas cum Deo ipso cui debitum præstat adora-
tionis obsequium, ea omnia misteria compen-
dio recolit, quibus supra omnem humani in-
genij vim positis gloriatur fides fidelium.

121 Nec defuere quamplurimi, qui sparsi per
Ciuitatem mitiora tumultuãtibus suaderent,
docerentque quæ res ipsa loquebatur.

, *Sublatis vectigalibus, in quæ meritò exar-*
,*sissent, nihil restare quod optent, nihil quod ex-*
pugnent.

pugnent. Satis iam turbarum, ſatis irarum, ,
viſum. Libertati iam ſatis datum; quieſcentes,
firmare oportere, quæ turbidi quæſiuiſſent. Im- ,
putentur ſanè iniuriæ Tyrannidique alienæ, ,
quæ hactenus licentius egerunt; certè non niſi,
ſcelere ad vlteriora progreſſuros, correpturoſq; ,
infamia, quæ virtute quæſiuiſſent. Viderent,
quo pergerent nec fidiſſimo Populo, poſteriſque,
inuiderent fælicitatem, quam ipſi peperiſſent, ,
Philippumque Regem optimum, quem verbis,
celebrarent, reſumpto obſequio, reſtitutaque ,
Ciuitatis quiete, recolerent. ,

His, alijſque in eamdem ſententiam à plerìſque Nobilium iactitatis, plebs ne aures quidem præbebat; ſed omni exuto timore, concocta diù contra eos odia exercebat, palamq; truci voce, vultuq; hoſtes Patriæ, proditoreſq; 122
appellabat, deteſtabaturque; facilior tamen apparebat Hiſpanis, exteriſque eadem ſuadẽtibus, & prę omnibus Cornelio Spinulæ conciui meo, qui per multos annos Neapoli cõmoratus, eam apud omnes ſuauitate morũ, officijs, liberalitate, & ſplendore vitæ conſe- 123
cutus fuerat beneuolentiam, vt licèt priuatæ

vir conditionis, & exterus, vulgo acceptiſſi-
mus eſſet, interque Proceres Ciuitatis annu-
meraretur. Inter magnas animi dotes, qui-
bus præcellebat Nobilis hic vir (quis prohibet
quàm pauciſſimis ab argumento deflectere,
vt laus debita tribuatur virtuti noſtrorum tẽ-
porum æmulę antiquitatis?) illa erat erga Pa-
triam conciues omnes, totumque Liguſticũ
nomen benignitate; vt cum gratioſiſſimus
Dominantibus eſſet, & pecunioſus inter pri-
mos, verſareturque in Ciuitate totius Italiæ
Emporio celeberrimo, in quam gens noſtra
frequentiſſimè cõfluit, à nemine vnquam
ex ijs, ſæpius ne facie quidem cognitis, inter-
pellatus recuſauerit, vel officia interponere
ſua, vel pecuniam repræſentare; tanta animi
magnitudine, vt ruborem eorumdem veritus,
125 ne gratias quidem vllas ſibi agi ſuſtineret. Is
ergo Cornelius maiori apud plebem auctori-
tate vti exterus, fructuque maiori, vti accep-
tiſsimus, æquis animis audiebatur; nec dubia
iam erat apud plures animorum inclinatio,
eorum præſertim, quibus placebant res ſuæ,
quique nullo facinore in illa conſternatione

inſi-

inſignes; in omnium culpa ſecuri, nullo ſup-
plicio erant expoſiti: ſed vel conditione hu-
manarum rerum ad deteriora vergentium, vt
quas pauci concitare turbas facilè potuere, ad
eas ſedandas itidem pauci inualidi eſſent om-
ninò; vel quia veſanus ille animorum ardor,
qui efferbuerat nondum planè reſediſſet; ſeù
verius, quæ Spinula inter obuios ſapientiſsimè
diſſeruerat, in vaſta Ciuitate ad omnium au-
res peruenire impoſsibile prorſus erat; certè
quantumuis integra illius gratia nihil profe- 126
ctum. Sed intendentibus iam ſe noctis tene-
bris, quæ præpoſtero ſanè tegumento pudo-
rem omnem exuere ſolent, aucta eſt vt opor-
tebat ſeditio, & eam ſedandi deſperatio; di-
ſcurrente per vias omnes ſine certo conſilio,
aut Duce incondita illa egenorum multitudi-
ne, diſſonoque de more clamore aera verbe-
rante, magno ne dum Nobilium, ſed ditio-
rum ex plebe timore, ne fęx illa effrenis, om-
nium indiga alienis ſemper inhians, licentiam
modo nacta, domos ipſorum effringeret, for- 127
tunas popularetur.

Liceat hîc deplorare Sanctiſsimum Chri-

ſtianitatis inſtitutum cum ea natũ, plurimorum abuſu adeò deprauatũ, vt ni ſalubri corrigatur conſilio, non aliundè præſentior calamitas magnis immineat Ciuitatibus. Sit ſanè ipſa humanitate humanius, & diuinitati proximũ, eſurientes cibo, nudos veſte, ęgros medela fouere, & cuiuſcumq;generis, & ſortis homines infortunio preſſos leuare; neminẽque ope indigum, ſine ope deſtituere: quid ſi ſollicitudo illa parandi ſibi victum, à Diuina Prouidentia mutis etiam animantibus indita, ſi induſtria illa, qua veluti glutino ipſa ſibi cohęret humana ſocietas, hoc ſuffragio minuãtur? Quid ſi locum ſollicitudinis, & induſtrię ignauia occupet otiumque; quæque otium, ignauiamque ſequuntur vitia, & (quo nihil Ciuitatibus pernicioſius) præſentiũ cõtemptus, imminentium negligentia? Certè vt non propterea Chriſtiana Charitas exuenda, ita maturo conſilio, omniq; adhibita diligentia præcauendum, ipſa Dei prouidentia Duce, cuius imitamur munificentiam; vt non ſecus ac illa non formicis omnibus victũ hyeme præſtat, ſed ijs dumtaxat, quæ æſtate horrea

rea

rea ſibi parauere; ita nemini prorſus ex alieno ſubueniatur, qui ſibi ipſi pro modo viriũ non prouidit: multoque conſultius fore, ſi ad exonerandas hac turba, pacis bellique tempore grauiſſima, Ciuitates; extra eas certus circumſcribatur locus, in quo diſcreta, exactaq; vniuſcuiuſque indigentis induſtria, ſuppletaque, & pietati Chriſtianę fieret ſatis, & humanæ ſocietati, cuius vincula arctius illa ſtrinxit, conſuleretur. Vtcumque ſit, pietate, & opulentia Neapolitanorum factum; vt opes ingentes alendis Ciuitatis pauperibus deſtinatæ, paratæque paupertatem ipſam quodam- 128
modo alerent, pauperumque numerum, qui iuxta Diuiuum Oraculum ſemper nobiſcum erunt, quotidie magis augerent, copiam ſuggerente ampliſſimo Regno, tributis, ac delectibus vexato, quibus immunis erat Ciuitas Regia.

Hominum huius generis multitudo ingẽs, compoſita etiam, auctaque baiulis, ſellularijs, remo alieno aſſuetis nautis, alijſque eiuſdem ſortis locatione operarum quęſtum in dies 129
facientibus, quorum in aſſluentiſſima delitijs

Ciui-

Ciuitate magnus erat numerus, cui nulla honeſti cura, nullus præſentium amor, nulla in poſterum ſollicitudo, concepit primo illo die Dominico flammam, aluitque: ſatiſque conſtat ingenuam plebem artificio alicui, aut mercaturæ deditam (ne memorem honeſtiſſimos de populo) licèt odio præſentium haud ſatis abhorrentes à nouis rebus, illo die cum parte inſequentis quieuiſſe, interque ſpem,
130 metumque poſitos, ſpectantium potius partes, quàm actorum peregiſſe: nocte tamen tota nec clamores illi diſſoni, nec clamantiũ per Ciuitatem concurſus quieuere; augeſcen-
131 tibus terrorem tenebris, æreque cãpano quã tumultuoſiſſimè perſonante ad Sãctæ Mariæ in Monte Carmelo prope forum, vt vnde ſeditio eruperat, ſedes figeret auſpice Maſanel-
132 lo, à quo ſecundas partes ſibi arrogabat Abbas quidam Ioſeph Perronus, non ille quidẽ ab infulis ſacræ dignitatis Abbatis nomenclaturam meritus, quinimò vita probroſus, & moribus infamis, ſatellitum olim ductor, & noxæ damnatus, illa carcerum eſtractione, quam meminimus, euaſerat, faceſque ingen-

tes

tes accensæ iam seditioni truculentus addiderat; sed more apud Neapolitanos recepto, quo facinorosos homines, vulgò Abbates vocitare solent in ludubrium (vtinam ad incutiendum pudorem) eorum, qui spe impunitionis sacro Clericorum ordini ascripti, quasi legibus soluti securique à Tribunalibus terrenæ potestatis licentiùs in quodlibet flagitij genus se inuolutant, merguntque.

Prorex verò secunda noctis hora, tenebris tectus ab Arce S. Ermetis in Castrum nouũ 134
se recepit; totusque iam diù in eo positus, vt lenitate, si qua ratione posset, res componeret, nec publicam largitionem omisit, iussitq; panem olim vnciarum in pondere viginti quatuor, auctum ad triginta duas, nihil immutato pretio insequenti die venalem exponi: Ducemque Matalonæ, qui in eodem Castro, ipsius iussu custodijs detinebatur, liberum dimisit, iussitque summo mane quasi no- 135
uum Menenium, turbulentos adire, & pro sua auctoritate apud eos maxima, quibuscũque conditionibus ad tranquillitatem trãsducere, oneratumque promissis si iussa perageret,

ret, reuocatione Ioſephi fratris ab exilio, quo-
137 dam quaſi interuſurio donauit (infauſto ſanè
omine, vt funeſtiſſimus reuocati exitus intra
paucos dies aperuit) Mataloniumque, quaſi
laturos ſuppetias, ſubſequi iuſsit primę Nobi-
litatis viros, promptiores expertus, Biſiniani,
138 Montiſſarchij, Ruccellę, Satriani Principes,
Ducem Caſtri Sangrij, Comitem Conuer-
ſani, alioſque. Interim verò ne Maieſtatem
Imperij ludibrio plebis expoſitã haberet diu-
tius, Caſtrum nouum vna cum Palatio prę-
ſidio firmat, areamque ante illud ſatis paten-
tem, quadringẽtorum Hyſpanorum totidẽq;
139 Germanorum militum acie inſtructa inſedit,
accitis etiam copijs ijs, quæ non procul à Ci-
uitate habebant æſtiua. Nec mora: Matalo-
nius in forum aduolat, multitudinemq; blan-
dè alloquitur vndiquè confluentem quinqua-
ginta capitum millibus non minorem; eaque
coram, cum Maſanello, Perronoque agi cęp-
tum de conditionibus: neque enim in dubiũ
140 reuocabatur, à plebe obſequium Regi debitũ,
vel cum vitæ diſcrimine, ſanguiniſque pro-
fuſione; offerenti, verò Matalonio Proregis
nomi-

nomiue vectigalium abolitionem, reclamauerunt vniuersi Priuilegia Caroli Quinti flagitantes.

A quonam potissimum processerit primò hæc postulatio, de qua mentio iniecta etiam fuerat, externo qui præcesserat die, hoc verò per omnium ora volitabat, incertum: inclinat animus Iulium Genuinum auctorem facere, qui solus in tanta omnium consternatione consilium attulit. Hic Genuinus Ossunianis temporibus Delegatus Populi fuerat, illiusque Ducis consilijs immixtus, in Hyspaniam tractus, & reus factus post Ossunę Ducis obitum ad Oranum terram Aphricæ relegatus non multos post annos patriæ fuerat restitutus, vbi consilia eadem incitandæ cõtra Nobilitatem Plebis, cum Ossuna agitata, recoquebat; cumque vaferrimus esset, rerũq; nouarum cupidissimus, occasione propterea cupidè vsus, vt certum est, eum ex occulto grassatum, & obtentu Masanelli rerũ omnium arbitria ad se traxisse; ità credibile est, mentionem priuilegiorum illorum primûm intulisse, eorumque desiderio plebem

141 erexiſſe. Fama nāque vulgò ferebatur auidè
accepta, & quia proderat tenaciſſime credi-
ta, illis priuilegijs contineri, vltra im muni-
tatem vectigaliū, in rebus per Ciuitatis De-
legatos adminiſtrandis, pari ſententiarum
numero, tàm Populo, quàm Nobilitati ius
eſſe: vel certè Delegato populi renuēte, quo-
142 dam quaſi iure Tribunitiæ interceſſionis, ni-
hil decerni poſſe quod populum ligaret: qua
ſpe nihil efficacius animos plebis, iam ſatis
contra Nobilitatem concitatæ, ad ei us iugum
excutiendum ſtimulabat. Matalonius verò,
cui perſpectum erat in priuilegijs illis nihil
præter vectigalium immunitatem Neapoli-
tanis Ciuibus indulgeri, quę nemo læſerat,
præterquam ipſis volentibus, iubentibuſque
nihilque permitti, niſi vt res ſuæ in ipſorum
manibus eſſent, pro vt hactenus fuiſſent; cō-
143 ditionem lętus accepit, Proregiſque nomine
omnia largè pollicetur: ſed reclamante mul-
titudine, efflagitanteque publicum conceſ-
ſarum rerum de more documentum, aſſen-
ſit; bonoque animo eſſe iuſſos, ſtatim ſe re
confecta ad eos reuolaturum ſpondet; & ad
Pro-

Proregem aduolans,lęta omnia nunciat,par- 144
tamque concordiam gratulatur. Cuius qui-
dem nimium præcocis lętitiæ cum in vulgus
emanaſset rumor, eam Germani Milites in
Palatij Area collocati vana tormentorum
exploſione celebratam, certiore tamen lu-
ctu merſere. Plebs namque rerum expecta- 145
tione ſuſpenſa, inexpectato reboantiũ tor-
mentorum ſtrepitu territa,rataque hoſtiliter
ſe à præſidiario milite peti, in furorem acta,
per vias, plena minarum diſcurrere, arma
expedire, vltionem parare: ducentos, & vl-
tra ex ſuo corpore, per ſimulationem con- 146
ditionum, proditoriè cęſos; non minus va-
nè iactatum, quàm temerè creditum: dum-
que tumultuariè ſulfureum nitratum pulue-
rem è taberna ad calcis Portam poſcit, ſumit-
que; caſu illatus illo in puluere ignis ferales
excitat illicò flammas, quæ circumquaque
erumpentes, mortalium omnis generis ſep- 147
tuaginta & amplius diſcerpit, abſumpſitque;
magno cęterorum terrore, & Proregis do-
cumento, qui periculo monitus, cuſtodes
iuſſit, magnum eiuſdem pulueris modum

R 2 extra

extra Ciuitatem ad Chini promontorium,
& alibi publicè aſſeruantes, vniuerſum aquis
immergere.

148 Dum verò Prorex ſedandę Plebi intentus
reſtitutorum priuilegiorum teſtes, authen-
ticas tabulas à Matalonio perferendas confi-
ci quam diligentiſſimè curat; illa, quæ num-
quam niſi ſęuiendo dominatur, Maſanello,
Peronoque inſtigantibus ſurere cæpit aduer-
ſus auctores, redemptores, coactoreſque ve-
ctigalium, quos multipliciter inuiſos odiosũ
miniſterium, partæque ſubitò ingentes opes
faciebãt. Quorum agmen viginti & amplius
capitum duxit Hyeronimus de Lætitia re-
149 demptor farinæ, huius domum ad Portam
nouã aggreſſa omni ſupellectili ſpoliat, eam-
que in publicum coaceruatam, mira, & nũ-
150 quam audita, nec de facili credenda abſtinẽ-
tia, vniuerſam flammis abſumit; quem mo-
rem in reliquis omnibus etiam ditiorum, Du-
cis Caiani, Aquinij, Cenami, Zeualij, &
aliorum ædibus religioſiſſimè ſeruatum, non
ſine diuini Numinis afflatu liceat opinari.
Quandoquidem egenorum omnis generis
mul-

multitudinem ferè innumeram, licentia quocumque legum metu solutam, & ad- 151
uersus imperia omnia Dominantium contumacem, abstinuisse à præda; cuius assequendæ veteranus sæpius miles victoriam prodit; sustinuisseque nudos, & omnium egenos, vestem omnis generis, lineam, laneam, sericam, auream, cuius non minus 152
inopia quàm desiderio cruciatur, flammis perdere potiùs, quàm inter se diuidere.

Et splendidissima Aulæa, opere tum Belgico spirantia formis, tum Italico auro rigentia, mensulasque, scrinia, loculos ex ebeno cęlata argento varijs nominibus artificum illustria, simul cum auro, argentoque, & gemmis, quorũ miraculo mortales alij stupent attoniti, Neapolitanam plebem, adeo vilia habuisse, vt contemptim ex ædium fenestris præcipitata, coaceruataque vltrò corrumperent.

Imputẽtur hæc sanè Diuinæ Iustitiæ, quę 153
malè partis, ne dum hæredem, sed omninò etiam Dominum denegauerit; ego vt Iustitiæ nihil detraxero, ita prouidentiam cuncta sua-

ſuauiſſimè diſponentis Dei, & per hęc noſtra
dirigentis in primis ſuſpexero. Verũ enimuerò, quantum exemplis malis peccetur, ita
Panormitana ſeditione obſeruauimus, quæ
haud dubiè Neapolitanã traxit; non minus
autem profici bonis, hic exitus docuit: nouerat namque plebs Neapolitana Panormitano
154 Populo abolitione vectigalium ſatisfactum;
ſed plures ex eo laqueo ſtrangulatos, furcaque ſuſpenſos audierat, qui turbis illis abuſi,
latrocinijs, prædiſque graſsati, priuata compendia ex aliorum calamitate quæſiuerant.

Et quoniam nullus vmquam ita perditè,
& deſperato animo delinquit, vt aliquã ſaltẽ
non retineat impunitatis ſpem, ideò ſecuriùs
Neapolitani tumultuabantur; dum alienis
abſtinebant, quibus ſi ſe auidius immiſcuiſſent, quis non videt alieniores eos futuros
fuiſse à quietis conſilijs, tum metu pœnarũ,
tum tenacitate raptorum? Dum verò plebs
in bona inuiſorum capitum ſæuit, quod illo
155 cum inſequente diebus factum fuit; tanta
acerbitate, vt cum reſciuiſset aliquos ex eis
Lobranium, Baſilium, Zeualium, prętioſiora

ſiora

ſiora quæque in Ædes ſacras clam ſubduxiſſe, nihil reuerita Sanctitatem loci flammis illis ædibus admotis, minarũ vi inde exportari iuſſerit vna cum cęteris concremanda; quę omnia vnum in locum retuli, ne ad eadem ſępius mihi reuoluendum eſſet. 156

Iam verò rumore de impreſſione militari in plebem vaneſcente; cum tabulis publicè cõſignatis, quibus priuilegia aliàs à Carolo Quinto Neapolitanis Ciuibus indulta renouabantur, Matalonius ad forum retulerat: ſed fruſtrà; cauſantibus plebeijs, haud 157 quaquam omnia in illis tabulis contineri, palamque non ſine magna vociferatione conquerentibus, dolis, fraudibuſque ſecum agi: crediderim quia nihil in tabulis illis de exæquato Iure populi cum Nobilibus in rerum adminiſtratione cautũ legebatur, quod plebi erat ſumma votorum; quæ hac ſpe fruſtrata adeò exarſit, vt ius legationum apud Barbaras etiam gentes ſanctè cuſtoditum, in Legato Proregis ſui violare non dubitauerit; retento ſub arcta cuſtodia Matalonio, à qua 158 non niſi altè intendentibus ſe tenebris euaſit

ſit

ſit ille aſtu Perronij, qui Ioſephi, Matalonij fratris aſſecla ex occulto fautor per feneſtras
159 demiſſo, clam cæteris effugium aperuit ad mare.

Inter quę Archiepiſcopus Cardinalis opera pietatis ingenti ſtudio procurabat, & ad propitiandum cœleſte Numen, imbuendoſque religione ferociores animos, adorationi expoſuit pluribus in Eccleſijs Sanctiſſimum, veneratione præcipua in Sacello (Maioris theſauri appellatione celeberrimo) in quo ſacer cruor Sancti Ianuarij Ciuitatis Patroni ſumma colitur religioue: quamplures inſuper monet cænobitarum familias ad prouocandam plebis pietatem, per frequentiora Vrbis loca precabundas ritè procedere. Hac tamen ſpe deluſus, cum pauci admodũ, præter morem, celebritatem illam auxiſſent, impetũ cæpit tactus religione animus, vniuerſi populi ſacro ordine præeunte, publicas preces per totam Ciuitatem indicere; & indixiſſet, ni monitu prudentiorum, ſubitiſque vocibus ad arma conclamantis multitudinis territus abſtinuiſſet. In cauſa fuere tres cohortes

hortes Legionis Proſperi Tutauillæ, quę ab
æſtiuis, è Somma ad Ciuitatem, accitu Pro- 162
regis aduentabant; ſparſo namque per vulgũ
rumore, & vt fit in ſimilibus, in maius aucto,
Legionarium militem, acie inſtructa, ad op-
primendum populum appropinquare; ad ar-
ma ſtatim concurſum, ſumptiſque è domo
Io: Andreæ Maſſolę mercatoris Liguſtici mi- 163
litaribus armis; mille ſeptingenti maioris for-
mæ Archibuſij fuere (Moſchettos appellãt)
& ſexcenti minoris (Carrabini vulgò) cum
reliquo militari inſtrumento, plumbeis ſcili-
cet pilis, ſulphureo nitrato puluere, incen-
diarijſque funiculis; quæ omnia (importuno
ſanè tempore) illis ipſis diebus mercator ille
Regiorum iuſsù, commodoque è Liguria
importari curauerat: his, alijſque tumultua-
rijs armis inſtructi (reiectis, irriſiſque An-
drea Mantellanio, & Onuphrio Palma ex
plebe Iureconſultis, quos cum malè ceſſiſsẽt
Matalonij, & reliquæ Nobilitatis officia, Pro-
rex omnia tentans, tãquam plebi gratioſio-
res, eadem experturos immiſerat) venienti
militi cædem ſpirantes occurrũt, & ad Mag-

S dalenę

164 dalenæ Pontem circumuentum,& vix repu-
gnare ausum, paucis interemptis intercipiūt,
armisque exutum, captumque per Ciuitatē
magno cum tripudio exultantis plebis, veluti
in triumphum ducunt; eademque fortuna
licet disciplina meliori, die insequenti, qua-
dringentos alios Legionarios ex Belgio Vua-
165 lones è Capua aduentantes, vulnerato Duce,
paucisque cæsis, exarmatos, captosque tra-
hunt. Vt iam ne dum coalita, sed armata
seditio tertio illo die formidabilior excreue-
rit; quam etiam illo ipso die inexpugnabilem
fecit Massanelli iussus, suggerente Genuino
ei ad consilia à plebe attributo.

Iubebantur Curiarum (quas ottinas ap-
pellatas diximus) Præfecti omnes, proposi-
ta vltricum ad singulorum domos in recu-
166 santes flammarum pœna; curiales quosque
suos iustis armis accinctos, sub signis, Cen-
turionibusque, ceteraque militari disciplina
in procinctu habere: cumque singuli flam-
mas per potentiorum domos volitantes suis
timuissent, omnes paruere,

167 Cernere erat, rem ignorantibus, separā-
tibusue

tibusue causam; spectaculo dignissimam; Ciuitatem amplissimã paucarum horatũ spatio, vniuersam armis, signisque collucentem, militariter instructam ad tympani sonitum, castrensia munia obeuntem: sed attentiùs intuentibus, introspicientibusque liquidò apparebit, cõsilio illo furenti seditioni duo pręsidia accessisse, quibus nullum potentiùs, nullum perniciosius fuit. 168

Quorum altero sanior, potiorque populi pars hactenus cunctabunda fuit in partes tracta; altero dempta Regijs facultas vsurpandi apud populares Imperiũ ne precario quidem: vt mirari meritò quis possit, cur Pro- 169
rex ad omnia intentus, idem consilium ad continendam, compescendamque inconditam illã multitudinem, plebisque fæcem, nõ præoccupauerit; pronis haud dubiè ad quietem honestioribus popularium quos curą rerum suarũ reddebat ancipites: nec obsequiũ erga dominantem vsque in illam horam eos exuisse demonstrat; iussis illis Masanelli non 170
paruisse eos, nisi petita, & obtenta à Prorege venia: neque enim quispiam dubitauerit,

ſi ad Proregis imperium Curiæ populariter arma ſumpſiſſent, quin colluuies illa plebeiorum lenitate, precibuſque inflexibilis, metu maloque ceſſura fuiſſet. Ex Oraculo Patauino ſunt illæ voces ad opprimendos neſarios
› Manlij conatus emiſſæ. *Quid cũ plebe aggre-*
› *dimur eum, quẽ per ipſam plebẽ tutius aggredi*
› *eſt, ut ſuis ipſe oneratus viribus ruat?* Fouebat flagrãtiſſimis ſtudijs ſeductorem illum ſuũ, empta mẽdacio, & beneficio Romana plebs; & adeo fouebat vt Camillus ingenti rerum geſtarum gloria, & ſummo Dictatoris Imperio ſuffultus, impar contentione ceſſerit ſimul, ac Dictatura; illum tamen eumdẽ deſtituit, perdiditque non oppugnata cum eo, ſed per eam aggreſſo neſario: Prout abſque dubio perdidiſſet ſanior populi pars fæcem illam Neapolitanorum, ſi Prorex, eodem vſus conſilio, illam vocaſſet ad ſaga, prohibituram ſcilicet furta, rapinas, incendia, quę non minus turbis in illis horrebat Neapolitanus Populus quam Romani Regnum: ſed de his hactenus.

171 Armatæ multitudinis primum militare

facinus

facinus fuit, expugnatio sacrarum Ædium ad Sanctum Laurentium, quæ præsidio quadraginta Hyspanorum Militum tenebantur, in quibus præter magnum armorum numerum, septendecim curulia maiora tormenta asseruabantur ad vsum Ciuitatis, cuius Nobilitas ędibus in illis cõuentus suos celebrare solebat: loco potiti arma inter tenuiores distribuunt curulia tormenta expediunt, locisque opportunis per Ciuitatem aptant, disponuntque; magnoque armorum, tympanorumque, & æris campani sonitù, strepituque, Palatium ipsum hostiliter obsident.
Inter quę curas consiliaque demulcẽdæ ple- 173
bis cum nunquam intermisisset Prorex summa diligentia vsus, per certos homines conquisita Caroli Quinti Priuilegia authentica tandem inuenit, inuentaque ad exoluendam fidem suam, qua per Matalonium se plebi obstrinxerat, de illis ipsis renouandis, Car- 174
dinali Archiepiscopo tradit perferenda: qui lætus oblatis, & spei plenus in forum properat, sed cuncta reperit opinione longè difficiliora, seditionemque auctu tot millium armato-

matorum, nedum contumaciorem, alienũ iugum penitus excuſſiſse; ſed aliud ſibi ex ſuo corpore impoſuiſse, cui promptè parebant
175 adeò, vt Maſanelli edictis, quibus eſculentorum, poculentorumque prætia dimidio minus ſolito, pręfigebantur, ab illa ſua incondita adoleſcentulorum turba, vtcumque exceptis, vulgatiſque nullus obſiſtere auderet: quinimmo tamquam Dei monitu prolata, tãtus obſequij amor ſubſequutus eſt, vt (quod admirationem ſuperat omnem) aucta per Ciuitatem cibariorum copia, ſtatuto diſtrahenda pretio, numquam affluentiùs, numquam viliùs vulgò victitatum fuerit.

Ergo Cardinalis non ſecus, ac expertus belli Dux, qui pugnæ auidus, & ſpei plenus, inſtructa per otium, directaque in frõte acie conflicturus; ſi ex inexpectato hoſtis à tergo ingruat, nec tempus, locuſue permittat conuerſare aciem, non deſerit tamen ſe, nec ſpẽ victoriæ, ſed ſubſidijs pro anteſignanis vſus, pugnam ſtrenuè capeſcit. Ita ille, vt præter ſuam, Proregiſque opinionem, non inconditam tumultuãtium turbam, conſilij rerũq;

exper-

expertem, quam reliquerat; sed populum vniuersum iustis armis tutum, fidentemque sui, certoque imperio, (vt consultiùs fureret) obtemperantem reperit; mutato in arena consilio, quod non nisi prudentissimo licuisset, vultu, totoque corporis habitu in hilaritatem compositus, quasi re confecta, translactaque. 178

Mactè (inquit) virtutè suauisse fili, incliti huiusce populi liberator, & vindex: Id, quod erat in omnium votis, nec omnes nos, obsequijs, precibus, legationibus in Hyspaniã, vsq; sæpiùs iteratis à potentissimo, clementissimoque Rege nostro Philippo, malorũ Administrorum obsistente nequitia, pluriũ annorum, patientia: obtinere nequiuimus, sine quo salus istius populi esse nequibat; tu constantia animi, Masanelle, punitis perduellibus, momento temporis expugnasti; fidelissimamq; Ciuitatem hanc, atque adeo vniuersum Neapolitanũ Regnũ, malis artibus, à quibus minus opportuerat, interuersum; Regũ optimo restituisti. Fruere Fortuna tua: rerumq; gestarum gloria præmijsque quæ te à nobis omnibus, à

Pro-

, Prorege, & à Rege ipso ingentibus manent:
, Me verò in quam volueris tanti decoris partem assumes vsurus ad libitum, vt viribus imparem meo certè pastorali munere non defuturum quod ipsum beneficio tuo nunc primum mihi videor auspicari. Ne igitur te, populūque diutius morer: Accipe ab applaudēte Prorege Imperiale Caroli Quinti diploma, quod vnum ille desiderari acceperat, & cum eo tabulas renouatorum priuilegiorum illorum omnium indices, & testes, absolutissimamq; secutorum omnium abolitionem.

179 Iniectisque collo Masanelli brachijs, quasi re confecta, transactaque, ipsissima illa tradidit recognoscenda, quæ auidè abrepta lectaque palam; vt propinquiores qui astabant, facile legentis verba auribus haurire poterāt, nullam de exæquato iure popularium cum Nobilibus intelligunt fieri mentionem, mussare, indignari, fremere, toruisque oculis
180 Cardinalem taciti intueri: Dum verò de perduellionis, lesæq; Maiestatis crimine ad abolendam tristem omnium præteritorum memoriam, gratiam fieri audiunt omnibus, qui quo-

quouis modo turbas illas egiſſent, auxiſſent, ſouiſſent, exandeſcentes. 181

Fidiſſimū populū (exclamant) his remedijs non indigere: vteretur porrò ijs Prorex ad eos ſanādos (ſi medicina dignos duxiſſet) qui emū-cto populo, interuerſo Regio patrimonio, vaſtato Regno inciſis Dominationis neruis omnibus, mortaliū perditiſſimi, Patriā ſimul ac Regem prodidiſſent. Haud cōuenire blādiſſima Cardinalis verba, quibus celebrat, extollitq; factū illud ipſum, quod Proregis edictum perduellio-nis inſimulet; damnetq; fraudem haud dubiè ſubeſſe, quæ cum impunè ceſſerit Matalonio, cui mirum ſi Cardinalis eadem graſſetur via, Iam diù inter Nobilitatem, Regioſq; Adminiſtros initam perdendi fidiſſimi Populi conſpirationem; à quorū viribus iam tuti a fraudibus, quibus ſolis valēt, cauendum eſſe; Duceq; Maſanello, ſeù verius Deo Optimo Maximo, qui in Maſanello regit, & dominatur, punitis conſceleratis & omni labe coinquitatis hominibus; virtute partam libertatem, conſilio firmandam.

Introſpexit ſtatim Cardinalis, ſe profeſ-

ſione confidentiæ nihil profeciſſe; quinimo
182 in magno verſari diſcrimine, ne vna cũ ipſo
Archiepiſcopalis Dignitas, & Cardinalatus
culmen violaretur: certus tamen nihil magis
cauendum ſibi, quàm ne timere intelligeretur, demulcere vtcumque furentes ſtudet.

, *Facinus ipſorũ, quo intolerandum, & per*
, *malas artes impoſitum Patriæ iugum depule-*
, *rant, præclarum, & omni laude digniſſimum,*
, *Proregem ipſum probare; nec in Edicto, (ne*
, *errent) notatum, vt crimen, ſed ad remouẽ-*
, *dam ab eo cuiuſcunque pœnæ ſuſpicionem cau-*
, *tum. Verſutæ non minus, quam pernicioſæ*
, *ſunt calumniatorum, adulatorumque fallaciæ,*
, *quibus illi non rarò falſis nominibus abutentes*
, *pericula inſontibus creant; quorum verba, vo-*
, *ta, geſta malignè detorquentes, ſceleri ſæpiùs*
, *imputant, quæ veriùs, rectiuſque pietati eſſent*
, *aſcribenda: Hoc igitur edicto præclariſſimum*
, *veſtrum facinus non damnatur, ſed os obtu-*
, *ratur quãdoque futuris calumniatoribus, quos*
, *deprimi dum vos vincitis, & fructus eſt veſtræ*
, *virtutis, & portio non modica fælicitatis. Ve-*
, *ſtra intereſt, lætos nedum viuere omnes con-*

ſcientia

ſcientia pulcherrimi facti, ſed etiam ſecuros. ,
Marcus Tullius eodem prorſus facinore, quo ,
Pater Patriæ appellatus fuerat à libera Patria, ,
ab eadem quam liberauerat, calumniatore Clo- ,
dio, pulſus fuit vt criminoſus. Veſtrum tamẽ ,
totius huiuſce rei ſit arbitrium; etenim ſi Pro- ,
rex ne requiſitus quidem, vt fidiſſimi huiuſce ,
Populi præcaueret ſecuritati, in veſtra ſtudia ,
imprudens peccauit edicendo, facilis ei erit re- ,
ceptus reticendo, æquè in vtroque voti compos, ,
ſiue ſatis cauerit, ſiue ſatis fecerit. Cæterum ,
quod attinet ad Priuilegia, & immunitates, in ,
quibus ſtat rei cardo, non perfunctoriè de eis ,
cenſendum puto: cum reſciuiſſem nihil remo- ,
rari gaudia veſtra, præter Imperiale Caroli ,
Quinti diploma, vbi primum illud à Prorege ,
habui, illicò vobis detuli cum reliquis omnibus, ,
ne inſpectis quidem; nulla ne leuiſſima quidem ,
tactus ſuſpicione, eo mecum candore non agi, ,
quo cum eo addecet, quem feſelliſſe in tantis ,
rerum anguſtijs mortalium omnium minimè ,
expediret. Quod ſi Regij muneris ſui, digni- ,
tatiſque meæ obliti, fraudibus per me vobiſcũ ,
egère; vt ego, qui ex paſtorali munere debeo, ,

, & ex charitate percupio, vobis ad omnia fau-
, sta, fæliciaque adesse, in antiquos, & anti-
, quioribus duriores calamitates traherem; fa-
, ciam profectò vt breui intelligant, fraudes in
, auctorum semper capita ruituras, illorum con-
, triuisse. Agite sanè, Iulium Genuinum ha-
, betis, virum cùm fide spectatum, tùm doctri-
, na, & rerum experientia clarũ cũ consulite,
, traditisque hisce tabulis omnibus, per otium
, maturiùs diligentiusque examinandis; vt ex in-
, de exploratiora omnia ad vos referat. Interim
, stat sententia: Me apud vos perseuerare, vel fi-
, dei pignus, vel vltorem perfidiæ.

183 His dictis sedem apud Carmelitas poscit, sumitque placata multitudine, cuius arbitrio integra omnia seruabãtur, & quæ dum discutitur res, Cardinalem habitura esset in potestate; læto Cardinali, qui fæliciſſimo vsus Consilio, vltro deferendo cum gratia, quæ timuerat cum dignitatis iactura, ex ijs se explicauit angustijs, ex quibus facilè euasurum se, data oppurtunitate, cognoscebat. Inter quæ Genuinus volvit, expenditque tabulas
184 illas; quas, vt integras, & omni vitio, vitijq; suspi-

ſuſpicione carentes cognoſcit, ita ne mentionem quidem vllam, de exęquatione illa iuris inter populares & Nobiles factam intelligit, quam plebi perſuaſerat,& ſuper qua tamquã baſi ſomniatæ potentię Populi collocauerat fundamenta: qua re præter omnem expectationem perculſus in magna conſiliorum varietate fluctuatur. Populus verò, qui iam vniuerſus ſibi in ſeditione conſenſerat con- 185
ſultius ſurere, Maſanello in foro iam ſuo tribunal erigere, ex quo leges daret, Philippo itidem Regi, ſed in tabula effigiato, ad acclamationes, & adorationes expoſito; vt rẽ intuenti verè appareret, hunc pictum, illum verum Dominum eſſe; ſeu veriùs Regno inter Maſanellum Amalfitanum,& Philippum Auſtriacum diuiſo,huic inania Maieſtatis reſeruata, illi imperium attributum; cuius au-
ctoritas mirum quantum, non ſine morſu 186
doloris Perronij ex ęmulatione magis ſemper ac magis gliſceret.

Cardinalis verò licèt, ſacris illis Carmelitanorum ędibus circumſcriptus, cæptis inſiſtebat; & per idoneos homines, ſacri potiſſi-

mum

187 mum ordinis, in populum ſparſos mitiora
ſuadebat: inter quos præcipua fuit opera Frã-
ciſci germani fratris ipſius, ex ipſa illa S. Frã-
ciſci familia, quæ ab acuminato cucullo capi-
188 ti indito nomen traxit; qui magna innocen-
tiæ fama quæ ex ſplendore fratris illuſtrior
apparebat, eratque illi pro facundia, quaſi
concionabundus per forum diſcurrebat.

, *Nihil in terris abſque Dei nutu geri, abſ-*
, *que Illius Miſeratione, & Iuſtitia nihil. Et*
, *vt certum eſt peccatis Populi imputanda, quæ*
, *his retrò temporibus à duris vectigalium indi-*
, *ctionibus, durioribuſque illorum exactionibus*
, *paſſi eſſent: non minus palam eſſe ab eiuſdem*
, *Miſeratione profecta ea, quibus exultent, &*
, *merito; per inexcogitatos & qui vix intelligi*
, *poſſunt modos, ex tantis educti malis, non ſe-*
, *cus, ac Populus olim ille Deo acceptiſſimus ab*
, *Ægyptiacâ ſeruitute. Agnoſcerent igitur, vt*
, *agnouerunt illi ſacro modulati carmine, Di-*
, *uinam Bonitatem; non ea tamen confidentia*
, *ac ſecuritate, vt obliuiſcerentur Iuſtitiæ iam*
, *expertæ. Non placere Deo contumaciam ſu-*
, *biectorum aduerſus Principem, quinimò ore*

Bea-

Beatissimo Sāctissimi Apostolorum Principis, ›
iussum obsequium etiam aduersus proteruos ›
dominantes. Et vt quæ hactenus egerint, de- ›
fensionis clypeo mortaliū pectoribus à Deo ipso ›
insitæ excusari, tueri, ac etiam approbari va- ›
leant; ita oblatæ immunitati à vectigalibus ›
omnibus, oblatæque sequutorum omnium obli- ›
uioni non acquiescere, lethale esse. ›

His vel parum absimilibus totus ad pietatem compositus, facilè assensum à sanioribus eliciebat, sed incassum; cuncta rapiente, & suis furijs agitãte Masanello; flammis vt prędiximus in gazam damnatorum capitum sęquiente, hoc præcipuè Martis die, qui pluri- 189
bus, ditioribusque perniciem attulit, Cenamo inter alios Regij ærarij Præfecto; quem contra Proregis destinata, perniciem allaturum vectigal propugnasse memorauimus. Et 190
cum iam ferè deesset sæuiendi materies, volũtas cresceret; nocte, quæ illum sequuta est diem, ad idem infortunium destinantur ędes Nobilium, qui proximi inuidiæ erant; iras insuper exasperante Matalonij fuga: ratusque Masanellus Cardinalem Nobilitati infensum,

haud

haud alienum fore vltionis deſiderio ab atro-
ci conſilio; rem ei aperit, legendaque tradit
viginti ſeptem Principum Ciuitatis nomina
ſcripto comprçhenſa, quorum ædes, & vni-
uerſa ſuppellex incendio deſtinata erat; inter
quos, agmen ducebat Hoſtiliani Princeps ad-
modum puer, ſed quem ante omnes recen-
tiſſima premebat Patris inuidia olim Prore-
191 gis. At Cardinalis, qui eiuſdem corporis eſ-
ſet, contentionem autem illã aduerſus ſuos
ob cultum prodigioſi ſanguinis *Sãcti* Ianua-
rij, caſu exortam, non niſi de dignitate ſu-
ſcepiſſet; abominatus ferum conſilium, ſta-
192 tim contrà diſſeruit, diſcuſſitque: exemplo
validior, & magnitudine animi, ſolatia læſę
dignitatis ex inimicorum calamitate aſper-
nantis, quam oratione. Indeque apud ple-
roſque, Maſanellum præſertim acceptior,
cuius ferox ingenium paulatim permulcen-
193 do, tractandoque manſuefecit adeò, vt in-
domitum alijs, & intractabile, obnoxium
vnicè ſibi & quaſi morigerum reddiderit: &
cum non niſi elato ſuper omnium capitibus
enormi gladio; quaſi vitæ, neciſque domi-

nus,

nus, ageret; Cardinalis nunquam ab eo sæpius, & enixius interpellato, impetrare potuerit, quin semper nixus genibus, demissoque ad terram gladio secum misceret sermones: qui eò meliori spe concordiæ conciliandæ insistebat, quò perspectis, sæpiusque reuolutis per Genuinum Priuilegiorum tabulis, certius appareret, nihil non sincerè in eis actum. 194

Verum cum turbæ ferè resedissent, & licet malacia nondum sequuta venti saltèm remisissent, interque Cardinalem, Masanellum, Perronium, & Genuinum, reliqua astante multitudine, quietis consilia feruerēt: ecce tibi rapidus, & vehementissimus turbo ex inexpectato ingruens, cuncta disiecit, tēpestatemque excitauit si vnquam aliàs atrocissimam. Tercenti equites fuere, ex illo hominum genere, qui capitalia ausi damnatique, absentes, fuga pœnam eluserant; & in exilio rapinis, sceleribusque omnibus coinquinati vitam tolerabant, qui Abbatis Perronij (eiusdem scilicet farinę hominis) accitu aduenerant; specie quidem suppetias populo 195

minentem ſibi ab eis perniciem, ſiue abhorrente ab huiuſmodi hominum colluuie, ſceleribus omnibus cõinquinata; ſtatimque iuſſit, equis deſcendere, & cæteris exequari: 198
contra Perronius diſſerere. 199

Hac ſola parte virium populum imparatũ eſſe, ſi pugnandum cum Regijs foret; haud dubiè equitatu opus eſſe, nulloſque promptiorem operam præſtaturos illis, equo diù aſſuetis, nec alios parari poſſe, imbuta fauore Regio vniuerſa Nobilitate.

Sed Maſanellus eloquio impar, vi autem longè potior, verbis omiſſis ad vim conuerſus, percuſſa ſibi manu de more fronte, iam 200
inconditam illam Multitudinem, qua cingebatur in equites immittebat; cum Perronius diſcrimine anxius, ſed intrepidus, ſignum exulibus dedit: qui ſubitò ingruentes, magnã in ſeminudum Maſanellum plumbearum 201
glandium procellam explodunt; quæ tamen (nouitate rei attonitis omnibus, & ſtupore defixis) innocua cecidit, ſupraque, & ad latera volitans, illæſum impetitum Maſanellũ 202
præterijt. Sed non eadem fortuna Perronio,

& exulibus ſauit, quibus nec arma ad tutelã; nec equi ad ſugam, nec Eccleſia ad ſuffragiũ iuuere; ſed eodem ferè momento temporis ab irata multitudine, vbique cæſi, laniati, &
203 in ludibrium per vias tracti, audaciſſimi attẽtati facinoris pœnas dedere.

Dum autem inter ſpoliandũ Perronij Cadauer, epiſtola apparuit index conſpirationis, in cędem Maſanelli cum Matalonijs fratribus initæ; tum verò plebs cædibus efferata, in cędes ruere, & veteri quam demulcẽdo lenierat Cardinalis, ira excitata, vniuerſam ad necem depoſcere Nobilitatem, ſed
204 fratres illos flagrantiſſimè, in quos recenti odio ferebatur: Matalonios proditores, Patriæ hoſtes, Populi inimicos, magnis identidem vocibus inclamantes, deteſtanteſque: auditoque alterum ex eis Ioſephum ad Sanctę Mariæ Nouę Franciſcanorum cœnobiũ deliteſcere, ſtatim aduolant, fores effringũt, cuncta perluſtrant, & non ſine cænobitarũ ſanguine abdita quæque, ſepulcra etiam ri-
205 mantur: dum ille periculo anxius, loco diffiſus, latebras in domum meretriculæ eiuſdẽ

vicinię

viciniȩ quærit, & obtinet, ſed ab ea proditus,
vel (vt aliqui voluere) à famulo indicatus;
viſo per tecta fuga ſibi conſulere; ab audacia
mutuato conſilio, præ foribus eiuſdem do-
mus irruentibus occurrit, & quem quærerẽt
rogitans, ſe Ioſephum Caraſam vltrò profi-
tetur, quaſi in Minturnenſi carcere Marius
alter terrore nominis percuſſoribus metum
illaturus; neſcius, quantum inter metum
crudelitate partum, & venerationem virtu-
te quȩſitam interſit, ſenſitque ſtatim diſpa-
rem exitum: animoſȩ namque profeſſioni
odioſiſſimi nominis; aſt ego (reddit illicò ex
irruentibus vnus) Agnellus ſum lanius, di-
ctaque comprobans facto, cruentum illico
miniſterium cȩſo ſectoque in partes calami-
toſiſſimo Ioſepho repreſentauit. Qua lanie- 206
na plebs non ſatiata, fruſta infœlicis cadaue-
ris per frequentiora ciuitatis loca raptando,
odia conſumebat, infauſtum nomen vti pro-
ditoris magnis clamoribus deteſtans; tandẽ- 207
que cum eodem elogio: Ioſephi Caraſtæ pro-
ditoris, truncatum caput, & ex pedibus al-
terum longioris haſtȩ cuſpide infixa, in foro

ad

ad ludibrium expoſuere: eo ipſo in loco, vbi
208 retroactis menſibus Princeps Sanſius læſæ
maieſtatis damnatus capite plexus fuit. Et
hunc exitum habuit magis ex infœlicitate ce-
lebrem, quam ex merito deplorandum, Io-
ſephus ex Gente nobiliſſima Caraffenſi, fa-
milia verò inter cæteras clariſſima Ducũ ſci-
209 licet Matalonæ; qui tamen tanta nobilitate,
tantiſque opibus abuſus, inter plura ſcelera,
quibus inſueuerat, carnificinam ferè homi-
num in eadem Ciuitate exercuerat: ipſeque
fuit, cui vnico reſcripto, triginta, & amplius
capitalium criminum gratiam Mediniũ Pro-
regem feciſſe, ſupra memorauimus; eiuſdẽ-
que crudelitati accepto ferri licebat, cur eo
potiſſimum loco caput cum pede expoſitum
ludibrio fuerit.

210 Sanſij Princeps Surrẽtinus fuit origine;
nobilitatem, & opes habebat ab Auo, qui
ſtudijs Iuriſprudentiæ ad ſummam Præfectu-
ram Sacri Conſilij olim euectus, ſplendidio-
ris fortunæ primus auctor fuerat, quam ipſe,
Paterque inter Dynaſtas conſcripti, connu-
bijs cum Nobilibus, totoque vitæ apparatu
ma-

magnificè ſuſtinuerant: ſed cum vanioris eſſet ingenij, amore captus cuiuſdã haud ignobilis fœminę, eam amatorio ambitu de more gentis ſectari cæpit ardentius; vel neſcius, vel nihil reueritus, eamdem à Matalonæ Duce impenſius coli. Quod vbi reſciuit ille cuiuſcunque æmuli, ne dum Surrentini hominis impatiens amore vecors Sãſium ad mortem deſtinauit; adeo non diſſimulanter, vt ille præſenſerit, qui periculo admonitus, cui impar in Patria erat, Medinio prę ſertim Prorege, quem per Vxorem Oſtilianam arctiſſimo affinitatis vinculo Matalonæ Dux attingebat, ſolum vertit; obuio, facilique Romã confugio. Nec æmuli exilio ſatiatus Matalonius, duriora in eiuſdem perniciem ſtruere, & læſę maieſtatis (qua nulla ad inimicos ſiuè noxios opprimendos potior apud imperantes, ſiue ad circumueniendos innocẽtes opportunior accuſatio) eum apud Medinium inſimulat. Inſtruendæ accuſationi ſiuè cauſam, ſiuè ſpeciem præbuit ille, per vanitatem ingenij profeſſus ante inter ęquales Andagauenſem factionem (vitio apud Neapolitanã

Nobi-

Nobilitatẽ ſatis recepto) minus caute, quàm ſub Hyſpanorum Imperio oportuiſſet: tunc verò, palam factis inimicitijs illis cum Matalonio Hyſpano Proregi gratioſiſſimo, ſtudioſiùs amplexus Sanſius, manifeſtius induebat. Tanto igitur crimine prædamnatum, antequam reum factum, Prorex per idoneos homines ex ſchola ſcilicet huius Ioſephi, vi Roma, fremente Vrbano Octauo Summo Põtifice Neapolim attraxit; ibi cauſa cognita, ſiue habito cognitæ ſimulacro, capite plexus pœnas Maieſtatis læſę, ſiue ſuſceptæ cũ Matalonio contentionis dedit. Cuius ſupplicij acerbitatem cumulauit ignominia, qua pedibus, operto capite, manibuſque ligatis, per frequentiſſima Vrbis loca, ductus fuit in forum, ſupplicio afficiendus, non ſecus, ac quilibet deſpectiſſimæ conditionis homuncio, proclamante Præcone; ſic agi cum homine plaga Surrentina, Regis proditore: tantęque contumeliæ ea acceſſit indignitas, vt & Prorex è feneſtris Palatij palàm ſpectauerit feralem pompam, qua miſer ille trahebatur ad necem, & Matalonij fratres tamquam ſupplicij

plicij exactores, præſentes eſſent, dum ple-
ctebatur, pauerintque oculos inimici ſangui-
ne: cumque fortè obtruncatum caput, facie
ad terram obuerſa, cecidiſſet; Ioſephus calce
ad cœlum, augendæ contumeliæ conuertit.
Hanc igitur ad expiandam atrocitatem faci-
noris, haud abſurdum piaculi genus pes ille
cum Ioſephi capite in eiuſdem ſupplicij loco
pepēdit: ſupplicium namque illud vario ru- 211
more agitatum fuit apud Neapolitanos, opi-
natis pleriſque (vt proniora ſunt hominum
ingenia, ad credendum de imperantibus de-
teriora) calumnijs inimicorum circumuen-
tum, nullius atrocioris noxæ compertum,
Sanſium cæſum; ni noxę imputandũ,(quod
inconſultæ, ſtolidæque licentiæ fuit) cum
Gallico Oratore Romæ degente ſermones
ſæpius eum miſcuiſſe.

Huius certe cuiuſcumque Iudicij infamiã, Mathæus Caſanata, & ~~Fabricius~~ Galeotus, Fabius integritate, & doctrina præcipui auxere, qui ſanguinario illo conſilio, quo Sanſius damnatus fuerat mitiora palam cenſuerant.

At non occupauerat adeo plebis animos,

ex Perroniano ſcelere ferocientes, vnius hominis cędes; quin ſuperante ad omnia multitudine, longè maiora, eodem tempore, pluribus in locis & ſęuiora moliretur. Inter præcipua caput malorum erat, Proregem ipſum, & cum Prorege Collaterale, cæteraque ſanctiora Concilia in Palatio (occupatis, obſtructiſque viarum exitibus, quæ ad illud ducebant) obſidere; in quo quacunque alia ceſſante vi, fame intra paucos dies omnibus pereundum foret, magna incluſorum omnium trepidatione, Proregis præſertim, qui in eo ſalutem omniũ collocans, ſi plebs intelligeret, ſeparata fuiſſe à ſuis Matalonio-rum, & Perroni conſilia; Cardinalem datis codicillis enixè admonet.

, *Se ne dum inuito, ſed pænitus inſcio, tantũ*
, *facinus in inſontem, & optimè de Rep. meritũ*
, *Maſanellum Matalonios auſos: rectè, atque*
, *ordine factum, quod puniti eſſent auctores; &*
, *ſi qui ſontes adhuc remanerẽt, ipſo etiam au-*
, *ctore punirentur. Cæterum inter ſe, & fidiſ-*
, *ſimum populum integra omnia eſſe; pergeret*
, *porrò, & optimè ſtabilita ad optatum exitum*

per-

perduceret; vt restituta Ciuitatis quiete, & Regis obsequio, fidissimus Populus frui posset ingentibus bonis, quæ applaudente regia benignitate, sua ipsius virtute sibi quæsiuisset.

Plebs verò de puniendo Duce Matalonæ sollicita, cęterorum incuriosa furere, truculentissimis vocibus eum ad necem poscere, quęrere, indagare, secreta omnia rimari, Religiosarum familiarum ędes omnes, Ecclesias, Sepulcra ipsa perscrutari, per varia etiam, viciniora que Vrbis littora nullo certo Duce, vel indice vagari: haud dissimiles venaticis illis canibus, odoratu præcipuis, qui magnam in syluam immissi, per deuia quæque, inuiaque non sine ingenti latratu hinc inde cursitantes, omnia sedulò perlustrant; sed tandem intēdentibus iam se tenebris fessi, irriti conatus laborem non alia solantur præda, quàm humi strati, leuissima aeris frigidioris respiratione frequenti: licèt verè longè potiora fuerint plebis Neapolitanę ex non reperto Duce Matalonę solatia, spoliatis omni suppellectile amplissimis eius ędibus, à quibus etiam euertendis concremandisque is so-

lummodo timor auertit; ne cuniculi nitrato puluere repleti, quos rumor ſparſerat ędibus illis ſuppoſitos fuiſſe, ſimul incenderentur, ingentemque ſtragem circumiacentium ędificiorum, hominumque darent: ea prętérea recreati ſpe, haud quaquam longum fore Duci gaudium ex latebris, ſiue ex fuga, tot millibus contra vnum conſpirantibus; quam vt intenderent, & facerent viciniorem, Ducem Matalonię, vti Regis, & fidiſsimi Populi Neapolitani hoſtem, & proditorem publicè proſcripſerunt, propoſito triginta ducatorum millium pręmio, percuſſori.

(:)

MA-

MASANELLI APVD SEDITIOSOS Potentia Cędes, & Funus.

LIBER TERTIVS.

NIhil intereà frequentiùs in ore vulgi; 1
nihil in mente admirabilius incolumitate Masanelli ab lethali illa tot glandium plumbearũ procella. *Masanellum Deo charum, acceptissimũ Deo Masanellum, electũq; inter tot millia, qui in libertatem populũ vindicaret: Masanellum non fidentem Corporis viribus, non militiæ gnarum, non doctrina, & sapientia clarum, nõ opibus, non nobilitate opulentum, fulgentemue; sed indigum, expertemq; omnium sibi Deum elegisse Populi Ducem, & ab hamo, calamisq; euocasse ad sceptrum destinatum olim Masanellum. Verũ enim verò arcano quodam impulsu Diuinam bonitatẽ delectari artificio piscatorio (an quia post adhibitam summam industriam cuncta in Dei prouidentia reposita habeat?) certè vt olim piscatores ad informamdam, regendamq; Christianitatem per vniuersum terrarũ Orbem*

bem

, bem elegit, non secus seminudum piscatorem,
, Masanellum ad domandam humani ingenij
, superbiã cuncta sibi tribuentis, asserendumq;
, diuinam prouidentiam in hominum mentibus
, fluctuantem excitasse, Neapolitanumq; Popu-
, lum ab intoleranda Tijrannide liberandam.
, Quid nè igitur Natura suo pareat auctori;
, sensuque carentia eo iubente mentem induant?
, nudoq; pectore repercussa cedat fulminea vis?
, Maiora profecto visurum Neapolitanum Po-
, pulum in Masanello suo, cum maiora possit
, Deus in sanctis suis.

2 Accedebant ex sacra Carmelitana familia prçcipui, qui symbolo Deiparę Virginis, ex pio illorum instituto, è collo Masanelli pendenti munimen haud dubiè contra tempestatem illam magna asseueratione tribuerēt, Mercurij prçsertim die illo santo Numini sa-
3 cro, & prçcipua culto Religione. Nec defuere, qui securo mendacio vidisse se plumbeas pilas inoffenso pectore, cui inciderant, ad pedes Masanelli decidentes testarentur; Columbamque solito candidiorem cœlo demissam illius caput circumuolitasse, & gyro quodam

quodam quaſi tutelari circũſcripſiſſe: facili,
pronaque ad credendum omnia plebe, &
narrata pro compertis, inter alios, atq; alios
diſſeminante; tanta approbatione, abſque 4
vllo veri, falſique diſcrimine, vt iam inter
Diuos potius, quam inter mortales Maſa-
nellus (peſsimo nimirum illius omine) vulgò
cenſeretur.

Ei certè periculo illo vtcumque defuncto,
tanta auctoritatis acceſsio facta eſt remoto
præſertim, extinctoque Perronio (qui non 5
pauca, non leuia in illa rerum agitatione au-
debat) vt ab eius vnius nutu penderent om-
nia: vt cum in Ciuitate illa centum quinqua-
ginta, & amplius hominum millia in armis
eſſent, quocunque legum metu, Magiſtra-
tuumque reuerentia ſolutorum, quorum
nullus, nec animi, nec corporis viribus, for-
tunæ, Naturæue bonis Maſanellum non
anteiret; omnes tamen (vt nulla poſteritas
imitetur nulla taceat) ita promptè Maſanel-
lo parerent, vt abſque vllo examine iuſti, vel
honeſti, abſque vllo dignitatis, aut perſona-
rum diſcrimine, quæcunque verbo, nutuue
iuberet,

iuberet, certatim exequerentur. Omnes
6 corporis ſtipatores diceres, omnes pręcones,
accenſos lictores, carnifices, & tamquam
ſingulos ex muneris neceſſitate interpellatos
mandata capeſſere, & dicto citiùs conſuma-
7 re: ſiue imbuta mētibus Diuinitatis opinio-
ne, ius faſque omne in eius ore poſitum in-
terpretarentur; ſeù veriùs fæx illa plebeiorũ,
qua propiùs cingebatur Maſanellus, præcla-
rum ducentes ab vno ex ipſorum genere cũ-
8 cta pendere, nihil abnuerent; honeſtiores
verò odio dominantium obdurati, probarēt
omnia, illi ex vtilitate ſecuri omnia auderent,
hi periculo territi contra ire non auſi; inde
factum eſt, vt quod pauci, audacioreſque
cæptauerint, omnes perficerent: cumque
9 potiora Maſanelli iuſſa omnia ad ea reparan-
da dirigerentur, quorũ odio laborabat Reip.
adminiſtratio; facinoroſorum videlicet ho-
minum coercitionem, cibariorumque copiã,
10 & vilitatem; ea ſtatim acceſſit, & cõſequu-
ta eſt decretis illius auctoritas, quæ vix, &
ne vix quidem plurium annorum decurſu,
& vſu ex ſapientiſſimorum virorum placitis
expe-

expectari potuissent. Quare cum serò eiusdem diei, quo contigit cędes Perronij, vltraque omnem fidem supergressa est apud Populum Neapolitanum Masanelli potentia; suspecti essent concursus nocturni, timerenturque in tenebris ea, quæ lux arguit, cohibetque, edici iussisset Masanellus, proposita 11
pœna capitis, flammarumque domibus inferendarum, de domi se continendo; obeundisque tacitè curiarum stationibus, exponēdisq; ad fenestras luminibus; obedienter adeò ab omnibus obtemperatum est, vt nocte illa, qua Ciuitas omnis in armis erat, nulla vnquam dies sedatior, nulla illustrior effluxerit Neapolitanis. Magnificū sanè specta- 12
culum, & immixto terrore (si causam negligeres) delectabile: videre amplissimā Ciuitatem splendidissimis ædibus frequentem, armorum cateruis exundantem, vniuersam armis, signis, luminibus collucentem, dissonoque murmure perstrepentem.

Nec minori obsequio recepta, rataque 13
habita edicta quam plura, promulgata sequuto Iouis cum sequentibus die, & inter præcipua.

14 De tollendis latronibus, ſicarijs, exulibus,
alijque nefarijs hominibus.

15 De interdicto armorum geſtãdorum vſu
Nobilibus, nec minus receſſu à Ciuitate, ac-
ceſſu ad Palatium, Arceſue.

16 De iuramento præſtando ab armatis om-
nibus eorumdem Centurionibus, & Otti-
narum Præfectis; ſeque recipiendi domum
poſt primam noctis horam.

17 De incedendo per Ciuitatem abſque pal-
lio vllo, veſteue talari.

18 De exponendis præ foribus domorum
omnium inſignijs, tùm Regis Hyſp. tùm Po-
puli Neapolitani.

19 De fraudibus circa rem cibariam, panem
præſertim cohibendis; quas ſeuerè adeo vl-
tum ijt, vt piſtorem quemdam leui noxa cõ-
pertum, illicò ne auditum quidem in ipſiuſ-
20 met furnum flammis torridum aſſandum
crudeliſſimè immitti mandauerit: id enim
habuere truculentiſſimum cædes à Maſanel-
lo iuſſę, & quæ licèt ſępiùs in noxios haud
quaquam iuſtè exequerentur; quod indem-
21 natos, & indefenſos opprimeret potius, &
tru-

trucidaret tamquam Sicarius, quam cōdemnaret vt Iudex: quorum exempla edidit frequentiſsima, cum forum omne cæſorum capitum ſanie, tabeque fluentium horrendum eſſet vbique; quæ omnia referre non minus putidum, quam longum, & ferè infinitum, eſſet: illud non preteribo, quod diù celebre in Ciuitate fuit, tùm nouitate ſceleris, tùm celeritate exitus, illo in ipſo rerum articulo, quo hæc contigere patratum. 22

23 Bernardinus (vulgo Arctinus) Graſſus ex plebe ingenio, manuque promptus, & militia clarus, animo tamen elatior, quàm opportuiſſet in Ciuitate, in qua cuncta Nobilitati tribuuntur, ſæpius propterea malè vt neceſſe erat ab ea acceptus, in tutelam Mataloniorum tandem confugerat; quorum patrocinio rebus quietis tutior, vbi turbatas vidit, Perronumque cæſum, Maſanellum verò contra Matalonios ſurere, illũ adit, operamque pollicetur, ex patronorum ſanguine quaſi Ligarius alter pretium reportaturus: 24
quem intuitus Maſanellus perfidiam hominis auerſatus, alta & concita voce vt duplicis

faciei obiurgat, manuque ad circumfuſam
multitudinem facta ferali ſignificatione reſe-
candę ceruicis, quæ pro accuſatione, proba-
tione, & condemnatione habita, tanta cele-
25 ritate concepti; nec dum patrati ſceleris pœ-
nas dedit; vt vix Cardinali (qui præſens erat)
tempus fuerit, ſacroſancto ſalutiferæ Crucis,
manu facto ſigno, obeuntem munire. Et
hunc quidem exitum habuit benè ſignatus
Bernardinus, ſed ad potiora reuertamur.

26 At Cardinalis vbi ſe acceptum plebi, Ma-
ſanello verò, à quo plebs ipſa pendebat vene-
rationi eſſe intelligit; non contentus eos No-
bilitati placaſſe, ac Proregi (quem alienum
fuiſſe à Matalonorum, exulumque conſilijs
perſuaſerat oſtentato eiuſdem conſenſu, co-
natuque in illorum pœnam) opportunitate
vſus, maiora ſtruere, & ad concordiam cō-
ciliandam vires omnes intendere: conuer-
27 ſuſque ad Genuinum, penes quem arbitria
conſiliorum, & ad Franciſcum Arpaiā co-
gnatione, & fauore eiuſdem Genuini, Po-
puli Delegatum; ijſque vario ſermone pertē-
tatis cognoſcit, Priuilegijs illis ſiue Caroli
Quinti,

Quinti, siuè à Prorege Regis nomine tradi-
tis, rem confici non posse; cum nec ijs satis
caueatur, nec illis satisfieret desiderio Populi.
Conditionibus propterea agendum, & leges 28
quodammodo accipiendas, vel de quacunq;
concordia desperandum: quorum postremũ
abominabatur, primum verò aggredi non
audebat, veneratione erga Regem debita.
Nihil propterea expeditiùs habuit, quã Pro- 29
regem misso cubiculi sui Magistro, de re tota
reddere certiorem, & exquirere ab eo: lice-
ret, placeretue de conditionibus cum Popu- 30
lo agi? à quo nulla de re, præterquam de se-
danda vtcumque seditione sollicito; per co-
dicillos statim responsum tulit.

Nunciata mihi ab Eminentiæ Vestræ cubi- „ 31
culi Magistro, læto, libentique animo accepi, „
respondentia prorsus spei meæ de tota re iam- „
diu conceptæ; Eminentiam vestram cuncta „
compositurum, eidemque tandem debenda om- „
nia. Quam supplex oro, vt qua cæpit diligen- „
tia, rem tantam vrgeat, conficiatque. „

Quibus receptis, cum rem securiùs agere 32
cępisset, subitus rumor ad arma conclaman-

tium verba, mentemque ad longè diuersa
33 conuertit. Classis erat triremium Neapolitanarum, quæ ductu Ioannetini Auriȩ vice Præfecti Genua aduentabat, portum subitura; contra quam Populus hostilia meditabatur, parabatque: qua de re monitus Prorex à Cardinali, plures nuncios Auriæ misit cum mandatis, ne portum inueheretur, neue assuetas venerantium significationes explosis bombardis ederet: cum tamen nullus ne nando quidem ad eum penetrare potuisset,
34 Auria portum inuectus solemnia explosionũ peregit; quæ tamen res nihil plebem commouit, demulcente iras Cardinali, & ad Populi decus, Ciuitatisque honorem venerationem illam trahente. Non defuere tamen ex illa Nautarũ turba, qui cymba ad Auriæ Triremes delati, arrogantia ex rerum successu tumidi, eum ad Masanellum euocarent: quos spreuit ille quidem ab omni vi securus, non ita tamen; quin si triremi, qua vehebatur, exponenda fuit ad littus maris Ciuitati vicinum Magdalena, filia Clementis de Ruuere Conciuis nostri, nuptias contractura cum Ioanne

Ioanne Iacobo Marino, Triremi ipſi ſecuri-
tas ad littus Maris Vrbi vicinium ſponſam
expoſituræ, Maſanelli diplomate non fuerit
obtinenda.

Sedatis tandem, quas excitauerat, turbis
triremium aduentus Cardinalis, explorata
iam Proregis propenſione, hilarior, repetito 35
ineundæ concordiæ negotio, preſſiùs de cō-
ditionibus cum Genuino agere; quem vni-
ca illa angebat cura: de cośquando cum No-
bilibus Popularium iure, quod tamquā Ca- 36
roli Quinti Imperatoris priuilegijs debitum
menti Plebis inſtillauerat, quorum præſidio
deſtitutus (licèt reuerentia Cardinali debita
retentus, peruicaciùs ſomniatis inſiſtere nō
auderet) apparebat tamen haud facilè factu-
rum eum fidei, exiſtimationis, auctoritatis,
& potentiæ iacturam apud plebem re tanta
prçterita. Propterea Cardinalis certus, nihil
mora perniciosiùs, quæ nouis ſemper, &
durioribus ſubindè poſtulatis, inexplebili ple-
beiorum cupiditati ſpatium daret; præter-
miſſis quibuſcunque honeſtatis publicæ, &
Regiæ dignitatis rationibus, quibus iam diù

aures

aures multitudinis obſurduerant; tandẽ con-
37 cordat cum Maſanello, Genuino, & Arpaia in viginti tribus conuentionũ capitibus (quibus alia quinque addita fuere à Prorege ob bonum publicum ſtabiliendis) inter quæ illa eminebant.

38 , *Vectigaliá quæcunque tam per Regios Ad-*
, miniſtros indicta, quam per adminiſtratores,
, & Delegatos quoſcumq; Ciuitatis antiquen-
, tur; nullumque in poſterum indicatur: Fidiſ-
, ſimuſq; Neapolitanus Populus in huiuſce im-
; munitatis poſſeſſione, ſeu quaſi manutineren-
, tur; ijs tantummodo exceptis, quæ in Maris
, Telonio ex præſcripto Caroli Quinti Impe-
, ratoris exigi conſueuere: quandocumque vero
, vſus poſtulabit, vel ſuadebit occaſio, quid-
, piam per Ciuitatis Delegatos in Regis ſubſidi-
, um decernere; cui fidiſſimus Populus fortu-
, nas omnes, & vitam ipſam deuotam teſta-
, batur, id non niſi modis, & formis à Dele-
39 *, gato Populi, iunctis Ottinarum Centurioni-*
, bus, & Conſiliarij nominandis expediatur:
, ſuppreſſo interim eo, quod donationis nomine
, Medinio Prorege inditum fuerat.

Exe-

Exæquato iure, ac numero suffragiorũ cō- , 40
ueniant Populares cum Nobilibus in admi- ,
nistratione rerum ad Ciuitatem pertinentium, ,
iuxta Ferdinandi Aragonij primi Neapolita- ,
ni Regis priuilegia à Friderico quidem itidem ,
Rege per iniuriam supreßa, sed Anno 1505. ,
ad postulata Alberici Tarracinæ Delegati fi- ,
dißimi Populi iussu Ferdinandi Catholici re- ,
stituenda quorum quidem priuilegiorum au- ,
thentica documenta, omni adhibita diligentia ,
perquirantur tùm Neapoli, tùm in Hyspanijs; ,
repertaque fidissimo Populo bona fidè tradan- ,
tur, ijs interim fruituro (hòc enim commẽ- ,
to Genuinus res suas apud plebem sustinuit , ,
& stabiliuit). ;

Obliuione delẽda quæcunque à die septima , 41
mensis Iulij contigere, vel fortè contigerint, vs- ,
quequò cuncta fuerint stabilita: & quamuis ,
omnia piè iusteque à fidissimo Populo gesta ,
fuerint, pro sui suorumque priuilegiorum tui- ,
tione, liberandaque Patria ab immani Ty- ,
rannide quorumdam consceleratorum homi- ,
num, qui Regia auctoritate abutebantur, nec ,
vnquam propterea Regis optimi Maiestatem , 42

, *laesam, quam faustis semper acclamationibus*
, *celebrauissent & imaginibus coluissent, ad*
, *maiorem tamen Populi fidissimi securitatem*
, *plenam admissorum quorumcumque concedē-*
, *dā impunitatem: eis etiam comprehensis, quae*
, *Thomas Aniellus Neapolitanus cū socijs cre-*
, *matis foribus ad Sanctae Mariae Constantino-*
, *politanae extra muros peregissent ad milites il-*
, *luc confugas exarmandos.*

43 , *Denique concessorum omniū seriem mar-*
, *moreae tabulae insculptam, figendā in foro, eo-*
, *rumdemque regiam approbationem intra tri-*
, *mestre obtinendam, tabulisque publicis consi-*
44 , *gnatam fidissimo Populo tradendam: cui in-*
, *terea in armis perseuerare liceret, quibus qua-*
, *tenus ad praedicta sanciēda, retinēdaque vte-*
45 , *retur, sine noxa esset, nec contra Maiestatem*
, *interpretaretur, sed ad fidissimi Populi defen-*
, *sionem, securitatemque.*

Quibus vna cum alijs minoris ponderis
concinnatis, Masanellus conuocato ad Car-
minis Populo, suggestum ascendit; sedente
46 ad aram maximam Cardinale: ijsdemque al-
ta voce seriatim perlectis, de vno quoque
capite

capite differẽdo plebem fusiùs edocuit, eiusdemque consensum magnis clamoribus testatum elicuit concionabundus: illud præcipuè admonens (ex Genuini haud dubiè fari- 47
na) illa eadem olim, ab vsque Ossunæ temporibus destinata, tamdiù fuisse aliorũ inertia retardata malignèque Populo à Nobilitate interuersa. Dein ad Cardinalem cõuersus, gratias enixè egit de opera per eum sedulò præstita, ad commoda Populi procuranda; Populumque palam increpuit, qui de illius 48
fide dubitasset, ab eo propterea noxæ illius veniam enixius postulandam: qua iteratis cla- 49
moribus efflagitata, & à lætissimo concessa, ad eam magis contestandam, arctiusque iungendos animos, monitu, rogatuque eiusdem Masanelli, Cardinalis ter voce, manuque in- 50
ter omnium plausus, faustasque acclamationes Populo benedixit: qua re per Iosephum Rossium ex Franciscana familia apud Cardinalem sacrarum litterarum professorem, nũ- 51
ciata Proregi, qui eum sæpius, dũ hæc agebantur scripto rogauerat.

Vt quam citissimè cæpta perageret, mone-, 52

, retque fidissimum Populum de calamitatum
, Illiade, quæ inter moras à perduellibus, Regis-
, que hostibus imminebat; imputandaque om-
, nia haud dubiè ijs fore, qui morositate nimia,
, cauillisque bonorum omnium vota retardasset.

53 Ingenti lætitia exultans probauit omnia, vt conuenta fuerant; & cuiuscumque moræ impatiens, Cardinalis monitu, illicò ad se in
54 Palatium Masanellum inuitauit, ad ea ipsa stabilienda, quæ fidissimus Populus postulauerat: vt satis appareret, facilitatem illam in rebus tantis, quibus Dominationis nerui
55 omnes incidebantur, ab animo haud quaquã candido prouenire. Masanellus verò ad tantam facilitatem, tantamque Proregis benignitatem animi dubius hærere, Plebemque
56 ex æquo rogare. Ecquid placeret inuitatum se à Prorege in Palatium ire?

57 Reluctante, renuenteque multitudine; faciẽ manu tegẽs, vt assolebat, paulisper cũctabundus conticuit: sed aperto ore pronunciat.
, Iturum sese, & pro salute charissimi Populi
, quodcunque discrimen subiturum.

Maiori sanè eloquentiæ vi opus fuit Cardinali,

nali, vt Masanello persuaderet, vestes vt su-
meret splendidiores, & quæ decerent tanti
Populi Ducem, & Liberatorem; renuente 58
Masanello, & mordicus retinente, vilia illa
sua cum interula fœmoralia, quibus malè te-
ctus vix à nuditate defendebatur, magna as- 59
seueratione identidem exclamante.

Se piscatorem pauperrimum, non alicuius ,
cuiuscumque commodi sui spe, vel desiderio, ,
sed Populi charitate, indignissima pressi Ty- ,
rannide, omnium libertatem quæsiuisse; qua ,
adepta certum sibi esse, ad pristinum redire ,
vitæ institutum. Nil igitur sibi opus illis vesti- ,
bus, sine quibus cum potuerit omnes in liber- ,
tatem vendicare, multò faciliùs, promptiusq; ,
tueri poterit pauperis piscatoris vitam. ,

Obstupescant Maiores, & vetustioris ęui 60
magna nomina, opum, honorumue clara
contemptu: & cum ijs obstupescant doctri-
na, & sapientia celebres, numquam satis cō-
fisi eruditissimis scriptis docuisse, quam diffi-
cile, & in arduo positum, solisque sapienti-
bus concessum, honores, opesque contem-
nere. Obstupescant viso, intellectoque Ma-
sanel-

ſanello haud dubiè libertatis tanti Populi vindice, hamos, & calamum in ipſo rerum preclariſſimarum ſplendore cogitante, qui cum opulentiſſimæ Ciuitatis opes omnes adeo in poteſtate haberet, vt perdere potuerit; ne ad cultum quidem corporis vti tantulis ſuſtinuerit, ad illam celebritatem cohoneſtandam, qua triumphaturus de Hyſpanorum potentia ibat Proregi ipſi daturus concordiæ leges; & ſi per Cardinalem licuiſſet, Hyſpanicum faſtum expetitus ad congreſſum ſordido illo piſcatorio amictu, pedeque nudo calcauiſſet. Accedat cogitatio, ex antiquioribus illis paucis benè toleratam paupertatẽ, vel in rebus modicis frugalitatem, ſiue in alienis abſtinentiam veriùs, quam opũ, honorumue contemptum laudi fuiſſe: ne illos commemorem, qui verbis contemptores opum, eas fœnore augebant, quiue ex tuto feroces opes, honoreſue ex ipſo earum contemptu quæſiuere. Nec magnoperè mirãdum eſt, Cincinnatum à ruſtico opere ad Dictaturam euocari, cui ſeruus deeſſet; Fabritiumque Samniticũ aurum ſpreuiſſe, quod

ſine

ſine ſcelere non accepiſset: in Maſanello verò nudus contemptus, & à quacunque alia animi affectione ſeiunctus miraculo eſt vt poſt Maſanellum tanti futurum nõ ſit opes, honoreſque contemnere; quæ tunc verè cõtempſeris, cũ cõtemni ea pro nihilo duxeris.

Expugnauerat nihilominus Cardinalis obduratum in ſua vtilitate animum ex incuſſa verecundia; cum diceret.

Se illi comitem addere ituro ad Proregem, 61
deſtinatũ ſibi, vt ſermonum arbiter inter eos eſſet, qui conciliandæ concordiæ fuiſſet: videret quàm indecorum Cardinalitiæ purpuræ tota inſpectante Ciuitate iungi, copularique lineum illud, quo malè tegebatur indumentum: laudare ſe quidem animi moderationem, ſed quam nec communis vſus coarguat, nec mores hominum reſpuant. Indueret igitur veſtes perſonæ, quam ſuſtinerent pares; & ſicut integrum illi erit quandocunque piſcaturo reaſſumere lineas, ita cum Ducem tanti Populi ageret, & inter Cardinalem Archiepiſcopum, & Neapolitanum Proregem verſaretur, indecorum prorſus eſſe non vti honeſtioribus.

Qui.

62 Quibus victus Masanellus tandem cessit, permisitque Cardinali, quæ circa vestes cõgruentiora viderentur; iterum cõtestatus, rebus compositis ad pristinum se vitæ institutum, & vestitus sui fœditatem rediturum: iussitque illicò Cardinalis, thorace, & fęmoralibus sericis; argento contextis Masanellum ornari, gestientibus prę lętitia humilioribus ex plebe, quasi per Masanellum suum opulentiorum spolijs insultaturis.

63 Verum constitutis iam omnibus, quę cõmoda Populi respiciebant, nec dubius esset Proregis assẽsus, largè de eo pollicente Cardinali, subitus quidã spargitur rumor, primò leuis, dein valẽtior, qui statim per omnem vagauit multitudinem, quæ concionis ad instar Cardinalem, & Masanellum circũstabat Proregem cum vniuersa Nobilitate in cędem Populi coniurasse, & modo aflore vindictæ properum; & id, quod pro compertissimo atrocissimoq; afferebatur, aquam Formalis appellatione Nobilem, riuulis, canalibusque vniuersam perlabentem Ciuitatem, cunctasque propè Ciuitatis domos, veneno

veneno infectam ad certam omnium perni
ciē. Quę nullo certo auctore nuntiata, quò 65
magis temerè credita, difficiliùs reuinci po-
terant; repullulantibus pręsertim in plebis
animis suspicionibus de Cardinali, quem
Masanellus ipse iam asperior tacitus intueba-
tur: ille tamen cum verbis non valeret, tā-
ta vndique perstrepente multitudine, factis
aggressus refellere rumoris vanitatem; iussit,
vas illa eadem formalis aqua plenū è Car- 66
melitarum ędibus fluente palam afferri, prę-
fatusque se nullum vitæ discrimen pro salute
charissimi, sibique commissi Populi non su-
biturum; coram omnibus hausit; contesta-
turus illæsus publicam fidem, læsus suam.
Pulcherrimum sanè facinus, & quamuis re, 67
& conatu dispar, cū Alexādri facinore haud
immeritò conferendum quo sitiens ille alla-
tam ad potum aquam in terram effundi ius-
sit, ne Comites eam potante ipso ardentiùs
sitirent. Bibit autem non sitiens Cardina-
lis, vt ad securiùs bibendum cunctos alliceret:
aqua certè siue epota, siue effusa vterque
commendabilis; commēdabilior ex eo fortè

Cardinalis, qui potione illa futuræ concor-
diæ diſcordãtis plebis propinauit, cum effu-
ſio illa partæ iam victoriæ parũ attulerit ad-
ditamenti. Neque ideo minor Cardinalis,
qui in ſpeciem ſolummodo diſcimen illud
veneni ſubierit, gnarus aliàs, fluentes aquas
infici veneno non poſſe: quantumcunque
enim generoſitatis à facto illo dempſeris, tã-
tumdem addideris prudentiæ rerũ vſui ma-
gis accommodatæ, & quacunque generoſi-
68 tate ſalubriori. Mirum dictu, quas, quan-
taſue flammas tantula aqua ſedauerit, quoſue
intumeſcentis plebis tumores confidentia
illa Cardinalis deſiecerit; vt alij prorſus ho-
mines viderentur, & qui modò ad arma cõ-
uolauerant irarum pleni, mox cõcordiæ de-
ſiderio flagrantes Maſanellum vrgerent, vt
Prorege adito, eius auctoritate Populi in
69 quæ conuenerant commoda ſtabiliret.
Nec mora, præcipite iam in veſperam
die, Maſanellus candidatus non ad ambitũ,
ſed ad triumphum equo ſublimis apparuit;
ſplendidis ille quidem veſtibus, ſed viribus
70 penè deficientibus ob inediam, qua per eos

ipſos

ipſos dies conflictabatur; ſiuè prouidentia,
qua ſibi cauerit à veneno; ſeu veriùs intem-
perantia vini, in quod ex conſuetudine pro-
nior, tunc ex copia frequentiùs, largiùſque
ſe merxiſſet, inde ſtomachus fluens, & exũ-
dans vino, cibum omnem reſpueret: illud 71
creditum vulgò, pronioribus Plebis animis
ad ea, quæ fauorem augerent; hoc verò, vt
credam faciunt, negligentia, qua ſemper vſus
ille fuit circa tutelam corporis ſui, mos inge-
nitus omnibus eiuſdem generis hominibus,
affluentiam quamcũque vino metiri, cui ma-
ximè deditum Maſanellum illius exitus pau-
lò poſt docebit. Præterquamquod ex arca-
nis naturæ eruendum illi non erat Senecæ
remedium ſibi à Nerone timentis, ſed obuiũ,
& Maſanello familiare veſcendi fortuitò, &
ad manum cibo. Cardinalis certè vel cum
plebe ſenſit, vel ſentire ſimulauit, captans
vndecũque fauorem Plebis; iuſſitque menſę
ipſius ſtructori, cibum, potumque quo ipſe-
met vteretur miniſtrare Maſanello, qui ſatis
manifeſtè vulgarem reiecit opinionem, dum 72
præbito largè cibo, eoque prægustato, more

Magnatum, nequaquam vſus eſt, vt vtuntur ij, qui fame torquentur. Sed periculi, quod aditurus erat ſollicitus, ad Cardinalem Conuerſus, relatum ſibi fuiſſe ait, à Prorege ſibi Crucem parari: quam vocem abominatus
73 Cardinalis, manu, vultu, voce, reiecit. *quinimò honores magnos, magnam gratiam, ingentia præmia expectaret.*

74 Tum cæptum ad Palatium iter hoc ordine: præibat Maſanelli frater minor in equo, amictu ſplendido, cum pediſſequis pluribus ex fæce Maſanellica, manu, voceque ſubmouens turbam, ſequebatur pręco vocaliſſimus qui tubâ, & poſt tubam clarius voce, Ma-
75 ſanelli verbis, Philippo quatèr maximo Regi Catholico, fidiſſimoq; Neapolitano Populo fauſtiſſimè acclamabat; cui magno vitæ diſcrimine ſtetit adulatio, qua tertio loco addiderat acclamationi Maſanellum, qui ad voces illas irarum plenus, præconi gladio, quem de more manu elatũ geſtabat, caput abſcin-
76 diſſet (vt nemo ampliùs in Maſanello glorię, & honoris contemptum requirat) ni veniã impetraſſet miſer ille mixtis precibus pollicitatio-

tatione, se in posterum eius nomen prorsus omissurum. Post præconem Masanellus in- 77
cedebat eques, illo suo argenteo amictu, euaginatum gladium elatum dextera tenens, sinistra conditionum tabulas cõcionabundus; incomptis, truncisque ad Plebem sermonibus modo admonens, vt ab inimica Nobilitate sibi caueret; modo cõtra Matalonios irritans; nõ raro ad acclamationes Regi Proregiue geminandas prouocans; vel ad venerandum Dei nomen, Virginisque Deiparæ inuitans; sæpius ad hilaritatem excitans ob parta commoda, hilaris & ipse, & confiden- 78
tiæ plenus; pressius tamen, & super omnia inculcans, ne arma ante Regis approbationem deponeret. *Sequebatur* in curru Car- 79
dinalis læta fronte per genuflexam turbam, manu per eum identidẽ salutari Sanctę Crucis munimine pro Archiepiscopali munere insignitam; ad cuius latus Franciscus Arpaia 80
Populi Delegatus equitabat; Genuinus verò, 81
mens ipsa seditionis, octuagenarius senex, post currum gestatoria sella portabatur; & 82
post eum Populus vniuersus armis, vexillis-

que

que refulgens cẽtum quinquaginta millium numerum expleuisse creditus, in centum sexaginta signa distinctus; dignus profectò Nobiliori Duce Comitatus.

Vt ventum ad aream, quę latissima se ante Arcem pandit, vniuersam adeo repleuit
83 Populus, constipauitque vt nullus per eam pateret aditus ad Palatij valuas; cũ iam Pro-
84 rex obuiam misso honoris causá custodum corporis Præfecto, sed inermi vsque ad Me-
85 dinæ fontem, Masanellum in scalis præstolaretur longioris moræ impatiens; qua impatientia molestius angebatur Cardinalis, cui per confertam illam turbam curru tantum areæ spatium peruadere ferè impossibile co-
86 gnoscebat, pedibus autem penetrare nec facilè, nec decorum. Ex quibus angustijs Masanellus omnes eduxit, cuius sedẽtis in equo vox cum nõ nisi à vicinioribus exaudiri posset, pedibus dorso eiusdem equi insistens ela-
87 tior, conspectiorque; viam qua manu indicabat, intentissima voce dari iussit: qua voce, nutuque quasi cum tonitru fulmine mediã illicò scidit multitudinem, rectaque patuit

equis,

equis, & currui ad Palatium via; in cuius ve-
ſtibulo cõuerſus ad multitudinem Maſanel-
lus, eos monuit: vt ni intra duas horas ad ip-
ſos rediјſſet incolumis, Palatium ipſum datis
ad necem omnibus fundituùs euerterent; au- 88
ditus, haud dubio aſſẽſu, ab raptis magis ſem-
per, ac magis in viri admirationem, recentiſ-
ſimo experimento, quo equos regere om-
ninò neſcium vidiſsent pedibus inſilire,
& inſiſtere in equi generoſioris dorſum,
quem inſidebat, quod vix exercitatiſſimis,
& equis per ætatem omnem aſsuetis, ac
ne vix quidem, licere exiſtimarent; vltra
hominis vires, leuiſſimè ſtatuentes, quod in-
tra eorum viſus non ſteterat: neque enim
remotiores intueri poterant equum Maſa-
nelli, vndique multitudine conſtipatum,
conſtrictumque, patientiſſimũ ſe ad omnia
prębuiſſe; equiti propterea factu facillimũ,
alleuantibus pręſertim, iuuantibuſque pro-
ximioribus, eo tanquam lapideo vti.

Inter has autem moras, quas verbis quã-
pauciſſimis explicuiſſe dicebamus Maſanellũ,
Ioſephi Sangriј Nobilis Neapolitani nobilio-

rem

rem animum cępit impetus, admoto igne maiori bombardæ quę ad propugnandos arcis castri noui aditus aptissimè fuerat collocata, ingentem stragem in illa plebeiorum fæce, quæ Masanellum circumstabat, cum Masanello ipso è regione veniente, edere; & admouisset ignitũ funiculum iam manu tenens, si per Franciscum Toraltum non stetisset, vel abhorrentem à tanta cuiuscumq; humani sanguinis effusione; vel veritum; ne non emergerent inde deteriora, reportaturum certè, siue humanitatis, siue prudentię suæ ab eadem Plebe haudquaquam dignum tantæ Operæ præmium, vt in progressu operis apparebit,

91 Venienti verò Masanello Prorex (cùm priùs inter præcursores illos vim non modicam nummorum aureorum per se, suosq; sparsisset) in occursum ad scalarum mediũ iuit in amplexum hominis pronus, extensis brachijs; quæ declinans ille in terram se ad eius pedes pronum deiecit, nullis alijs pro-

92 latis verbis; nisi quibus Regi benè, sibi autem pessimè precaretur; his scilicet ipsis.

Viua

Viua il Rè ; V. E. mi arruoti.

Ipſa retuli verba abſque vllo fuco, aut fal-
lacia prolata, vt introſpici certiùs poſſint ho-
minis ſenſus nihil de ſe ſolliciti; improuidi
illi quidem, ſed validi: quem tamen Prorex 93
manibus benigniſſimè alleuatum, iniectiſque
collo brachijs exoſculatus eſt, filium ſuum,
libertatis populi vindicem, flagellũ perduel-
lium appellando. Quibus auditis Maſanellus
ingenti perfuſus gaudio, & ſupra quam ex 94
imbecillitate virium ferre poſſet deliquium
paſſus, collapſus in terram fuiſſet, ni Octa-
uianus Saulius, qui Proregi his omnibus ade-
rat, eum collabentem brachijs ſuſtinuiſſet;
quo teſte cum habuerim Proregis verba ipſa, 95
quibus ille vſus aduerſus Maſanellum fuit,
eis non fraudabo Lectorem meum.

Hijo mio Librador deſte Pueblo, y caſtigo de los Rebeldes.

Quorum verborum dehoneſtamentum in Prorege viro Principe nemo vnquam laudare poterit: quandoquidem expediuiſse, & quieti publicę benè impenſum concedamus, ſequutorum omnium abolitionem,

impunitatemque, incisosque cum vectigalibus fidei publicæ, & Imperij neruos; & ad sedandam seditionem promissa plura seriùs ex integro pacatis rebus examinanda; laudibus insuper, ac honoribus, si opus erat, ad demulcendum, cicurandumque Ducis seditionis animum, attolleretur Masanellus; sed vti verbis illis, quibus cum laudibus Masanelli infamia, Regiorum, & Regis ipsius Tyrannica administratio agnoscebatur vltrò, & damnabatur; quæ ab ore ipsius Proregis prolata, nec Populus iusserat, nec requisiuerat Masanellus, pudenda adulatione deformia; non aliundè, quam ex animi imbecillitate profecta cordatus nemo vnquam excusabit.

Sed refotus Masanellus, & ex brachijs Octauiani explicitus, post Cardinalem, & Proregem in interius Palatij cubiculum delatus, ibi astante etiam Collaterali Senatu, capita omnium conuentorum, seù veriùs legum à Populo datarum lecta, & ferè antequam legerentur recepta, iurataque; vix enim audita, nedum examinata fuere, quamtumuis altiori voce perlecta, obstrepente foras disso-

dissono tantæ multitudinis clamore, æreque campano in omnibus totius Ciuitatis Sacrarum ædium turribus. Quo strepitu subofsensus Prorex, qui nunquam silentium sæ- 102
pius iussum impetrare potuisset; in aulam, post acceptas leges cum Masanello egressus, ex fenestris se Populo spectandum dedit; ibidemque cum illo sermones familiariùs serẽs, amplexibus, oculisque, & omni blanditiarũ lenocinio vtebatur, vt insinuaret plebis animis id quod verbis præ strepitu incassum testabatur, ex animi sui sententia, ingentique cum gaudio in illius commoda consensisse; rataque propterea fore, quæ promisisset: roganteque Masanello, an silentium sibi à Po- 103
pulo præstari vellet, vbi annuit Prorex, dicto ille citius, agitatione pilei supra caput, cum omnium ora in se conuertisset, digito ad os clausum admoto ad modum vectis silentium indixit, obtinuitque tanta obedientia, vt nullus ex tanta multitudine (obstupescente Prorege) ne hiscere quidem auderet; splendido illo addito veritati mendacio, eidem nutui 104
campanum æs per vniuersam Ciuitatẽ par-

uisse: quod mendacium ex illo vero traxit originem, quod viciniores Palatio ędes sacræ à Populo admonitę, qui aream illã omnem, aditusque viarum repleuerat, cessauerant satis citò; redditoque inter astantes sermonis vsu de omnibus creditũ, quod à paucioribus obtentum fuerat, facili multitudine ad credenda, vulgandaque quæcunq; in admirationem Masanelli composita. Sub cuius è Palatio recessum retulit ad concilium Prorex: an munere aliquo eius esset emenda fides, vel labefactanda apud plebem auctoritas. Affirmabant plerique.

, *Reges ipsos donis capi; nihilque in hominum , animis potentiùs donis; quando etiam spretis , sua non desit gratia: quantò magis valitura , illa apud hominem pauperrimum, hamum, , calamosque adhuc cogitantem; benè igitur do-, natus discederet: Nec consideratio illa retine-, ret, hactenus eum ab opibus abstinuisse; cum , longè dispar sit ratio inter donata vltrò, qui-, bus securè, & cum dignitate vtare, & inter , scelere quæsita, quibus non nisi cum dedeco-, re, ac periculo.*

Contra alij.

Obsti-

Obstinatum abstinentia in opum contemptū, Masanelli animum, professione verò inexpugnabilem. Errare, qui crederent cupiditates in huiusmodi hominum genere causis discerni. Quid profutura oblata munera, nisi vt superbo repudio tamquam Populi infecta sanguine reijciantur, si magna sint; despectui insuper habeantur, si leuiora? Quando etiam si reciperentur non alium, nec vberiorem essent fructum allatura; quam vt seditio culta etiam muneribus altiùs, iactantiùsque erigeret cornua.

Hæc vicit sententia, siuè sanior, siue quæstuosior; indonatusque Masanellus dimissus non inhonoratus, prosequente illum Prorege vsq; ad Palatij primos aditus, publicum dedecus Cardinalis obtegente comitatu, cuius dignitati is honos debebatur: quod tamen aperuit Prorex commendans in discessu ipso è Palatij foribus Masanello quietem Ciuitatis, facinorosorum hominum coercitionē, palāq; iussis custodibus quietis publicæ eum adire, iussa expectare, promptèq; exequi. Quod ipsum (infamiæ numquam delendæ) 106 107 108

scripto

ſcripto etiam publicari ſuſtinuit. Fixa namque ſpectabatur in publico edita omnis generis, exarata illa quidem Proregis verbis; ſed quæ à Maſanelli iuſſu vires aſſumerent
109 hęc verborum formula.

» *Viſis, perſpectiſque, quæ ab excellentia ſua*
» *edicuntur: Illuſtriſs. Thomas Anellus Amal-*
» *phitanus, huius fidiſſimi Populi Dux ſupre-*
» *mus ſeruari mandat. Impreſſo mandantis ſi-*
» *gillo, iunctaque Marci Vitalis ei à ſecretis*
» *ſubſcriptione.*

Sed hæc ſequutis diebus contingère: ad illa Maſanellus; benè iuſſo ſperare Proregẽ
110 de fidiſſimo Populo, Regio nomini, ipſiuſque Ducis de Arcos alta voce bene precatur; eodemq; curru à Cardinali vnà cum Genui-
111 no, & Arpaia honorificentiſſime exceptus, cuius ſiniſtrũ latus tegebat, inter vulgi plauſus, & omnium acclamationes vſque ad ædes Archiepiſcopales vehuntur, in quas Cardinalis ab obito tanto munere lætiſſimus ſe recipiens, Maſanellum vnicè deuinctum ſibi dimiſit, qui vnà cum ſocijs in forum tota vndique affluente, & celebrante multitudine,

quæ

quæ vias omnes, feneſtraſque & ipſa domo-
rum culmina repleuerat; inque theatri mo-
dum, prætioſis veſtibus, pictis tabulis, lumi-
nibuſque (intendentibus ſe iam noctis tene- 112
bris) illuſtrauerat, tandem peruenit; iuſſitq;
illicò, nihil remitti de vigilia excubiarum, de
Vrbis, curiarumq; cuſtodia, de perſeueran- 113
tia in armis, deq; ſeueritate in perduelles, &
Populi hoſtes, inter præcipuos in Matalonię
Ducem, cuius ſuper omnes necem à chariſ-
ſimo ſibi Populo flagitabat, omnia pollicitus 114
percuſſori. Vt ſatis appareret initas conuen-
tiones ad aliud magis non profeciſſe, quam
vt ſeditio ſatis iam per ſe firma, auctoritate
auctior conceſſo quaſi iure debaccharetur:
nunquam enim ceſſatum à flammis, nun- 115
quam à ſanguine; nec ſæuitum tãtummodo
in vilium exulum capita, quorum quingen-
ta, & amplius horrendo ſanè ſpectaculo trũ-
cata viſebantur in publico; ſed inter cæteros
parum abſuit, quin cenſerẽtur tres etiã fra-
tres cuiuſdam nobilis Matronæ Romanæ ex 116
gente Vipereſca filij, quos illa ex fratris filio
Cardinalis Aretini, & olim Archiepiſcopi
Nea-

Neapolitani genuerat; qui post graues, quas exercuerant cum plurium cæde per Regnũ inimicitias, ad Ciuitatem delati captique tãquam exules, iussu Masanelli neci illicò tra-
117 debantur: quod pręsentiens misera Mater; àh nusquam mater ni properet; in forum aduolat, & ad Masanellum conuersa, magno eiulàtu proclamauit (cum propiùs eum adire præ turba non posset.)

„ *Domine huiusce fidissimi Populi Dux summe, tres filij mei Cardinalis Archiepiscopi Nepotes de nouissimis deliberantes, inter vltimæ necessitatis admonitores versantur; iube obsecro in tanti nominis gratiam, vitam illis concedi.*

Quibus vix auditis Masanellus, vultum manu de more feriens, ad circumstantes cõuersus, eos nõ sine probris increpuit, quod ipsum imprudentem, nolentemque adegissent ad facinus adeò execrandum, vt nepo-
118 tes Cardinalis sui neci daret: scriptoq; mãdauit, quoscunque matronam libuisset, nedum è damnatorum numero, sed ex vinculis liberari; quę verissimo mendacio felicissi-

mè

mè vſa, chariſſimos filios, & cum eis illorũ ſobrinum eiuſdem diſcriminis ſocium, è manu Carnificis iteratò Mater ad vitam eduxit: lęta Plebe errore Maſanelli, & facilè diſſimulante, quam miſeratio cæperat ſexus huius, illorum ætatis, tantæque totius familiæ calamitatis. Sed contra æque inſontes, opibus, 119
& genere claros, non minus ſęuitum foret; ni Cardinalis obſtitiſſet, qui poſt dimiſſum Maſanellum vix curru egreſſus, in ipſo ędium atrio obuiam habuit S.Ermetis Marchioniſſam è Gente Pignatella, lacrymis, ſingultibuſque miſerandum in modum deplorantem Marchionis Ceruinarę nepotis ſui in- 120
fęliciſſimum caſũ, qui in aditu portę Capuanę captus, vti edicti contra nobiles contẽptor vix conceſſo horulę ſpatio, ad componendũ animum morti erat addictus: cuius periculo motus Cardinalis; lacrymiſque Nobiliſſimę fœminæ victus, per certum hominem à Maſanello petijt, obtinuitque periclitantis, deque extremis cogitantis Marchionis vitam, & libertatem. Cũque percrebuiſſet per vniuerſam Ciuitatem rumor, quantæ eſſet apud

Masanellum auctoritatis, & gratiæ Cardinalis; ad eum confluebant per illos dies quicũque infortunio pressi, grauiora metuebant, numquam ferè irrito conatu, profiteri solito Masanello nihil Sancto viro denegandum. Quos omnes nimis longum esset referre;
121 cum cateruatim plures, numero septuaginta quatuor duci iussos, precibus fœminæ nobilis, pro Antonio Dentice fratre equestris ordinis viro deprecantis, vnica obsecratione cum Antonio ipso à quacũque pæna immunes dimiserit. Et ne Cardinalis sæpius mittendo, rogandoq; defatigaretur, & prõptior ad subueniendum esset; plura ei papirij folia pura (eã ferox animus imbiberat reuerẽtiã) suo tantũ impressa signatorio annuculo, cęterûm vacua, dari iussit, in quibus è re nata, tanquam Masanelli dictata scribi possent, quę Cardinalis maluisset; quod commentum pluribus saluti fuit. Factum non pręteribo, & periculo insigne, & personis Illustrissimũ.
122 Ferrantes Carracciolus Castri Sanguini Dux erat, opibus, Nobilitate, & potentia inter Dynastas præcipuus, sed plebis odijs post Matalonæ

talonæ Ducem primus: inuidiam contraxerat opibus nimijs, quas interuertendis quęsiuerat vectigalibus ijs, quibus plebs premebatur; ille enim fuit, ad quē memorauimus merces, prælato sui nominis titulo domum deferri palam consueuisse, vectigalia publicè imposita priuato pensitaturas: auxerat autem, cumulaueratque nimia superbia, & crudelitate, quibus erga plebeios homines vtebatur; & propterea quærendum non sit, an inter illos triginta sex nobiles incendio destinatos censeretur, quod atrox consilium nocte illa discusserat Cardinalis. Quinimò 123
in tantum odia contra illum præualuere, vt immemor Masanellus fidei ad Cardinalem datæ, siue eadem facilitate qua indulserat, iterata sæuitia præceps ex inopinato quingētos ex illa sua semiuirûm, & semiarmatorum; absolutæque, & exercitæ crudelitatis turba, ad illius ędes immiserit cum mandatis; vt vnà cum Ioanne Baptista fratre, Hyerosolimitanæ familiæ ascripto, captum ad se duceret in forum, eiusque suppellectilem omnem de more, ante domum incenderent, perde-

rentque. Medium erat diei, & ad æstus caniculares faciliùs tolerandos, cum fratre Dux discincti, crepidatique, ac semis omnes otia terebant: cum atroci nuncio plusquam voluissent refrigerati, exterritique, statim se per fenestratam è posteriori ædium parte in viridarium demittunt, & ad Cardinalem in eadem vicinia habitantem confugiunt; eumq; rogant; & deprecantur, perditis vt ipsorum rebus qua pollebat apud Masanellum auctoritate subueniat: Nec frustrà, ille namque suspectam licet haberet recidiuam Masanelli contra fratres sæuitiam, verereturque obfirmatam descíscentis ab indulgentia paulò antè constituta in recenti sęuitia mentem; certus nihilominus pro salute insignium virorum omnia experiri, certum hominem in ipsorum delegat, qui omissa quacunque promissorum mentione (ne incusso rubore vt sæuus ille contra preces armaretur) Masanellum summis precibus rogaret, obtestareturque, vt in sui gratiam saluos Carraciolos fratres cum eorum fortunis vellet; cumque forum longiùs distaret, veritus moræ incommoda,

moda, Miniſtrum ſæuitiæ accerſitũ monet.

Tantiſper differat mandatum miniſteriũ; » dum exorati Maſanelli nuncius è foro regre- » diatur: ingentem operam eum pro breui ceſſa- » tione facturum, ſibique certè, & Maſanello » gratiſſimam, ei vero non infructuoſam. »

Negabat ille, iuſſa Maſanelli obtendens, quæ nemini fas interpretari, minuſque differre. 128

Suo capite luiturum ſe quãcumque moram » quibuſcunque precibus datam: fruſtraque » daturum apud Turbam illam vltionis auidã, » cuius ipſe dux veriùs, quam moderator adeſ- » ſet: probè ſcire ſe, quæ, quantaque obſequia » Eminentiæ ſuæ deberẽtur; eaque vltrò præſti- » tiſſe, dum diſſimulat compertum ſibi, illos Pa- » triæ proditores, expilatores fidiſſimi Populi, » illis in ipſis ædibus malè latere; quos vt facilè » poſſet, ità quã maximè addeceret, vinctos ad » Maſanellum duci, tot ſcelerum pœnas tan- » dem daturos. »

Quibus dictis recedebat ille, moram nullam ſæuis iuſſis facturus. Tum Cardinalis Blandiùs hominem alloqui. 129

Lau-

, Laudare fidei præcipuum; hortari, vt pru-
, dentiã iungat; paruis momentis magnas quã-
, doque rerum fieri conuerſiones: Maſanellum
, vt ad iram properum, ità ad indulgendum fle-
, xibilem: nec dubitare ſe, ex toties experta fa-
, cilitate, quin breui rediturus ſit ſuus ad illum
, miſſus, mitiora allaturus: daret pœnitentiæ in-
, terſtitium, ſalutem Illuſtribus viris allaturũ;
, ſibi gaudium ingens, illi magnam prudentiæ
, laudem. Ne autem periculo ſuo iuſſa retardet;
, eat ſanè diligentiùs, ſedatiùſque deſtinata pa-
, ret, tempora diſponat, diuidatque; facilè im-
, putaturus exactiori mandatarum rerum ad-
, miniſtrationi, quæ ipſius gratiæ nulla obliuione
, delendæ tribuiſſet.

130 His alijſque in eamdem ſentẽtiam à Cardinale dictis, Miniſter ſæuitiæ tandem ceſſit, fratres verò illi reſpirarunt; qui metum inter, & ſpem poſiti; velo tantum interiecto ex cubiculo proximo ſermoni quodãmodo interfuere, vberrimumque fructum officiorum, conſiliorumque Cardinalis percepere: dum enim perquirendæ in ampliſſima domo, corrogandæque varij generis ſuppelle-

ctili

ctili sedulò tempus teritur; responsũ ab ora- 131
culo venit, in gratiam Cardinalis parci Car-
racciolis, eorumque rebus. Tum Dux ad
Cardinalem conuersus.

Illa se die vitam, existimationem, vestia- 132
riumque non minoris centum ducatorum mil-
libus æstimandum, illi accepta referre: vte-
retur porrò vt suis, nec pateretur vitæ, existi-
mationi, opibusq; reditum ideò, vt ingrati ani-
mi infamia turpiùs perderetur.

Quę nec agnoscens, nec respuens Cardi- 133
nalis, saluberrimo cumulauit consilio.

Pessime animatam contra eum plebem vi-
deri, ne tertiò expectaret illius iras; nam vt sẽ-
per in ipso experturus sit eamdem mentem, ea-
dem officia, & si res exegerit intẽsiora; nimis
lubricam rem esse, & ipsius apud Masanellũ,
& huius apud plebem gratiam: beneficio mise-
rentis Dei, quo semel, atque iterum tãtis eua-
sisset periculis. vteretur potius ad cautelam,
quam ad confidentiam: reciperet igitur se tã-
tisper in tutum, vsque dum tempestas hæc de-
sæuisset. Vita incolumi, fortunarum iactura,
vel leuis, vel reparabilis, quas malè custodie-
ritis

„ ritis vitæ discrimine. Ad mercatores respice-„ ret suis ipsis manibus promptiùs, orta tempe-„ state, merces in mare proÿcientes, quàm anxiè „ quæsiuissent.

134 Sapienter dicta, auidè excepta, celeriter exequuta: recepitque se Dux cum fratre in Castrum Nouum ad Proregem.

Sed locus admonet, vt exponamus; quibus artibus, quoue apparatu Masanellus ea vteretur potentia in Populo, Regnoq; vni-
135 uerso Neapolitano, qua numquam Regem vllum, aut Tyrannum vsum fuisse legimus apud antiquos; & vilissimum homuncionē hunc vsum fuisse, nunquam satis crederet posteritas. Quandoquidem nunquam plenius vsus fuit hoc integro biduo, quod inter approbatas, & iuratas concordiæ leges efflu-
136 xit. Primò tribunal in sua ipsius domuncula, ad forum sita, excitauit; quam vt augustiorem redderet, adiacentes, eiusdem ferè sortis domunculas, aliò migrare missis cultoribus, solitarias fecit. Ciuitates illas Galliæ diceres imitatum, quæ vt augustiùs imperare crederentur, fines suos iubebāt latiùs syluescere.

uefcere. Tribunal verò, è quo reſponſa dabat, feneſtra eiuſdem domunculæ erat, tanquam è Turri Velleda: certiori, ſeù veriùs 137
recentiori apud Maſanellum impoſtura, ea palam edicentem, quæ intus Genuinus ſuggeſsiſſet, admouentemq; ſæpiùs, per ſpeciem cogitandi, ad os, oculoſque manum; vt ſpatium eſſet Genuino, conſultiùs reſponſa ſug- 138
gerendi: ſceptrum nullum manu, ſed pro ſceptro rotatum Archibuſium, quo ſemper minax, numquam exploſor, iuſſa vehementiùs vrgebat: memoriales libelli (vti per ſtipitem Elephanto cibus) longioris haſtæ milita- 139
ris cuſpide porrigebantur; extrinſecus ab apparitoribus: ita cōpoſitus ab Regno vniuerſo legatos excipiebat; Magiſtratus tum Vrbanos, tum militares mandabat, ornabatque; Præfecturas largiebatur; pœnas, præmiaque diuidebat; leges condebat: quæ omnia diligentiſſimè ſcripto excipiebantur à pluribus in id muneris aſſumptis, inter quos potiores ſibi partes arrogabat adoleſcens quidam Ma- 140
ſanelli ęqualis, Marci Vitalis nomine, eidēq; ſacri Baptiſmatis cognatione, chriſtiano ritu,

Compater, procacitate verò par, qua meruit vt omnium primus tantorum ſcelerum pœnas daret.

Sed omnẽ exſuperat fidem celeritas, qua ardua quæque iuſſa dicto citiùs, patrabantur; cędes nimirum, incendiaque, quorum exactor is erat, quicunque damnato proxi-
141 mior: & ſi longiùs abeſſet, videre erat ad Maſanelli nutum aſtantium illam turbam, tamquam exundantis lacus aquam rupto aggere obſtantia ſuperare quæcunque; & vt illa ad decliuiora occupanda loca, non ſecus hanc ad iuſſa peragenda, toto impetu, ferri. Hinc cæcum, promptiſſimumq; ad cætera omnia obſequium; cum pæna pręſens ipſam præriperet deliberandi facultatem, & quælibet mora ſpeciem reluctantis imponeret.

Huic tantæ potentiæ, cui ſi conferantur, precarię videri poterunt Siculorum Gręco-
142 rumque Tyrannorum dominationes. Poſt habitum cum Prorege colloquium, maieſtatis acceſſio non modica facta eſt; dum Regij adminiſtri plures, obtemperare iuſſi illius mandatis, nihil recuſarent. Quam augere Maſa-

Masanellus non neglexit, excitatis in via Toletana sibi Tribunali, & in pluribus Ciuitatis locis frequentioribus, feralibus illis pegmatis in quibus facinorosi homines pęnas dant; sed plenius stabiliuit exacta Imperij sui ab ipsomet Prorege in re pręsenti approbatione: missitare namque solebat identidem ad Proregem alicuius criminis cõpertos, pro illius arbitrio puniendos; modo pistorem quemdam fraude vsum in pane venali; modò adolescentem, qui per imposturam sibi retulerat copias militares equitum, peditumq; in Populi perniciem Ciuitati aduẽtare; modò histrionem quemdam Hyspanũ homicidij reum: quos tamen omnes inuiolatos Prorex ad eum remittebat, tamquam in pœnis exigendis potiorem. Vt verò palã faceret Masanellus, se ab eo non ius animaduersionis quæsiuisse, sed vsurpatæ potestatis approbationem, & mitiùs cum remissis illis agebat (cum Hyspano illo præsertim, quem satis habuit ad triremiũ transtra mancipasse) & eodem tempore contra plures, nemine requisito, ipse pro potestate, lege agi iubebat:

(margin numbers: 143 beside line 2, 144 beside line 7)

vt contra ſiculum quemdam, & alium popinarium, quorum primum cōpererat quindecim Carolenos argenteos nummos, pretium locatæ in cædem cuiuſdam operæ; recipiſſe; poſtremum verò vigilem quemdam interfeciſſe: quos illicò interfici iuſſit.

145 Sed quamuis ferox animus ad ſæua pronpenſior in cædes, & ſanguinem frequentiùs debaccharetur; non adeò tamen totius expers erat humanitatis, vt aliquandò etiam blandiùs non egerit cum quibuſdam. Inter

146 præcipuos fuit Sãctæ Seuerinæ Archiepiſcopus de Gente Caſtarella, quem veſtibus, edictis potius Maſanelli, quam tantę dignitatis aptis, indutum, & pro exule habitum, turba duxerat decollandum: dumque ille tanto in diſcrimine quà ſe innocentem, quà nobilem, quà Archiepiſcopum vociferatur, fortè agnitus, & à Roſcio illo Franciſcanæ familiæ libero mendacio in Summi Pontificis cognationem aſſertus; illicò diſcrimini eximitur, magnoque excipitur à Maſanello verborum honore; donatuſque dimittitur cum grauibus mandatis ad Summum Pontificem

defe-

deferendis, quibus cum Beneuentana Ciuitate Matalonię Ducem ſibi dedi poſtulabat: munificentiùs ègit cum Archiepiſcopo alio, ipſum adeunte diſceſſus à Ciuitate veniam petituro; quem magna beneuoli animi ſignificatione excipiens, incondito illo ſuo, & trunco dicendi genere profusè *laudauit, honorauitq; modo virum bonum illum, modò ſanctitatem toto corporis habitu præſeferentẽ; modò quacunque dignitate maiorẽ appellando,* eòque deuenit, vt diceret *ſe officia ſua cum S. Pontifice interpoſiturum, vt eum Cardinalitia purpura inſigneret,* & nedum liberum diſcedendi permiſit arbitrium, ſed ad vniuerſum illud iter ornandũ, cohoneſtandumq; quingentos ex ſuis comites adeſſe voluit: quos cum ideo reijci accepiſſet quod mari iter haberet; tunc cymbas plures detulit, & cum cymbis magnam auri vim in cõmeatum: quã ex parte aliqua ſaltẽ, accipere conſilium fuit, ne ſpernere videretur. At verò, eum ad ordinem, non ad homines reſpexiſſe; Epiſcopus Caſtri ad mare, 147
prohibet, ne credatur, captus, agnituſque;

ob

ob incertam erga Populum fidem, mox necandus; ni ei vitam à furente precibus im-
148 petrasset Prorex, qui per eadem tempora ab eodem plura recepit beneuolentiæ signa, & aduersus Catholicam Maiestatem venerationis: Insigni namque ingentisque pretij equo donatus Masanellus, eum in stabulum regiũ duci iussit, tamquam Regi non sibi debitũ: cumque accepisset, stabula aliaque Proregis vsibus instructa, penuria ordei, straminumque laborare, magnam illorũ copiam importari illicò iussit; Proregemq; ipsum muneribus pluribus, earum rerum, quæ ad vitam lautè, splendidèque ducendam vsui sunt, ma-
149 gna copia, & liberalitate donauit. Quæ magnificẽtissima pollicitatione cumulauit, professus se Catholico Regi, cuius effigies vicatim coli iusserat, quinquies repetita centies decies ducatorum millia in vsus bellicos breui confecturum, quam pollicitationem, falsam fortaſsè, ille certè haud falsus faciebat: quinimò ingentem argenti, auri, & gemmarum vim, ex Ioannis Zeualij, Antonij de
150 Angelis, & aliorum plurium ędibus egestam

se

ſepoſuerat, plurimaſque pecuniarum indi-
ctiones fecerat, in eamdem rem pecunioſio-
ribus Inquilinis, retractare non auſis.

Nec tanta hæc Maſanelli potentia, intra 151
vnius Neapolitanæ Ciuitatis muros, ſe con-
tinuit; ſed nedum propinqua Ciuitati loca,
verum Regnum vniuerſum illicò peruagata
eſt; & velut ignis aridis agrorum ſtipulis im-
miſſus, vniuerſum vno occupauit incendio.
Longum eſſet, & laboris immenſi, quæ in
vnaquaq; Regni Prouincia, Ciuitate, vel Op-
pido contigere, narratione complecti: in
quibus, vt pro hominum ingenijs variè tu-
multuatum ſit; in omnibus tamen Maſanel- 152
licus ſpiritus æquè valuit, ad vectigalium,
munerumq; publicorum omnium abolitio-
nem, ad quam eò maiori conſenſu exarſere
Regnicolæ, quò iugo grauiori premebantur.
Nullumq; Oppidum in vaſtiſſimo illo, &
cultoribus frequentiſſimo Regno fuit; in quo
non eadem intolerantia, non eadem erga
Dominantes contumacia certatum ſit; abſq; 153
tamen pernicie illorum ex dominãtibus, qui
erant acceptiores in vulgus, quique rerum
pro-

prouidi efflagitata vltrò concesserunt: apud
alios verò publicè inuisos, vel dominationis
154 retinentes ferro non minus, ac flãmis, quàm
inter Neapolitanos sæuitum. Vnum eximatur
156 tur Sipontũ, ad mare superum in Apulia situm,
portu, mercatuque celebre, cui imbecillitas
virium robur ad fidem seruandam addidit;
onerum immunitas causas tumultuãdi
dempsit, & cum non haberet, quæ tolli
vellet, nec si voluisset Populum haberet, qui
cogere posset, pronum fuit, ad ea conseruãda
157 da maiorum decora, quibus Austriacarum
partium semper habitũ se iactabat inter Prouincialium
præcipuos. Afflixerat Ciuitatem
illam Turcarum immanitas, quæ anno millesimo
sexcentesimo vigesimo, ad littora illa
classe delata, vi eam cæperat, exhaustamque
opibus, incolisque semidirutam reliquerat:
parumque valuere plura publicè, priuatimq;
permissa, alliciendis habitatoribus; cum grauiores
causæ cunctos absterrerent, quas recensui
primo libro; infrequentissima igitur
Ciuitas patuit nobilibus omnibus, eiusdem
Prouinciæ, eodem incendio, vel ambustis

vel

vel territis; interque pręcipuos Montis Sarchij, Vici, Casalis Maioris, Castellanetæ, Illiceti Dynastis, qui opportunitate loci, præsidio Hyspanorum militum, & arce vtcũq; tuti, ciuiumque in Regias partes propensione securi, se Ciuitatemque ab ingruentibus vndique tumultuantium turmis, totiusque Prouinciæ cõsternatione imperturbatos seruarunt, & extra Masanelli Tyrannidem; cuius quidem Tyrannidis vim nemo vnquam certioribus argumentis æstimabit, illis ipsis, quibus potuit tumultuarius seditiosorũ Dux 158
omnium primus, prohibere multitudinem à scelere nedum concepto, sed inchoato.

Inter Principes Sarmatarum opibus, & nobilitate præcipuus, Zamoschi, Regni illius olim Cãcellarij filius, studio visendi nobiliora Christiani Orbis loca, domo profectus, Neapolim aduenerat, tractus tantę Ciuitatis celebritate; vbi de more gentis in ostentationem compositus, splendido comitatu, magnaque pecuniarum profusione, ingentem sui excitauerat apud vulgum ob diuitias admirationem, & cum admiratione quorum-

Ee dam

dam etiam, illius opibus inhiantium, prauã cupiditatem; qui in tanta apud omnes licentia, legumque contemptu, facilem ſibi rebantur prædam de interfecto hoſpite locuplete: ſed timebatur Maſanellus ſcelerum vltor acerrimus. Ad fraudes igitur conuerſi, falſi, fallenteſque in vulgum diſſeminant, hoſpites illos gallos eſſe (fortè de Gallia recens aduenerant gallico amictu) Regis hoſtes, pro hoſtibus habendos: nec mora, vniuerſa ad hoſpitium Sarmatarum accurrit multitudo, hoſpitalia, & gentium iura, hauſto ſanguine, raptiſque diuitijs nihil tale timentium, perfidè violatura. Maiuſque periculum fraude haud abſimili ſubijt opulenta illa adminiſtra-
160 tio, Nunciatæ Deiparę appellatione clariſſima; cuius cum Summus adminiſtrator eſſet Fęlicius Baſilius, redemptionibus vectigaliũ famoſus, quibus ingentes comparaſſe diuitias credebatur, paſſus propterea inter plures ſuppellectilis iacturam, quam memoraui: huius inuidiã, quæ apud plebem maxima erat, prætexẽtes quidem, ſed ſacris inhiantes theſauris, ſpargunt in vulgum; in ædibus, quę vaſtiſ-

vastissimæ ad tantam administrationem panduntur, plura apud Fęlicium seposita, è domibus damnatorum asportata latere: perquirenda propterea, cremandaque. Iam ad facinus accurebatur, iamque sacrilegæ manus
thesauris admouebantur; dum Masanellus 161
rei veritatem odoratus, vtrisque manum iniecit, nec minus à scelere, quam à sacrilegio plebem retraxit. Sed parum sit retraxisse à scelęre, & ab impietate, à quibus sanior potiorque Populi pars suomet ingenio abhorrebat, Plebis autẽ quisquiliæ abhorrere pro-
fitebantur: potuit Masanellus retrahere Po- 162
pulum vniuersum à deliberatione, maturo cępta consilio, qua parta omnia per seditionem firmabantur; fortuuæ autem, vitaque omnium ponebatur in tuto.

Reputabant cordatiores

,, *Metu extorta ortum eumdem, interitumq; sortiri cum metu ipso, qui in Dominante prævalido diuturnus esse non potest. Nec sperandum: Hyspanos, vbi dominari ex integro cæperint; ea laturos cum iactura, quæ nemo ferret cum lucro, ignauiam exprobrantia. Ex-*

, pectent igitur Neapolitani ab Hyspanijs, vbi , cessauerit metus, loco Regiæ approbationis, la-, queos, & vncos. Nec sperandū eos qui Bel-, gij, & totius inferioris Germaniæ præces, ne , duriùs contra Maiorum instituta dominarē-, tur (ex parte licèt à Margarita Austriaca , admissa) carnificina Albanica puniuere; im-, punitum laturos diutiùs ipsorū in executiendo , iugo consensum; quo sumptis populariter ar-, mis, Proregem suum, ad accipiendas ab ipsis , leges, æquas licèt, tamen coegere. Nec iura-, mentis admodum fidendum, quorum æstima-, tio pendeat à promissore; & ipsos docuisse fra-, gile fidei vinculum eorum esse, quæ vis, metusq; , contraxisset: firmiori igitur pignore pacta sta-, bilienda, quo non omnia in potestate Hyspa-, norum reposita sint. S. Ermetis arx fidissimo , Populo tradatur, quo pignore, & singulorum , salus, & omnium libertas firmetur ab Hyspa-, norum fallacijs, nihilque minuatur de obsequio , Regi debito, eius nomine custodienda: cunctos , denique Neapolitanos, Hyspanosque vni Re-, gi subesse; & vt longè decentiùs Neapolitanas , arces, Neapolitano milite tamquam aduersus

hostes

*hoſtes muniri; iniurioſum, nec fidiſſimo Popu-
lo ferendum. Hyſpano præſidio tamquam ad-
uerſus Neapolitanos inſideri.*

Sed nihil æquè valebat apud honeſtiores
Populi, ſucceſſuum fælicitate cõfidentiores,
deſiderio; quæſita alieno periculo, ſibi po-
ſteriſque ſtabiliendi; quæ ſatis in lubrico co- 163
gnoſcebant, ſolis nixa Proregis promiſſis; ful-
ciri autem aliundè non poſſe commodiùs,
quam ex poſſeſſione arcis, quæ omnium
ceruicibus imminebat. Cuius rei cupidita-
tem, ad ornandum popularem in Ciuitate
ſub lege ſtatum, quem ſomniauerat Genui- 164
nus, acrius ſtimulabat, cum diceret.

*Nihil promptius præcibus obtineri, quam
quæ ab inuitis facilè extorqueri poſſint.*

Innuens arcem illam, vt defenſoribus ad
propugnandum ſatis munitam, à commeatu
certè adeo imparatam, vt in dies, qua ſolet in
alta pace negligentia, à Ciuitate vitæ alimen-
ta expectaret. Non tumultuariè igitur, iuxta 165
ſeditionum ingenium, ſed ſedatè: Maſanel-
lus ipſe, magna comitante caterua Præfecto-
rum Ottinarum, & militum, Cardinalem

Ar-

Archiepiscopum adit, nunquam magis formidandus, quam cum furorem consilio instruxisset: egressoque obuiam honoris causa mædijs in ædibus Cardinali, primo statim congressu, vix reddita salutatione enunciat,
167 Arcem S. Ermetis tradendam Populo in pignus, securitatemque promissorum.

, *Iret porrò ad Progegem, postulata deferret;*
, *relaturus, vel conuentarum rerum stabilimen-*
, *tum, vel incitamentum ad euertenda omnia.*

Sensit illicò Cardinalis quantum de Republica huiusmodi postulatis peteretur, certusque ea, pro viribus, disijcere, molliter aggressus, seductumque ad interiora ædium
168 cum Primoribus Masanellum, quam placidissimis alloquitur verbis.

, *Rectè eos, atque ordine facere, qui commo-*
, *da Populi, summa virtute quæsita, meliori cõ-*
, *silio tueri studeant: nec quicquam temerè omit-*
, *tendo (dum facilem ad omnia habeant Prore-*
, *gem, & obnoxium) quo immunitas fidissi-*
, *mo Populo debita robur accipiat, ac firmamẽ-*
, *tum. Verendum tamen, nedum vltrà quàm*
, *necesse sit, cauti esse volumus; vt auiculam*

pueri,

pueri, quam manu tenent arctius comprimentes, quàm ea pati possit, parta corrumpant. Præclaram quidem rem esse, debitamque fidei fidissimi Populi, arcem illam custodiendam ipsi concredi, non tamen agnoscere se in angusto illo murorum ambitu tantum præsidij, vt centum quinquaginta millium armatorum manus, illo potitæ fortiores sint futuræ, ad partam libertatem conseruandam. Obiturum se nihilominus libentissimè fuisse demãdatum munus sibi honorificum, Proregi vel acceptum, vel ferendum etiam nolenti; ni vanitas postulatorum obsisteret. Regiarum arcium Præfectos, S. Ermetis præcipuè, imperia Proregum non agnoscere, sed sanctiori præstito iuramento ipsimet Regi obstringi: mortalium se nemini arcẽ, traditurus nisi successori tesseram deferẽti frustum nimirũ eiusdem numismatis aurei Præfecto traditi ante discessum. Quid igitur expectandum ab importunis postulatis præter recusationem, impotentiæ subnixam cohonestamento, vna cum experimento, haud quaquam salubri ad rerum summam: posse Proregem animũ obfirmare impunè aduersus æquissima, fidissimi Populi desideria!

Plu-

168 Plura in eamdem sententiam dicturum Cardinalem interfatur Masanellus.

Quid liceat Proregi, vel non liceat in arcis Præfectum, ille viderit; dummodo sciat ab eius placitis decreta fidissimi Populi non pendere: vanumque esse effugium ad imperij leges, quas arma silere iubeant, facilè suppletura quicquid in Prorege deerit auctoritatis; paucis se rem totam complecti: non esse cur de iurandis conditionibus vlteriùs agatur, ni fidissimo Populo S. Ermetis Ars. siue à Prorege, siue à Præfecto custodienda tradatur: Breui profectò experturos vtrumque quantæ dementiæ sit, negare armato, quæ tueri non possis.

169 Ad hęc magna ferocia prolata, & maiori assensu à turba circumstantium audita, Cardinalis totus in seueritatem compositus ad Masanellum conuersus.

Negare agnoscere se in verbis illis fidem Populi toties ingestam, inculcatam toties, & numquam falsò, qua iure merito gloriatur: nec eorum sibi videri, qui Philippum Regem faustis identidem acclamationibus celebrant, vicatimque propositis ad venerationem imaginibus

bus colant. Arcem illam, ne nesciant, eamdẽ „ esse, quæ à Caroli Cæsaris temporibus, firma- „ ta Hyspano præsidio, sub Hyspano Præfecto „ fuit; nec ab illius Præfectis vectigalia vnquã „ indicta Populo, priuilegia violata. Quam „ igitur (si vi agatur) prætexant armorum cau- „ sam, separatam ab illa infamiæ labe, quam „ meritò abominãtur infidelitatis. Tu ne Masa- „ nelle libertatis ille vindex, & iustitiæ assertor, „ quique Ciuitatem hanc malorum conspiratio- „ ne oppressam, punitis perduellibus, Regũ Op- „ timo restituisti? Regiam arcem nemini nocuã, „ sub regijs signis quiescentem, quæ signa tot Gẽ- „ tes venerantur, plures metuunt, oppugnabis; „ vt fidem regi debitam frangas, populumq; ad „ oppugnandum duces, quem fidissimum appel- „ las? Ducas, per me licet: Nunquam tamen „ ego adeò obliuiscar mei, tui, charissimi mihi „ Populi; vt ea postulata deferam, quibus vnquã „ videri possim, probasse tantum scelus. Ducas; „ dum tamen intelligas, ad contrahendam per- „ duellionis turpissimam notam duxisse te, & „ post hac abstineas ab iactatorijs illis vocibus, „ fidissimi Populi. „

His magna verborum contentione prolatis indignabundus, mouebat gressus ad cubiculi fores Cardinalis; tamquam, re desperata, prosequuturus abeũtes, honoris causa.

170 Tum Masanellus, apprehensis illius vesti-
bus, & in genua de more prouolutus; se per
ignorantiam lapsum. obtestatur; vitamque
citiùs, quam fidem deserturũ, nec permis-
surum se viuo, vllã amplius de arce fieri in fi-
171 dissimo Populo mẽtionem: mussantibus ad
hęc haud obscurè asseclis, Cardinali verò,
tanta discussa tẽpestate lætissimo, qui manu
alleuatum benignè Masanellum hortatur.

Benè cæpta perageret, & Deo fauente, quã quæsiuerant Populo libertatem, recepto (vt conuenerat) à Prorege in sacris Ædibus publicè iureiurãdo, stabiliret; speciosioribus circumscriptis, quæ suum beneficium corrumpere facile possent.

Tantique ponderis fuit, apud stolidum, ferocemque Masanelli animum eius decoris inane nomen, quod factis diù pollutum, nouis subinde auctibus perditè corrumpebat; vt ad illud retinendum consiliùm abiecerit,

quo

quo haud ſcio, an aliud eſſet ſalubrius ſtabiliendæ ſeditioni; abiecitque: nullo expectato, ac ne requiſito quidem illorum conſenſu; cum quibus cæperat; quinimò cum haud dubiè cognouiſſet eos ab arce omittenda alienos, quos habuerat in comitatu; vbi primùm à Cardinali digreſſus in viam peruenit, ex- 172
ceptus ab illo ſuo Catulorum grege, ſtatim legislator idem, & Præco, alta voce; pœna capitis propoſita, edixit: ne quiſquã poſt hàc contra fidem à fidiſſimo Populo Regi debitã auderet de obtinenda S. Ermetis arce, ſermones ſerere. Vt verò nullius partes, in hoc eodem edicto ſanciendo, omitteret, etiam Carnificis appetere viſus eſt: Dum enim ex illo ſuo feneſtrato throno de iureiurando à Prorege exigendo Populũ admonet, vnus ex circunſtantiũ turba, ſiue edicti ignarus; ſiue contemptor, alta voce claues S. Ermetis ad fidiſſimi Populi ſecuritatẽ flagitare auſus eſt; quem ad ſe duci iuſſum, arreptamq; clauium plurimarum ſimul funiculo colligatarum magnam molem, caſu oblatam ſæpius quanta vi poterat capiti miſeri illiſit: idẽ-

 tidem

tidem obiurgans: opus non esse clauibus, sed panibus Populo; & peremisset; ni domesticus ille Cardinalis è Franciscana familia, precibus, manibusque è furentis conspectu malè mulctatum fracta caluaria subtraxisset.

Flauianarum partium Duci illi, longa militia claro, fructuosissima in campis Veronensibus victoria, qua Romanum Imperiũ adiudicauerat Vespasiano; tantum auctoritatis apud victorem exercitum non parauit, vt prohibere posset scelera, cum iubere posset, vt obseruat sapientissimus ille: nec mirũ, pronum namque ad deteriora hominũ vulgus, vt facilè impellas, ita difficillimè retrahas; potestatemque per scelera quæsitam, per virtutes exercere ferè impossibile. Masanellus verò hic noster, nullius prætij homuncio, Dux insanientis multitudinis tumultuarius, tertio potuit imperij sui die; ad saniora illam conuertere, suique solius mentis inconsultæ impetum longè cautioribus cæterorum omnium consilijs anteferre: vt iam nihil vlteriùs, quò peruenire posset quęrendũ sit de eximia, & ineluctabili illius apud

Po-

Populum Neapolitanum potentia, de qua agebamus. Quam potentiam, vt diuinæ prouidentiæ, vna cum plerisque huiusce narrationis scriptoribus, imputare pietati interest; ita humanæ prudentiæ salutare censeo, eas non negligere causas, quibus illa vsa fuerit ad hæc monstra gignenda.

Procax illa, & petulantissima imberbium ex plebis fęce turba, quam non obiter catulorum gregem paulò ante nominabam, nullum aliud nosse, nullum aliud habebat velle; nosse, ac velle Masanelli: & non secus, ac canes omninò mentis expertes, & rerum omnium nescij, sola Domini charitate, eiusdem nutu, ad ardua quæque toto impetu ferebãtur: magnæque propterea formidini, & meritò, singulis erant; vt nemini mirum videri debeat, si cuncti volentes, nolentesque Masanelli placitis acquiescebant, isque ex æquo omnibus insultaret. Vtque inter ludibria belli facilè reponendum sit, Colophoniorum institùtum, quo canum centuriæ in aciem contra hostes inducebantur; non æquè contemnendum fore exercendæ Tyrannidis instru-

strumentum, hanc satellitum petulantium manum, nullo emendam pretio, nulla spe corrumpendam, nihilque charitate iubentis recusaturam.

Interea tempus Proregi expetitum iurãdarum conditionum aduenerat, in quas Populus Neapolitanus consenserat, die Sabathi sexto ab eo, quo erupit seditio, mensis verò
179 Iulij decimo tertio, iam ad vesperam inclinato. Tùm Masanellus generoso impositus equo, nesciusque moderandi, manibus ne excuteretur circumcomitantium retentus, interque omniũ plausus mercatu digressus, magna circumfusus turba, per frequentiora Ciuitatis loca ad Palatium peruenit; in cuius
180 limine equo depositus, Proregem deducturus scalas ascendit, in quarum medio obuiũ habuit, in oscula, & amplexus pronum, & ab eo cuiuscunq; morę impatiente, verbis quàm blandissimis regredi iussus, & equo restitutus, quem curru Prorex sequebatur, iter
181 via Toletana ad Archiepiscopalem Ecclesiã cępit, prosequentibus Collateralis Concilij Senatoribus omnibus, pluribusq; ex primoribus

bus Aulæ adminiſtris, paucis autem nobiliũ; 182
ſiue auerſantinm illum Populi faſtum; ſiuè
timentium, ne Plebis elati animi irritaren-
tur in ipſorum perniciem: nihil tamen prop-
terea diminutum de illius diei celebritate.

Videre erat Maſanelli iuſſu ad prohiben-
dos plebis concurſus, viam omnem, quâ illi
agmini tranſeundum erat, perpetuo militum 183
ordine inſeſſam, viarum capita ſtationibus
firmata, armis vexilliſque fulgentia, ędium
parietes omnes extrinſecùs aulęis prætioſiſſi-
mis conueſtitos, atria, feneſtras, tecta ipſa,
mulieribus, pueriſque referta, feſtis accla-
mationibus illius diei ſęlicitatem concelebrã-
tibus, bonaque omnia Regi, Proregiq; & 184
Maſanello comprecantibus: inter quę non
defuit (haud ſcio an vllus vnquam Maſanelli
geſta magnificentiùs celebrare potuerit) qui,
alta, & hilari voce; gratulatus eſt Regi: tam-
quam primùm illo die Regnum adepto, his
planè Hyſpanica lingua verbis.

Biua, el Rey, que oy puede dezir de ſer Rey.

Ventum denique ad principem ſacràm
ædem, ad quam exſcenſione facta, in eius
vmbi-

vmbilico Prorex, & Masanellus obuium ha-
186 buere, officij ergo, Cardinalem; ad cuius pe-
des procidens Masanellus; per eum non ste-
tit, à Cardinali prohibitus, quin eos exoscu-
187 laretur: processũ inde ad aram maximã: vbi
dum Cardinalis sacris ornatur vestibus. Pro-
rex secessit ad sedem, quę in modum tribu-
nalis ad aræ dexterã magnificentissimè sur-
gebat: Masanellus verò, erectis expectatione
188 omnibus, quem nimirum, ille sibi locum su-
meret; (consultò namque, nullum assigna-
tum fuerat, cum dignius attribui non posset
sine dedecore, indignius sine periculo offen-
sionis) ad pedes Cardinalis sessum iuit, salu-
bri sanè inter Maiestatem & contemptum
temperamento, & id ex Genuini farina.
Tum alta voce concordiæ leges lectæ; quas
189 seriatim descriptas, Masanellus inter equi-
tandum manu sinuque tenens palam detu-
lerat, qui sæpius dum legerentur assurgens,
adiensque Proregem, eius modò pedes, mo-
dò ora exosculabatur. Lectione absoluta, ac-
cessere ad Proregem Delegatus Populi, & cũ
eo plures ex Ottinarum Præfectis, & Populi
pri-

primoribus, magnaque obſequij ſignificatio-
ne poſtularunt; vt dignaretur placita iure-
iurando ſtabilire. Qui nihil cunctatus aſſur- 190
gens, hilari fronte, admota reuerenter ad
ſacras paginas manu; ſanciuit omnia. Poſt
quæ illicò verba præeunte Cardinali, ampliſ-
ſimæ illæ ædes ſolemni gratiarum carmine, 191
muſicis vocibus inſonuere; concinente ma-
gno cum ſtrepitu ære Campano, tum illius,
tum cæterarum per vniuerſam Ciuitatem
Sacrarum Ædium: ſacroque carmine finito,
aſſurgens Maſanellus Proregi, totius fidiſſi-
mi Populi nomine, gratias ingentes egit; ob-
tulitque in vſus bellicos Regi centies decies
ducatorum millia ſextuplicata, facilè colligē-
da, ex indicendo ducato vno in ſingula ter-
rarum iugera per vniuerſum Regnum, quā
indictionem promulgauit: præſenti verò pe- 192
cunia ducatos vigintiquinque mille, ad arces
inſtruendas; triginta verò mille, ad alendas
triremes.

Et hîc finem accepit apud Neapolitanos
imperium Maſanellicum: quod quidem non 193
integrum triduum durauit, ſi à cede Perro-

nij numeretur; tantumdem extenditur ſi ab ortu ſeditionis. Piſonis Octiduani Cæſaris certè contractius, longè tamẽ validius ſuper
194 Piſonianum, & quodcunque aliud, quod vllæ vmquam gentes pertulerint. Nam quæ Maſanellus geſſit, tribus ſubſequutis diebus, poſt iuratas concordiæ cõditiones furori po-
195 tiùs, quam Imperio ſunt imputanda. Cuius concepti tùm primùm, dum hæc adminiſtrantur, non leuia præbuit argumenta; dum enim re peracta Prorex, ſalutato Cardinali, ad Palatium curru reuehitur; Maſanellus, qui inuitatus in eumdem currum quàm demiſſiſſimè honorem recuſauit; in
196 equo repoſitus, ad Populum conuerſus, palam edixit: ſe omni exutũ poteſtate, Proregi vero tamquam Domino ab omnibus obtemperandum; laniato etiam, dum hæc diceret, argenteo indumento in ſignum abdicationis. Sed eodem tempore, dum verbis recuſat imperium, Tiberianis prorſus arti-
198 bus, re impotentiùs exercebat: Edixit namq; pęna capitis indicta, vt omnes intra ſecundã noctis horam domum ſe conferrent, cũ ſibi

ſtatu-

ſtatutum eſſet exules omnes penitùs delere:
quæ tamen iuſſa ineptijs cumulabat, man-
dans vt eadem ſecunda noctis hora trãſacta,
præſto eſſet vnuſquiſque ad feneſtras domus
ſuæ cum ſclopo, impetiturus glande plum-
bea quemcunq; illac tranſiturum; imponiq; 199
mandauit noua portarum clauſtra Ciuitati
vniuerſæ occludenda, obſignandaq; ſub no-
ctem omnia, clauibus ad domum ſuam rela-
tis: Præterquam quod in profuſa illa liberali-
tate, qua quinquaginta, & vltrà ducatorum
millia in vſum regiarum triremium, arciũq;
conferebat; profeſſus fuerat ineptiſſimè, eam
ſe ex pretio cuiuſdam pretioſiſſimæ veſtis,
quam repoſitam habebat deſtinaſſe. Nec 200
immeritò quiſquam inter argumenta motæ
mentis repoſuerit & illud; proſequutum eũ
in equo fuiſſe Proregem, ſed vſq; in forùm 201
tantùm; ad domum videlicet ſuam, quaſi ve-
ro proſequtionis officia, non ille Proregi,
ſed Prorex ſibi præſtitiſſet. Quo in itinere
& illud pręter deſtinationẽ, immò contra
voluntatem Proregi contigit; quod non ea-
dem, qua aduenerat ad Eccleſiam via, ſed

latiori capto circuitu, per ingnobiliora etiã Ciuitatis loca, & mercatum ipsum, in Pala-
202 tium reditum. Quod licèt ad captandam Plebis auram interpretatum vulgò fuerit, quam ipsam Prorex fauorabiliorem aucupare voluerit; dum Masanelli Vxorem despectissimæ sortis fęminam, è fenestra spectantem, aperto capite salutauit: quem honorẽ nõ nisi Principibus fœminis haberi solet: ta-
203 men casu prorsus, id contigit: dum Proregis familia, quæ preire solet, stipatorũq; corporis agmen, incõsulto Prorege, illac ducere cæpisset; nec integrum fuit cœptum iter interuertere: ne reuocatio quælibet semina sinistrorum sermonum inter credulam spargeret multitudinem; satiusque habitum, oblata casu flectere ad consilium.

204 Genuinus verò eò attentior, quò Masanellus inconsultior, vt quã huius fauore nactus erat potentiam, solidiori munimine stabiliret; occasioni non defuit: Sed tamquam, iam sedata dissensione quacunque, cuncta ad pristinam tranquillitatem, & obsequiũ Proregi debitum redijssent; nedum illum vsque

in

in Palatium proſequutus eſt, verum cum
Arpaia turbæ aulicorum immixtus, vnaque
cum ijs vſque ad exterius cubiculũ pręgreſ-
ſus eſt, & conſiſtens pariter per medios, de
more pertranſeunti aſſuetas venerantium
ſignificationes exhibuit: quos conſpicatus
Prorex. Lętiſſimus, ſtatim in interius cubicu- 205
lum ſeduxit; vbi ſedere iuſſos remotis arbi-
tris vtrumque, ſed Genuinum præcipuè,
magnis laudibus effert: profeſſus ſe illius Po-
puli, atque adeò totius Regni quietem, &
tranquillitatem eis acceptam referre, & re-
cepturum profectò Regem ipſum, vbi geſta
reſciuerit: expectarent propterea à Regia 206
munificentia condigna præmia; interea pe-
nes ipſum habituri primũ gratiæ, & honoris
locum. De præsẽti tamen copia Arpaiæ de-
mandatum munus Delegati Populi confir-
mat, Genuinum Regij Ærarij Pręſidẽ pro-
nunciat: Quo pretio vel emptus Genuinus
Maſanellum deſeruit, vel allectus vt promp-
tiùs deſereret; nam ille furore corruptus ſe
cauſamque Populi perditum ibat; & in illa
eadem ferebatur, furoris impetu, mente ſe-

re

rè ne dũ conſilio deſtitutus, in quibus pru-
208 dens, volenſque peccauerat ferox animus,
immanitatem nimirũ crudelitatemq;. *Serò*
namque eiuſdem diei Sabathi haud quaquam
digna ex cauſa, ea certè nequaquã cognita;
in duorum ex plebe hominum capita, ad
209 Portam Mediniam, militari ſcloporum ſup-
plicio ſęuijt, eademq; feritate ceruices prę-
cidi imperauit Nicolao Ametrano, Carolo
Vitalio, & Spiritello muſico: vno eodemq;
tempore accuſatis, reis factis, condemnatis,
& punitis: illo tantummodo obiecto crimi-
ne: aſſeclas eos Mataloniorum eſſe. Quibus
alius ſtatim additus, Ametrani contubernij
210 tantummodo reus. Subſequuto verò Domi-
nico die magnis auctibus, Maſanelli furor
excreuerat, & quaſi, ad fera iuſſa exequen-
da, tot ſatellites non ſufficerent, vel moram
facerent, ſiue iudiciorum ambages faſtidiret;
ipſe per ſe, cędes patrarę, cecoque impetu
in multitudinem illatus, enſe diſtricto, om-
211 nium vitę inſultans, ſuę negligens obuium
quemquam, indiſcretis fœdare vulneribus:
nemine auſo contra vim, tanta auctoritate
ſufful-

ſuſtultam, vim opponere; cum tam multi poſſent, & deberent. Vſque adeò inſederat Plebis animis viri amor, & veneratio. Iamque huiuſce rei ne dum rumor, ſed certus Nuncius in Palatium ad Proregem peruenerat. Is fuit infimę ſortis Pharmacopola 212
Maſanelli ſororius, eidemq; in intimam familiaritatem aſſumptus, qui dum Conuerſani Comiti in Calabriam profecturo, plenas defert à Maſanello ſecuritatis literas, Proregi palam enunciat: Maſanellum prorſus furere, iactatque, ſua ſe manu iugulaturũ, ni reſipiſceret. Ad quæ Prorex, fraudem 213
veritus, (ad eam penitùs auertendam) nulla protulit verba, ſed vultu relata abominatur, ita tamen compoſito, vt non minus in huiuſce deteſtationem iactantię, quã illius trahi furorem poſſent. Inter quę per Cardinalis familiarem illum è Frãciſcana familia admonetur Maſanellis verbis ſeriò Prorex.

Mandaret Excellentia Sua inſeſſas à Po- 214
pulo per Ciuitatem deſeri ſtationes; quandoquidem ipſe iubere amplius nec poſſet, nec deberet, qui iam conſtituiſſet ſecedere apud Pauſili-

„ silipum, vel aliam sedem sibi ab Excellentia „ sua præscribendam, ibique vitam agere prorsus otiosam.

Ad quæ nihil moratus Prorex, non adeo tamen Auctoritatis alienæ memor, vt suæ obliuisceretur; sed inter Imperãtem, & Masanelli imperata pervrgentem, medius; ob-
215 tinuit pacatissimè deseri stationes, eò prõptius à stationarijs è plebe, quò ægrius militaria illa ab eis munia tolerabantur. Prorege lætissimo, qui gradũ inde factum; ad absolutam Ciuitatis tranquillitatem, spei plenus, ominabatur. Quam spem fortuita etiã auxerunt; ne putemus solos dormientes sõniare, quę cupiunt; Cum enim, in viarum capitibus, dolia vinaria, ad sepimentum opposita, flammis succensa fuissẽt ad iter prõp-
216 tiùs expediendum: publicæ hilaritatis speciem, tamquam re penitus confecta, credulo ediderunt Proregi. Dum tamen interea nihilosecius Masanelli furor sæuiret atrocius, & quidem contra ipsa Populi capita, qui arma tenebant, Centuriones nimirum Ottinarum; quorum plures læuissima de causa, vnica,

vnica denunciatioen mori iussit; & cęsi fuis- 217
sent; prompta iam, & expediente Carnifi-
cinę suæ instrumenta, nefaria illa adolescē-
tium turba sæpius memorata: ni per Car- 218
dinalem stetisset; qui obtentu diei sacrę, cui-
us cultus violatus fuisset; illa, in quantumuis
noxios, animaduersione: dilationem exitij,
vsque in diem sequentem obtinuit, qua illi;
carceribus licet inclusi, rerum mutatione;
incolumitatem etiam sunt consequuti. Sed
inte pręcipua Masanelli deliramēta illud me-
morabile fuit, dum senescēte iam eodē Do- 219
minico die, ex cruribus altero caligatus, alte-
ro nudus, sine pileo, discinetusque sudore
madens, & puluere sordidus; ad Palatium
accurrit: vbi, nutu, quiescere iusso Legionis
Hispanicæ Instructore, qui prę foribus de
more excubabat; scalas velocissimè emensus,
nulla petita venia, vsque ad interius cubicu-
lum pergit ad Proregem: cibum ab eo poscit, 220
proclamatque, fame se perimi; annuentiq;
Proregi, blandissimèq; cibum afferri iubenti;
remisit; & quasi docturus, nulla se laborare
magis inopia, quam mentis, iussit Ostrearū 221

afferri, & choclearum aquatilium, diuerſi
generis, magnum numerum; eiſque dona-
tum Proregem; inuitat ad vnâ ſecum, lu-
ſtratis Chiaiæ Pauſilipiq; littoribus, ſeruen-
tiorẽ diei æſtũ, vmbris illis, auriſque lætiſſi-
222 mis temperandum; quo magis indecorum,
magiſque intutum cognouit Prorex; com-
mittere ſe blandis hiſce inuitamentis; eò eni-
xius recuſationem excuſauit, ne intelligere-
tur: cauſatus, ſe grauedine capitis prohiberi,
quo minus opportuna adeò, & expetita, vna
cum chariſſimo ſibi filio, vagatione fruere-
223 tur: Neue deprehenſus hęrere, doceret im-
purtuniùs rogare; tamquam re conſtituta,
parare illicò iuſſit ornatiſſimam, inſtructiſſi-
mamq; illam cymbam; qua ipſemet, ad oſtẽ-
tationem compoſitus; aulicoq; apparatu cir-
224 cundatus vti ſolebat; eaque hortatu, iuſſuq;
Proregis, ſtragula purpurea ex holeſerico cõ-
ſtrata, exceptus Maſanellus, puluiniſque
ſplendidiſſimis reclinis, per fælicia illa littora
225 vectabatur; pluribus, nedum mari proſequẽ-
tibus cymbis, ſed terra etiam; ſupra triginta
millium capitum multitudine, quibus ille,
iden-

identidem, aurea nummiſmata, varij generis iaculabatur in mare: à nandi peritiſſimis, vrinando, ſibi ipſis quærenda; id quod ma- 226
gna hilaritate, & cõtentione factitabant quãplurimi: ingenti cũ victorum tripudio; quibus tam triſtis, & ferox animus, nequaquam mollitus: ingenitam crudelitatem non exuit; Nam, vbi primum in conſpectu habuit cele-
bre Canonicorum Regularium Cęnobiũ 227
ad ſpeluncam, in quo plura prætioſiora Nobilium ſuppellectilia ſubducta, reconditaque fuiſſe fama erat ad ea perquirenda, exportãdaque turbã illam truculentus immiſit.

Quæ furentẽ ſequuta, ſæuientem nõ deſerit; quin à ſæuitia interpretata, Maſanellũ
cordatum; dicto citius, quam tumultuoſiſ- 228
ſimè in cęnobium irrumpit; ſpretaque loci religione, nihilque reuerita cęnobitarum, quà ratione, quà precibus renitentium auctoritate; momento temporis egerit vniuerſa, & tamquam ex hoſtibus ſpolia in forum defert, in modum triumphi.

Sed inter atrocia hæc, & ſumma commi- 229
ſeratione digniſſima, quaſi inter cothurnatos

comædus, ad mitigandam ſpect torũ triſti-
tiam; ludos dedit Maſanelli deridicula vxor;
docuitque quam paruo diſtent confinio ab
honore ludibria. Cupido cęperat vanũ in-
genium, inuiſendi Proregis vxorem, lectiſſi-
mam fœminam; & per huiuſmodi officia,
principibus tantum fœminis aſſueta, iactare
apud vulgum viri ſui potentiã. Petita igitur;
& facilè obtenta venia, horaque condicta,
230 more magnatum, ſplendidè magis, quam
ſcitè ornata, vna cum ſocru alijſq; eiuſdẽ
fęcis mulierculis, & quodam puero; curru
vehitur ad Palatium; ibique in aditu ipſo,
excepta geſtatoria ſella ſplendidiſſima, qua,
231 ipſa Summi Inſpectoris Vxor Ioannis Ponſę
de Leone vti ſolebat; ineptè adeò, ex inſo-
lentia, in ea conſtitit, vt monenda fuerit, nõ
ſine aſtantium chachinno, à Succolantibus,
ei inter geſtandum, ſedendũ eſſe: elataque,
præeunte, aperto capite, aulicorum puero-
rum nobiliũ agmine, haſtatiſque corporis
cuſtodibus, ſellam ſtipantibus, cum grege
illo ſuo; ſellis pariter nobilium fęminarum
232 vſui deſtinatis; per Palatium in Arcem defer-

tur:

tur: venientique Proregis vxor, pluribus Illuſtribus fœminis comitata, aſſurrexit, & in occurſum procedens, manu apprehenſam, hilari fronte, ad oſculum benigniſsimè admiſit, viceſque mutuo rependit oſculo, iiſdemque ab officijs, nulla ex nobiliſſimo comitatu ceſſauit, ſed cum nuru ſocrum, cæteraſque aſſeclarũ quiſquilias, admiſſis oſcu- 233
lis redditiſque alacriter excepere; non ſine quarumdam ſtomacho, & omnium irriſu, eò libentius, quò propiùs cuncta ad lætitiã, feſtiuitatemque trahebantur. Videre erat, 234
mulierculis illis pleraſque, vbi ius baſiandi inualuit: quo nihil familiarius ſexui, nec procliuius; iniectis collo Matronarum lacertis, geminata per ora baſia, magno cum ſonitu, plebeium in morem properare.

Et in longum erat, incondita illa oſculatio proceſſura; ni Proregis vxor ſeſſum iiſſet, & ad idem faciendum cæteras inuitaſ-
ſet, Maſanelli vxore apud ſe propiùs collo- 236
cata.

Quę benignè ab ea appellata, nihil frequẽtiùs in ore habebat, quam putidum illud,

quo

quo se magnificè non minùs, quam stolidè
circumspiciebat: illam, nimirum, Hispano-
237 rum Dominam esse; se verò Popularium; id
vnum assequuta, vt quam iactantiam animo
conceperat, in regia eamdē Arce, locupletis-
simis coram testibus; quàm ineptissimè pro-
fiteretur; vtque certiùs appareret nullius rei,
præterquā basiationum congressum illū fuis-
238 se; ne dū mulieres, sed qui viri ex Illustribus
interfuere, summus quidem Inspector pue-
rum, quē memoraui, sinu tenens basijs nū-
quam desijt fatigare; Vincentius verò Ara-
gonius Proregiæ Vxoris frater, anilia Ma-
sanellicæ Matris oscula, pati sustinuit; tole-
rabiliori sanè huius patientia, quæ statim
præterijt, meditata illius adulatione. Cuius
dehonestamenti, die insequenti, dignū pre-
239 mium tulit. Monitus, Prorege coram, à
Masanello, paucis, ac decretorijs verbis, ab-
stineret se à furtis, quorum infamia labora-
bat, pœnas alioquin sibi capite daturus: Sed
hęc postea euenere; interim Masanelli Vxor
scenā absoluit; monilique aureo, alijsq; prę-
tiosis muneribus, vna cum mulierculis illis
suis

ſuis benè donata dimittitur, domumq; eodẽ
ſaltu, reuecta Maſanellum reperit à Pauſi- 240
lipo redeuntem, vino madidum; quo & qui-
dem generoſiſſimo, vt decebat tantum Du-
cem, ſe largiſſimè ingurgitauerat, gemino 241
furore adeò mente deiectus; vt cum caſu in-
cidiſſet in Coſmum quemdã cui demandatũ
fuerat: marmoreas in foro tabulas erigere,
inſculptis conditionibus, quibus concordia 242
conueniſſet: eidem pro imperio iuſſerit, &
alias inſcribi in quibus diſertis verbis conti-
neretur.

*Maſanellum Amalphitanum fidiſſimi Po-
puli Neapolitani Præfectum, & ſummum,
Caſtrorum magiſtrum iubere: ne poſt hac,
mortalium quiſquam ſibi pareret, ſed omnes,
Proregi.*

Quaſi hoc reſtaret, ad quaſcunque Impe-
rij vires exercendas, nulli vmquam imperã-
tium attentatum, obtinere imperio: ne ſibi
obediretur, & adeo natus eſſet Maſanellus
imperio, vt nec abdicare poſſet niſi imperan-
do; nec poſt hac apud homines dubius fuit
Maſanelli furor, ea ſolum inter Proregem, 243
&

& vulgum ſententiarum diſcrepantia; quod
hic medicamento aliquo alienatam mentem
244 fraude Hiſpanorum putabat; ille verò malo
genio inſeſſum, ſupra humanas vires; efferri
eum ſibi perſuaſerat.

Vitio humani ingenij nō aquieſcētis rerū
cauſis, quarū euentus, vltrà ſpē, votumque
245 ſuū contigere; quaſi verò liquor ille, qui à vi-
mēti inferendæ, apud aliquos nomē inuenit,
intemperantiſſimè ſæpiùs ingeſtus, ſatis non
fuerit, ad eam tandem de ſede mouendā ſua,
ſolaribus efferueſcētis Caniculę radijs diu ex-
poſitam: in ea præſertim corporis conſtitu-
tione; copia ſanguinis turgida eoq; peruſto,
calore, externo, mariſq; ſalſedine. Furoris
prope eſſet, furoris enumerare deliramenta
omnia, quibus Maſanellus conſequuto die
246 Lunæ, à ſeditione octauo, per Ciuitatē Vni-
uerſam, debacchatus eſt; non modo pro im-
perio, cuius eiurati obliuio hominem cępe-
rat: Dum delatorem, olim rebus quietis; de
interuerſo per quemdam ſalario vectigali, ca-
pite truncat; dum raptorem vxoris alienæ,
quantumuis impudicę; cruçe; hanc verò la-
queo,

queo necari iubet; dum tresdecim, vnica denunciatione, Centuriones ottinarum, furti 247
insimulatos, supplicio destinat; affecturus illicò; ni cuiusdam monitu (tamquam rem nouam afferentis) distulisset post crimẽ probatum; quos tamẽ, omnes, ne laterent, antequam in Carceres Vicariæ, asseruãdos traderet, ea signauit nota vt labrũ superiùs raderet, & ex temporibus alterum. Sed sęuius, impetu quodam grassatus est, & fortuito infortunio, vt assolent feræ bestiæ: equo nãq; insidens, moderandi nescius, in multitudinẽ
in foro obuersantem, illum immittebat, ob- 248
terens obuium quemque; exemptumq; vagina ensem breuiorem, in confidentissimos proijciens, cæco vulnere sauciabat non paucos; neminemq; moratus, laxatis habenis, concitatissimè ad arcis aream defertur, consilij nescius; vbi à Gaspare Spano Legionis Neapolitanorũ Prosperi Tutauillæ, multorũ stipendiorum Centurione, conuentus, rogatusque; vt suæ legionis milites, non paucos, quos captiuos detinebat, missos faceret, pro vt alios Germanorum, Belgarumque,

iamdiù dimiſiſſet; reſpondit paucis: iret porrò, illoſque reciperet, ſed ſubijciente illo; cuſtodes temerè non dimiſſuros, niſi de illius iuſſu, iteraretque propterea ad eum enixius præces: nihil reueritus militaris viri caniciē, nihilque pendens atrocitatem iniuriæ; virga,
249 qua caſu, ad equum caſtigandum, erat inſtructus; repetito ictu, os ferijt deprecantis; indeque ad regium ſtabulum delatus, in quo nobiliores equi quamplures, de more, alebantur; eos ſibi depoſcit. Admonituſq; eos
250 Regis eſſe, ſub tutela Caroli Caraccioli, ſummi Equorum Regiorū magiſtri; non aquieuit, ſed identidem dictitauit,

„ *Qui nam tādem hic Carolus? qui Equo-*
„ *rum Magiſter? Ego Carolus, Ego Magiſter,*
„ *Ego omnia, & ſupra me nullus.*

Nec factis temperantior, ex præſtantioribus quinque ſibi ſepoſuit, ſumpſitque, ſed ne dementiam in eo quiſpiam requireret;
251 eadem inconſtantia, paulò poſt, eoſdem remiſit, qua leuitate ſumpſerat; haudquaquā firmiore vſus mente, dum Summi Inſpectoris ſuppellectilia domus, è cœnobio Franci-

ſcanæ

ſcanæ Sacrę familiæ, magno ſtrepitu in forū, tamquā ipſius Fiſcū aſportari iuſſa, reportari 252
eodem penè imperio permiſit. Nec ſecùs pœnas Ferranti Caracciolo remittendo, ſub quarum interminatione illum adeſſe arrogātiſſima, ſed fruſtrà iuſſerat in forum ad ſibi pedes deoſculandos. Et nihilominus tanta erat, & coalita adeo huiuſce nullius prætij homuncionis apud Neapolitanos auctoritas tanta veneratio, vt etiam cōpos iam votorum omnium Populus factus, furenti, & in om- 253
nium capita, fortunaſque palam illudenti; nemo obſiſtere auderet: Prorex verò veritus, ne vtcumque ſopita ſeditio recrudeſceret, ſaluti, dignitatique conſulturus ſuæ; in Arcem Caſtri noui, denuò ſe recepit, fir- 254
moque præſidio, & ex temporaneis munimentis, Palatium, areamque Palatio proximam firmauit. Sed melior, potiorque Populi pars, cordatioreſq; ex eis, qui lætis animis, odio pręſentium, mutationem, cōuerſionemque Reipublicę initio acceperant, animis penitus conciderunt; vbi cognouere fortunas, vitamque omnium, eò paulatim

redacta, vt à nutu vnius furioſi penderent;
255 & cum ſinguli ad remedium, Maſanellico-
rum catulorum metu impares eſſent; in
communi autem conſulere non auderent,
publicis deploratis; res quiſque ſuas, in lubri-
co poſitas; reſpicere. Inter quos Genuinus,
ſuo quoque diſcrimine magis anxius, quem
Maſanellus ne dũ ſpernere cæperat, & odiſſe
(quaſi verò Senecam alterum) ſed ac-
cerbiſſimè monuerat: ne putaret ſecum agẽ-
256 dum eſſe, pro vt egerat cum Oſſunæ Duce;
cum ſibi ęquè facilè, ac promptum eſſet, ca-
put ei amputare. Et ſanè, mirum quantũ,
hac inſana impotentia; capita cuiuſque am-
257 putandi, indicta cauſa (quam licentiam vſu
cæperat firmaueratq;) iactaret ſe. Illud ad
improbitatem hanc deteſtandam prętereun-
dum non eſt; cum illis ipſis diebus obuium
caſu ad Sancti Ioſephi habuiſſet Nicolaum de
Iudicibus Principem Cellæ maris, honorariũ
Collateralis Concilij Senatorem, conciuem
meum, probitate morum, & ſplendore vitę
inter Neapolitanos Dynaſtas præcipuum;
benigniſſimè, & quam honorificentiſſimis
verbis,

verbis, appellauit, nec alio apud eum argumento, potentiam, quam cruenta illa feralique iactatione extulit suam: posse se cuiuscunque caput amputare, ausus inter præcipuos, ore impudentissimo, Summum etiam Romanum Pontificē connumerare, cædi à se 258
destinatum, ni quantò citiùs Beneuēto Mattalonioq; deditis imperata per egisset, quæ si differantur diutiùs: cum centum armatorum millibus, se Romam ipsam aggressurũ euersurumque. Sed certiore consilio Genuinus, 259
periculo audacior, Proregem, cuius gratiam futurorum prouidus, iam sibi parauerat, vt memoraui, adit vna cum Arpaia, remque aperit.

Per Masanellum stare, quò minus res per Excellentiam suam pristinæ tranquillitati restitutæ; in alta pace quiescant; hunc, siue corporis, siue animi vitio furentem; cuncta conuertere; euersurum profectò gemētibus bonis omnibus, ni coerceatur expectari à fidissimo Populo vltricem tot scelerum dexteram, qua, cum fortunis omnium, obsequia Regi debita, sancirentur.

Ad

260 Ad hæc Prorex, lætus oblatis (cum Masanello superstite, cuius genium horrebat) nunquam se sine cura futurum putaret, sed certus tantæ rei inuidiam, apud Plebem, nō subire, totus ad mestitiam compositus pluribus audientibus.

, Misereri, se casum, tum fidissimi Populi, , tum Masanelli, quos omnes tamquam filios , animo enixius complectebatur: optare ne publi- , ca quies, ne obsequium Regi debitū interturbaretur, vt ingentia commoda, tot laboribus, , tanto discrimine, parta; fidissimo Populo per- , petua essent: Cæterum videret fidissimus Po- , pulus, cuius viribus niteretur Masanellus; vi- , derent Genuinus ipse, & Arpaia, quorū con- , silijs vtebatur, qua potissimum ratione conti- , nendus esset; se quid in probaturum omnia, , quæ cum obsequio, & fide Regi debita, quietē, , & tranquillitatem Ciuitatis essent allatura.

Sensit aulicarum artium nequaquam rudis, plus in recessu mētis, sibi à Prorege permitti, quam quod verbis concessum foret; egressusque ad amicos: actum de communi salute pronunciat; ni quæ singuli formidant,

in medium ab omnibus conferantur, & de rerum summa capiatur consilium. Nec mora; indicitur, eadē hora ad S. Augustini Præfectis Ottinarum concilium; & ne Masanellus esset impedimento, Pausilipum amandāt hominem, facilè persuasum, experta præcedentis diei festiuitate. Quā dum eodē fastu concelebrant; conuenere frequentes Ottinarum Præfecti non paucis Centurionum immixtis; vbi, pro se quisque omnes contra Masanellum inuehere. Tyrannum truculentissimum, feram bestiam, Luem teterrimam appellantes.

261

Demus fatali omnium socordiæ tandiù nos, vilissimi capitis libita pro lege habuisse: tribuamus iustissimæ Dei, iræ. ad eius solius nutū tot cædes patratas, tot incendia visa, tot domos exhaustas; patiamur inulti ex nostro corpore quam plures indicta causa, veluti pecorum gregem. iugulandos; vno iussu tradidisse, sparsgentemque cædes, & vulnera spectemus attoniti: quid? etiam ne furenti parebimus? & cui, intemperantia sua, vel dolus alienus; mētem dempsit, diutius eidem nos consiliorū fortuna-

, tunarumque nostrarum habenas permittemus,
, qui omnia secum impraeceps trahat? Consul-
, tatio rebus dubijs inuenta est; ne cumulemus
, consultando dedecora nostra, sed hinc egressi,
, nostris manibus, discerpentes consceleratum
, hac victima Regijs, nobilibusque nostris gratis-
, sima, & fidissimi Populi commoda, & con-
, cordiam ordinum sanciamus.

263 Hic erat haud dubius omnium sensus; Genuinus tamen mitiora censuit.

, Non adeò attendenda quae meruerit Ma-
, sanellus, vt ea praetereantur, quae salubriora
, postulat temporum ratio; caeco illius fauore
, Plebem imbutam, iniquissimèque laturã eius-
, dem interitum; quae, si depositas resumpserit
, furias, non defuturos alios, atque alios Ma-
, sanellos; qui desiderium incutiant interempti;
, inepti quidem ad tantam rerum molem; fide
, tamen, & abstinentia incorrupti. Quas ta-
, men in augustias res Populi coniectae essent. si
, hinc Plebs, inde nobilitas premerent, horret
, animus reputare; satius non ne erit: vinctum
, in custodiam insanientem dare; speciemq; re-
, medij poenae imponere? Nec sanguine quan-

tumuis

tumuis scelesto, benefactoris certè, coinquina- ,
ri? Vix enim Deo cordi esse posse putare; vt ,
cuius ductu fidissimus Populus à Tyrannica ,
seruitute liberasset, liberatorem idem suum ne- ,
ci daret. ,

Hæc obtinuit sententia, tacito etiam con- 264
silio Genuini potior visa, qui gnarus, quanto terrore Regijs, & Nobilitati Masanellus esset, vtrosque magis obnoxios futuros putabat Populo metu solicitos, ne ille solueretur.

His peragendis commodum accidit Ma- 265
sanelli reditus è Pausilipo de more temulenti, qui in equum insiliens, quàm potuit incitatissimè per forum in mare decurrit; fluctibus ferè haustus: ardorem scilicet extinctu- 266
rus aquis illis, quem in visceribus excitauerat vinum, sed faciliùs extinxisset vitam, vestibus grauis, & equo implicatus, ni plures auxilio periclitanti accurrissēt, inter quos, ij quibus demandatum, vinciendi hominis negotium erat; appræhensum non minùs vino, quam aqua madidum; domum deferunt, ibidemque dissimulanter custodiunt.

268 Non ita tamen, quin domo exire prohibitus non præsentiret; cumque noctem inquietam vino, furoreque exæstuans, & insomnem ageret, ea concubia, fenestris adapertis; multitudini ante domũ, sub Dio, de
269 more, excubanti; spectandum se dedit, Christi Saluatoris effigiem è Cruce pendentem
270 manibus attollens, pluribusque circum accensis facibus; lugubri lamentatione conqueritur.

, *Proditum se à Populo, quem liberasset; probèque scire die crastino sibi moriendum, nec pro charissimo Populo ægre laturum; quinimò vltrò tantam se ei condonare iniuriam; & in argumentum charitatis, & beneuolentiæ; salutifero signo illo ter, ac sæpius benedicere.*

Mouisset, haud dubiè, aspectu illo prorsus tragico, & querela illa nec indebita, nec degeneri, multitudinem: ni studio plura congerendi: dum vt ostenderet, inedia se attenuatum adeò, vt venter renibus penè adhæreret, ea aperit, quæ natura ipsa
271 celare docuit; inde in risum commiseratione conuersa, à remotioribus præsertim (quos,

vt

vt à vocibus non æquè ab aſpectu arcebat diſtantia, ſibilis tamquam furoris manifeſtus, exceptus ab eorum conſpectu ſe ſubducit. Diſpari ſanè euentu, pari caſu à Romano illo, qui inde valuit imminentem condemnationem auertere. Dum excepta aduerſo pectore vulnera Populo oſtentaturus, veſte remota, ea etiam fortuito nudauerat, quę cælat pudor; Prorex interea occaſioni non 272
deerat. Sed vbi audiuit Maſanellum detineri captiuum, conuocato cum Collateralibus Sanctiori Senatu de ſumma rerum deliberare: & ne tempus, rebus agendis opportunũ, inter conſultandum laberetur, accerſitis, cũ Genuino, Arpaia, pluribus ex Populi primoribus, de Maſanello ipſo ſtatuere; & licet inter omnes facilè conueniret canem mortuũ amplius non mordere; & huiuſce generis facinora, quò periculoſiùs incipiantur, eò ſecurius peragi; ſatius tamen omnibus viſum, 273
per Populum Maſanellum aggredi; ſuiſque illum viribus conficere, exauctoratum Pręfectorum omnium, Centurionumq; Ottinarum decreto (cui etiam abſentes ſcripto

assenserant) omnique exuere potestate; reseruata, tamquam subsidiaria, ad subita
274 casuum, atrociori sententia; perhibente tamen ante omnia Prorege, & contestante: se nihil propterea imminuturum, immutaturumq; eorum, quae de commodis Populi conuenissent, sed sancta omnia inuiolata permansura.

275 Prudens Consilium sors iuuit. Marcus Vitalis erat (de quo meminimus alias) praeferuidi ingenij adolescens, Masanello coniũctissimus: beneuolentiam conciliauerat, mutua commiseratio: dum vterque, pariter, eiusdem carceris poedorem, miseriãque; olim pertulit. Quod humanis moribus insitum est. Non secus ac, oppositis omninò causis; fęlicitatis eiusdem consortium, ex ęmulatione, odium gignit. Magna vtrumq; prouidẽtia Naturę, ne omni, & quocunque lenimẽto calamitates, morsu fęlicitates carerent. Is igitur Marcus, vti Masanello acceptissimus, fidissimusque, eiq; ab actis, tantae potentiae particeps socius, & adiutor erat: nec vllus habebatur, post alienatum Genuinum, à quo perniciem Masanello molientibus, magis timen-

mendum esset. Is igitur dum conquoque-
bantur ea, quæ commemorabam, corā Pro-
rege consilia; commodissimè in Palatiū ve-
nit, quæstûm de Regijs, qui Proregis edicta 276
ad Populum pervulgassent, non expectato,
proh nefas; vel requisito Masanelli iussu. Quę
vbi cognouit Prorex: vt hoc etiam præsidiū
Masanello demeret, admonet suos; quam
mollissimè cum eo agant, & diserendo rem
protrahant, adigantque eum, quam dissimu-
lanter, in arce pernoctare. Quod illis pronū 277
fuit obtinere à verbosissimo, & inexperta fę-
licitate tumido; qui, multa de libertate fidis-
simi Populi, plura de potestate Masanelli;
disserendo; longè plurima disputando refe-
rebat, vt obiecta sibi de Masanelli, post res
constitutas; abdicatione, dilueret; quibus nec 278
acriùs obsistentibus, nec facilè concedentibus
Regijs; in multam noctem productus est ser-
mo, conclusus tandem, ad Marci libita; quē,
inde discedentem, Regij, vsque ad arcis por-
tarum claustra honoris causa; deducunt, tā-
quam dimissuri; at vbi ad ea peruentum, se-
ris, vectibusque offendunt occlusa; qua re,
quasi

279 quasi subita, icti, excitatis custodibus, claues
poscunt, sed causantibus illis, Proregis iussu;
turbidis illis temporibus; eas noctu apud ip-
sum asseruari; Tum, ex aulicis vnus; regre-
ditur ad arcis interiora, tamquam petiturus;
sed satis citò renunciat, alto cuncta silentio
sepulta esse; nec ausum se Proregis quietem
interpellare, accepturi profecto molestissimè,
&, tamquam magnę alicuius calamitatis prę-
nuntios; primos quosque crepitus, quos, ho-
ra illa, fores cubiculorum edidissent, satiùs
igitur multo esse (vt ab humanitate charissi-
mi capitis facilè expectandum est) si Marcus
paruulas, quæ restabant, noctis horas; apud
amicissimos, terere non dedignetur: in quã
sententiam cõsurgentibus certatim reliquis,
precesque alias, super alias ingerentibus (quę,
vbi modum ęxcedunt, aduersus eum, qui re-
cusare non potest; à vi verbo potius diffe-
280 runt, quam re) ijs tandem ille, inter exora-
tum, & coactum medius; cessit, expecta-
uitque in arce (quod quæsitum fuerat) ex-
orientis diei Martis lucem, sibi postremam.
Nam egressus, ignarus omnium, quę inter

ipsius

ipſius inutiles in arce moras, geſta erant in
Ciuitate, vias videt omnes, arci, Palatioque 281
propinquas; armato Populo inſeſſas; percũ-
ctantique, ab Centurione ad Chiaiæ Portam
tendente; cuiuſnam iuſſu arma illa reſumpta,
Maſanello mandante depoſita; reſpondit ille:
Proregis (nec falſo) nocte namque concu-
bia, poſt poſitum ſub cuſtodia Maſanellum,
deſignatamque illius exauthorationem, Pro-
rex, per idoneos homines (quod initio ſedi-
tionis faciendũ fuiſſet) ab honeſtioribus Po- 282
pularium obtinuerat, vt ſumptis armis, cõ-
tra plebeiorũ fęcem, quietem publicam, &
cum obſequio Regi debito fortunas, vitãque
ſingulorum propugnarent; at Marcus auda-
ci illa, ac libera Centurionis reſponſione ni-
hil deterritus, nihilque ex immutata rerum
faciè, ab inſita ferocia remiſſior; ad Centu-
rionem plenus minarum conuerſus: ſe qui-
dem, inquit, ad Mercatum ire, vt quantò
citius ille, tantæ audaciæ pænas capite lueret.
Tum verò Centurio manu, non minùs, quã 283
lingua promptus; ſtricto enſe, quo erat ac-
cinctus, pectus ſtolidè minacis trãſuerberat,

nec

nec defuit ex eadem cohorte gregarius miles, qui, plumbea glande; eumdem confixit; quibus vulneribus in ædem, Sancto Aloysio sacram, loco proximam receptus; indignantem animam effudit. Et hæc fuit victima prima, quæ, ad altare Regiæ Maiestatis læsę; caderet; quàm deinceps tot aliæ sunt subsequutæ, vt ad plures, ac plures Hecatombes, non sine humanitatis iniuria suffecissent; vt qui sequitur, ingratus licet, aperiet sermo. Nec valuit Aloysianorum sacræ familiæ cautio: qua, ne cadauer, fœdè interempti, excitaret aliquem in plebe tumultum; illicò humarunt, quæ cautio eos ne dum fefellit, sed longe magis opinio, qua timuerunt; ne, primarum partiũ, in plebis causa; hominis desiderium, pro causa ipsa cæsi, & vlciscendi libido, afflictæ Ciuitatis statum ad tranquillitatem inclinantis præcipitem ageret. Quod contra accidit; nam, cognita Marci cęde; multitudo, magno impetu, ad sacram ædem irrumpit; exhumatumq; cadauer dilaniat;
284 caputq; conto præfixum, per frequentiora loca Ciuitatis, ostentui delatum, apud Pala-

tium

tium vetus, denique ſtatuunt: membra cætera, per vias raptata, & diſperſa, plebis ludibrijs vix ſufficère. Cuius inconſtantiam attentiùs arguere, ſæuientis in eum; quem sūmis, paulò ante, proſequebatur ſtudijs; ſcriptoris eſſet, vel ocioſi, vel parum gnari moris eiuſdem, quę altiùs ideò attollit ſuos, vt lapſu grauiore præcipites agat.

Cæde Marci Vitalis, inter Maſanelli ſectatores, auctoritate pręcipui: ipſius Maſanelli 285
neci proluſum eſt. Qui dum illa patratur, ſiue præce, ſiue dolo, ſiue vi; cuſtodibus eluſis domo proripuit ſe, & ad ſacram Carmelitanorum Ædem, propè ſitam; confugit; & 286
qui, dum rerum potiebatur, nihil ſacrū, nihil ſanctū agnouerat vnquam, ſed promiſcuè loca quæcunque incendijs, rapinis violauerat, coactus in calamitate eſt, tamquā ad Samothracas Perſæus alter, fateri: rebus humanis Deum ineſſe: ſacroq; illo præſidio tueri ſe, quod ipſe nemini permiſiſſet pręſidio eſſe; 287
irrito ſanè (vt par erat) conatu: cū ſacrorum præcipuum ſit arcere ſacrilegos; dum igitur Maſanellus non adeò mente diminutus, vt

imminentem exitũ non præſentiret, turbę immixtus, nullo certo conſilio, omnia tentat;
288 Naturę nimirũ tacito quodam impulſu extremum malorum refugientis; conqueritur,

„Modò deſtitui ſe, prodique à Populo, quem „liberaſſet; modo prænunciare mortem ſibi im„minentem, nec deprecari; modò lamentari fa„me enectum ſe, nec toto illo triduo cibum ſump„ſiſſe, modò alia æquè verè, ſed ineptè, inciſa, „& trunca, quæ præſens rerum ſtatus, mentiſq; „dolor, vel furor cito perituro ſuggerebat.

Superuenit Cardinalis Archiepiſcopus, honeſtaturus celebritatem illius diei, aucturuſq; cui obuiam ad ædis valuas progreſſus Maſa-
289 nellus, eadem lamentabiliter exequitur, nõ ſine lacrymis: quẽ Cardinalis, miſeratus viri, alias formidabilis, afflictam conditionẽ, paucis ſolatur: meliora ſperare iubens, interim temporis locique admonit; ſeque in ſacrariũ
290 operaturus recepit. Nec deſtitit Maſanellus ſed, ſilentij impatiens, ſacrũ ſuggeſtũ aſcendit; eademque, & eiuſdem generis plura, nõ ab aliquo dictata Genuino, vt alias, ſed ab

ipſius

ipſius infantia dolore, furoreque excitata; ingerit; & quaſi locus, quem inſederat, poſtularet: ſe primum vti furem, periurum, blaſ- 291
phemum, ſacrilegum, et ſceleribus omnibus coinquinatum; deteſtatur pęnas mox daturus: inde Populum pietatis, & religionis admonere; pluraque effutire inepta, abſurda, erronea, tandemque ad Cœnobitas conuerſus, quos in conſpectu habebat, Chriſtiano 292
ritu deteſtationes criminum authorantes, dicterijs confixos, calumnijs onerat; vix abſtinens à conuicijs; inter quæ, apta, nata; ad demendum omnem auctoritatem, ijs etiam, quibus vnquam firmior coaluiſſet, Octauiano Auguſto non excepto, foris ſubitus inſurgit ſtrepitus, ſemper valentior, quò propior ad ædem ſacram accederet, cuius concitator nō latebat, ſed manifeſtus omnibus apparuit ad eius valuas cum perueniſſet.

Homines erant è Populo, nō amplius no- 293
uem, ex ijs plerique; quos Maſanellus morti addixerat, qui vices repreſentaturi, in illius necem coniurauerant, ductuque quorumdā Ardizoni, & Cattanei; adeò non diſſimulan-

ter ad patrandum facinus ferebantur, vt vadentes per confertam in foro multitudinem, sclopo rotato instructi; profiterentur palam:
294 sese ad obtruncandum Tyrannum ire. Qui vbi irruentes per valuas vidit; certus, se peti: omissa concionali garrulitate, fugę sed dedit; quam nòn retardauit vulnus, plumbea glande, illatum coxendici; deicientem se de suggestu; sed apud cænobitas, iamdiù eius fauore imbutos, facilè inuenit latebras; ex quibus, per sæpius memoratū Iosephum, literas eiuratorias, cuiuscunque potestatis ad Cardinalem dictat, Proregi ferendas, id solum à se
295 peti ratus. Verùm enimuerò, nec literæ valebant, quarum opus iam nihil erat, nec profuere latebræ: fluxa, (vt ferè semper ergà calamitosos) fide: detegi igitur à percussoribus, plumbeis glandibus, impeti, interfici,
296 obtruncari, idem fuit: truncum Cadauer, in ostentationem leuitatis plebis verius, quam interempti ludibrium, diù per vicinia raptatum, æditui misericordia in eadem sacra ęde sepulturam inuenit; caput verò conto infixum Ardizonus ipse, manipulo suo stipatus,

per

per splendidiores vias, applaudentibus cun-
ctis tamquam Tyranni interfectoribus, ad
Proregem pertulit.

Qui, licet, vbi cognouisset Masanellũ cu- 297
stodia lapsum, apud Carmelitas turbas ciere,
magnosque ibidem fieri hominum concur-
sus, periculo anxiùs, vel honestioribus tutio-
ra præferens; cędem mandauerat, vt quidam
voluere; vel eam deposcentibus permiserat,
vt plures memorant; certè totius rei gnarus
assenserat; aspicere tamen nõ sustinuit, frau-
dauitque oculos suos iucundissimo spectacu-
lo, diùque expetito: eam sequutus spẽ: posse
ipsum capere fructum, quem mallet ex Ma- 298
sanelli interitu; declinata in alios, si qua emer-
geret, gratiosissimi apud plebem hominis,
fædè interempti, inuidia. Ardizonus verò,
conscientia facti securus, subostensus tamen
hac Proregis dissimulatione, ferale illud tro-
pheum secum domum retulit, fixitq; ad Ci- 299
uitatis horrea, quæ sub terra fabricata fossæ
vocantur. Dum Plebs quasi sanguine Masa-
nelli non satiata; vt odia expleret: siue ad ex-
onerandam culpam omnem seditionis in-

per-

peremptum, tamquam malorum omnium
auctorem; promerendamque Proregis gra-
tiam, nec ſexui, nec ætati pepercit; ſed vxo-
300 rem, matremque Maſanelli cum puero, nul-
lius noxæ compertos, vinctos, pluribus ſu-
per ingeſtis probris; in arcem traxere mærẽ-
tes, lacrymiſque, quibus ſolis valebant, opẽ
Deûm, hominumque implorantes. Alia ſa-
nè, & longè diuerſa pompa ab ea, qua vnico
interiecto die aduenerant, & in eadem arce
excepti fuerant, quorum miſertus Prorex;
ſiue ad miſerationem compoſitus, vt indutã
ignorantis tueretur perſonam; eos illicò ſolui
iuſſit, ſuperaddito etiam in alimenta men-
301 ſtruo viatico ducatorum quindecim. Inde
ad potiora conuerſus, iuxta ea, de quibus cũ
Genuino conuenerat, ad Populum in officio
continendum, edici ſubitò iuſſit aſſentiente
Collaterali Senatu.

302 „ *Rata omnia fore, quæ viuo Maſanello cõ-*
„ *ueniſſent, nec eius morte quidpiam fidiſſimo*
„ *Populo detractum, vel diminutum velle eorũ,*
„ *quæ ſuo, & Regis nomine induſiſſet.*

303 Accurrentibus certatim nobilibus, & cum

eis

eis Cardinali Archiepiſcopo gratulatum, partam cæde nefarij hominis Ciuitati, & Regni totius tranquillitatem: omnibus placuit tantæ rei auctorem agnoſcere, & profiteri diuinum Numen, & ad gratias publicè peragẽdas Principem ſacram ædem precabundos adire. Nec mora. Prorex in equo vna cum Cardinali Archiepiſcopo, cuius latus leuum tegebat, proſequentibus Proceribus omnibus, & vniuerſa nobilitate cum Aulicis, & Populo frequentiſſimo, magna animorum alacritate, & ingenti omnium gaudio, nobilitatis præcipuè quæ, in antiquum dignitatis locum, reſtitutam ſe putabat, ad ſacum locũ, nullo interpellante deuenere. Gratijs de more, Ambroſiano, Auguſtinianoque ſolemni carmine Deo redditis, priſtina Ciuitatis quies reſtituta omnibus videbatur; vel ſi non reſtituta, ea certè rerum in meliùs facta conuerſio, vt breui conſequutura ſperari meritò poſſet. Certè reliquum illius cum 305
parte ſubſequuti diei tanta quies conſequuta eſt, vt ciues ad conſueta negotia, Magiſtratus ad munia redire non dubitauerint. Inter

quos,

306 quos, Quæstores in Ærarium conuenere; admisso ad illius Præfecturam Genuino, cui in munerum de more partitione, cum Collegis ceteris; quæ præcipua inter alias habetur, curatio eorum, quæ ad vinum pertinet,
307 ei fuerit attributa. Sed vt magna pondera, per aera librata, leui impulsu facilè propelluntur, ea virium accessione, vt obiecta quęcunque prosternant, arietum experimento; non secus Populi Neapolitani mentes, tanta rerum agitatione suspensas, vnius linguæ intemperantia, alteriusque inconsulta responsio, rursus consternauit, egitque precipites.
308 Lucij Sanfelicij illa fuit turmæ cataphractorũ Ductoris; hæc vero Arpaiæ Populi Delegati, dum ille, post expletum prosequutionis erga Proregem officium; domum redux, lętitia sequutorũ exultans, ad populares aliquot, casu obuios conuersus, eos obiurgat, ausos contra Nobilitatem insurgere; minaturque, intra tres, quatuorue, ad summum, dies adigendos fore ad vescendum volentes, renuẽ-
309 tesque, pane cinereo; sed huic equi pernicitas, cui insidebat; valuit: ne pœnas temerarię

vocis

vocis præſentes daret, fuga declinata plumbearum glandium procella, qua ab concitatis Popularibus fuit impetitus.

Propius exitium attulit Delegati reſponſio, qui intendentibus ſe iam noctis tenebris, interrogatus à Piſtoribus: quo nam pondere panes in diem venturum conficerēt. Is tædio curarum, & totius diei diuturna defatigatione laſſatus; facerent, vt videretur, nocte illa reſpondet, rem in craſtinum remittens certiori ratione ſtabiliendam. Neſcius, qui in diem viuunt quolibet die de tota vita deliberare, nec craſtinum noſſe; & inhumana prorſus arbitria illorum eſſe, qui lucrum ab aliena indigentia aucupantes, illud à furto non ſeparant. 310

Nam Piſtores, occaſione læti, ex eis plerique panes mole, & pondere longè minores, ſubſequuta die expoſuere venales. Ad quorum aſpectum Plebs ſtatim intumuit, exclamantibus tenuioribus. 311

Bonæ fidei nobiles eſſe, qui per Sanfelicium; famem intra triduum promiſſam, primo ſtatim, die repræſentent. ſed ipſorum omnium ignauiæ,

» *& paucorum quorumdam inuidiæ imputan-*
» *dum, quod, deserto publicèque prodito liberta-*
» *tis vindice, in Nobilium tyrannidem rursus*
» *consenserint; at nec laxamentum Annonæ, nec*
» *Masanellos defuturos; si fidissimus Populus se*
» *ipsum respexerit, viresque suas; rem sanè indi-*
» *gnissimam, si paucorum Nobilium superbia*
» *constantior sit, ad iniustam retinendam domi-*
» *nationem, quam in deferenda libertate Populus*
» *vniuersus.*

312 Quæ verba (vtpotè arma tenentium) res statim sequuta est. Vulgus namque armatũ mores non mutat, sed instruit in perniciem certiorem, dum temerè credita statim exequitur: ex Oraculo Patauino quò potuit Cũctator ille prænuntiare Æmilio cladẽ cannẽ-
313 sem. Discurrunt igitur statim ad arma, arma inclamant, & desiderio Masanelli furentes, Masanelli nomen ingeminant, non minus frustrà quam perseueranter, ingentibusque mortuum cumulant laudibus.

» *Masanellum Patriæ Columen, Libertatis*
» *recuperatorem, Tyrannorum flagellum, An-*
» *nonæ præsidium, fidissimi Populi Patrem Ma-*
» *sanellum inclamant.*

Ta-

Tabernißque omnibus, & domorũ Oſtijs 314
clauſis, quaſi iuſtitio indicto per Ciuitatem
fanatici, Pars Maſanelli fratrem, illoque re-
cuſante, Ioſephum Palumbum etiam in arcẽ
ad Proregem ſe ſubducentem, Duces Popu-
li appellat; ſed fruſtrà. Pars alia panes illos
longioribus haſtis militaribus infixos, præ ſe
ferens (vt etiam tacentibus ijs innoteſceret
tumultus cauſa) ad Palatium vadit; magniſq;
clamoribus panis augmentum, Piſtorum, 315
Sanfelicij, & vniuerſæ nobilitatis pœnam de-
poſcunt. Pars humilior, Catulorum ſcilicet
illorum Maſanelli, ad Carmelitanorum ędẽ
confluit, eductumque è ſepulchro deſiderati
Ducis Cadauer ad Sebetum flumen defert,
ablutumque refert in eamdem ſacram ędem;
detractumq; è foſſis caput, tam aptè, trunco
acu connectit, vt nuſquam apparerent vllius
veſtigia violentiæ; & eo qui relictus eſt poſt
mortem honore, quam ſumptuoſiſſimo fu-
nere ingenti omnium conſenſu efferre de-
cernunt. Dum Prorex, tanto diſcrimine 316
anxius ſolatio nõ leui afficiebatur, ſe quàm
alieniſſimum à cæde Maſanelli ſimulaſſe, vt

tamen dignitati, & securitati consuleret suę,
in arcem iterum, firmatis circa Palatium mi-
litum stationibus, se subduxit; eodemque tē-
317 pore Sanfelicium, Pistoresque illos, indicta
causa, Masanellico prorsus more; condem-
nat: illum lege Maiestatis proscriptum, hos
ad bonorum omnium flammis absumendo-
rum deuastationem; contra quos popularis
furor, recenti ira ferox inclementissimè sæ-
uijt; relatis etiam ad Proregem, tamquam
Masanellum alterum, ex præda spolijs, du-
318 catis sexdecim millibus; vsque adeò exemplis
peccatur, vt detestata priùs editaque à per-
ditissimis scelera, vertantur in mores; cuius
turpitudinē facti frustrà delere tentauit Pro-
rex; distribui iussa pecuniæ illius parte, non
319 modica, inter egenos apud Mercatum; cum
liberalitas eatenus æstimetur, quatenus ex
iustè quæsitis proueniat, nec commutatiua
Iustitia nisi singulorum illæsis iuribus; vni-
320 uersorum societatem tueatur. Populus au-
tem totus erat in adornando funere, & mo-
derationis sēper nescius, nihil in eo satis esse
putabat, nisi pompæ splendore, longè supe-
ratis

ratis Illustrium virorum funeribus omnibus quævnquam celebratiora fuissent. Erat adhuc in ore vulgi, & omnium prædicatione celebratus splendor, quo retroactis mēsibus Marchio Torrecusius, elatus publicè fuerat. Summus Ductor in regijs exercitibus sæpius fuerat Torrecusius, vitamque magna virtutis opinione, inter ingentium bellorum discrimina; actam in Germania, in Belgio, in Hispanijs, in Italia clauserat in Patria, post liberatum à gallica obsidione Orbatellum; cumque recēti gloria clarus, nullis receptis, pro re tanta præmijs, decessisset; interesse Reipu- 321
plicæ putauerat Prorex, ad deuotos Regi in bello animos retinendos in fide, quam sumptuosissimo efferre hominem funere: in solatium simul, & argumentum præreptæ sibi, ac Regi remunerandi facultatis; præstititque exquisitissimè fauentibus omnibus, nobilitate præcipuè, inanibus lęta, quam mors præclarissimi viri liberauerat à quacunque ex æmulatione inuidia. Cuius Torrecusianæ pompæ splendorem, adhuc præ oculis Neapolitanorum obuersantis, superare annitebatur

batur Populus in funere Masanelli sui, & lõ-
323 gè superauit. Obtinuit in primis à Cardinali Archiepiscopo; minis etiam tergiuersanti, non obscurè adhibitis; vt ad Carmelitanam sacram ædem accederet ipse, indiceretque vniuerso Clericorum cętui funus, exquisitissima pompa, & sacrorum carminum modulatione celebrandum; quo, vna cum sacris Cœnobitarum familijs, magna frequentia, confluente; funus, prima noctis hora duci est cæptum hoc ordine.

324 Præibant in pura veste pueri, qui ex Christiana pietate publicè aluntur; & post pueros sacer ordo sub crucibus, & vexillis exequialia carmina præcinentes omnes; omnes funalia longo ordine præferentes; sequebatur armati Populi pars non modica, inuersis vt assolet armis, incompris signis, ac reliquis
325 mistitię incitamentis; post quos succedebat funereus lectus, candido holoserico constratus, propendentibus vtrinque, vsque ad terram, lacinijs, in quo cadauer, amictu itidem
326 albo, Deiparæ Carmelitanæ symbolo munitum; medium tenebant; hinc maioris formę

eua-

euaginatus ensis, inde Scipio Imperatorius, lectumque cingebant decem elata vexilla, post quæ excelsius aliud, in quo sub Regis, & Ducis Arcos insignijs gentilitijs, insignia etiã Masanelli visebantur, quæ tamen vt intelligerentur (fortè tum primum edita) eiusdemmet nomine fuerant inscribenda.

Claudebant agmen mulieres sex millium 327
numerum supergressę; quę omnes tam sine fuco, quam extra necessitatẽ mętentes, lugentesque placidam Masanello suo requiem, beatas inter sedes precabãtur, & vt obtinerent: angelica salutationis ad Deiparã Virginem verba solemni oratione compræhensa sedulò iterabant, pro numero precatoriorũ globulorum, quos, pio ritu, in orbem aptatos, coronæ celebre nomen adeptos manibus præferebant. Excipiebatur hęc; quacũ- 328
que incedebat pompa ab alijs, atque alijs armati Populi Cohortibus, in eamdem tristitiam compositis, deferebaturque ad funebre Campani Æris sonitũ; per celebriores nobilioresque Ciuitatis vias, luminibus illustres, 329
domorum fenestris expositis, certãtibus interse,

terſe, in hac luctus imagine Ciuitatis primoribus, inter quæ Cellemaris Princeps, ad ſingulas Magnificarum ſuarum Ædium feneſtras, binas cereas maioris formæ faces ſplendere iuſſit; Prorex, verò ſupra omnes ap-
330 propinquanti cadaueri; octo nobiles pueros cereis facibus inſtructos; obuiuam miſit, per totam illud arcis areã proſequturos; in qua Prętoriani Hiſpani milites, ſtructa acie tẽdentes, tranſeunti haſtarum, Signorumque Regiorum inclinationibus, venerationis of-
331 ficia, ſummis tantummodo Ducibus debita præſtitere; indeque capto per reliquam Ciuitatem ingenti circuitu, tandem eadem pompa ad templum è quo primò elatum fuerat, tertia demum noctis hora relatum eſt, à Po-
332 pulo ferè vniuerſo, in Mercatu militariter inſtructo, exceptum quàm honorificẽtiſſimè; & ne dum haſtarum ſignorumque inclinatione cultum, ſed ad maiorem etiam ſignificandam, more militari, triſtitiam, ſulfureo illo nitrato puluere incẽſo, foraminibus igni-
333 torum tormentorum ad concipiendum primo ignem oppoſito; pręcluſo tamen aditu ad

tubum,

tubum, quod fumatam dicunt. Relato de- 334
mum in templum cadauere, ſuperque tu-
muli molem, ex temporaneo opere extructã
antea, funalibus vndique collucentem, im-
poſito, ſacer ordo parentalia magnificentiſ-
ſimè peragit, Maſanellumque ſuum ingens
illa multitudo ſuprema lamentatione cõplo-
rat. Sed nihil æquè celebrauit funus illud, 335
quam de viri ſanctitate opinio, tanta conſtã-
tia apud vniuerſam multitudinẽ, effuſa, re-
ceptaque, vt inter ſolemnia præcationum, 336
quibus, vetuſto ritu, patrocinium beatarum
mentium apud Deum alternis vocibus ſup-
plices efflagitamus (litanias vocabulo) inter
inſigniores nominatim compellatos, ſæpiùs
geminari auditum fuerit à Plebe.

Sancte Maſanelle ora pro nobis. 337

Quin, & ipſi luminibus orbati, qui ſtipem
emendicantes, ad faciliùs impetrãdã, repro-
mittere ſolent certam prꝗcationem, ad ali-
quem ex Sanctis in vulgus acceptiorem, au-
diebantur ad valuas eiuſdem templi incla-
mare.

*Orationem ſe de S. Maſanello piè recita-
turos.*

Nec frustrà certatim stipem congerente multitudine, vt propiùs multo illis conuenire possent ea, quę inter adulandum cecinit festiuus Poeta Martialis.

, *Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus*
, *Non facit ille Deos, qui rogat ille facit.*

Insito ab orbe condito mortalibus more; immortalitate eos, & quadam diuinitate donare; quos de Republica optimè meritos mors subtraxisset inuidiæ, facili de alieno liberalitate, qua ipsimet augentur largitores; nec enim ignauiam sibi homines exprobari ab ea virtute sentiunt, quam dum colunt su-
338 pra humanas vires posuere. In Neapolitano verò Populo hæc de Masanello suo ex leuissima, & fortuita occasione (vt ferè semper talia) ortum habuit persuasio. Inter ornãdum ad funus cadauer, in lecto stratum; animaduertit ex astantibus quidam destitutum esse precatorijs illis in coronam globulis, quibus in pietatis professionẽ, instrui apud eos in moribus erat: properè igitur is suam (leui iactura) ex cadaueris digitis de more suspendit. Quod conspicati viciniores, opina-

tique

tique ad attrahendam tactu ſanctimoniam, vt
ſit, non prębitam, ſed admotam coronam
fuiſſe; certatim, & ipſi, iam tacti religione
admouent ſuas, cumque ex eis aliquę, rigen-
tibus digitis implicitæ, non eadem facilitate
explicari, retrahiue poſſent, fuit quæ diceret
Maſanellum retinere, *Maſanellum vitæ red-*, 339
ditum, fidiſſimo, chariſſimoque Populo non,
defuturum.

Certé non defuere plerique, ſplendido aſ- 340
firmantes mendacio: ore iucundiſſimo Ma-
ſanellum ſibi arriſiſſe. Fortaſſe etiam credu-
los & deſiderio auidos ea ſpecies cæperat, in
incerta illa, intendentibus iam ſe tenebris,
funalium luce. Vtcumque tamen contige-
rit, haud dubium eſt, commotã animis ple-
bleculam, & geſtarum rerum admiratione
ſuſpenſam; perempti deſiderium, & gratifi-
candi ſtudium, ſanctitatis perſuaſione de-
mentaſſe.

Et hunc exitum habuit vir nullius pretij in
opulentiſſima, & nobiliſſima Ciuitate, cala-
mitate temporum, quanta voluit potentia
abuſus per octiduum. Magnæ haud dubiè

apud Posteros futurus famę, ad quos bonam etiam facilè transmisisset firmitudine animi, libertatis amore, opum, honorumue abstinentia; & vt erga Populares suos charitate, & fide præcipuus, ita aduersus consceleratos odio: (impulsu tamen quodam Naturæ veriùs, quàm vera virtute) nisi postremò biduo intemperie corporis, animique cuncta corrupisset. Omnibus certè documento futurus: nihil esse tam humile, nec adeo contemnendum, quod temporum ratio, vel rerum exigentia efficere nequeat fructuosum.

RECRV-

RECRVDESCIT SEDITIO, & in defectionem degenerat.

LIBER QVARTVS.

SVblato Masanello, & cum eo sublatis, quæ Masanellum excitauerant vectigalibus, res ad pristinam tranquillitatem restitutæ videri poterant. Quinimo regijs administris redditæ longè meliores; vt enim Vesuuij incendia, paucis retrò annis, per easdem terras vagata, ingentem quidem attulerant stragem cultoribus, ipsas autem terras cineribus suis pinguiories fœcundioresque reddidere: non secùs iactura eorũ, ad quos iura vectigalium, tributorumque pertinebãt, Dominantes non attingebat, sed vberiorem reddebat alleuatum Populum, ad nouarum indictionũ ferendas fruges, quas ex impotentia antea respuebat; sed medicinæ pars illa, quæ sectionibus constat morbos non expellit sine vulnere, quo ęgritudo semper, non rarò mors in ipsa curatione, accersitur. Hinc onus haud dubiè ademptum, cui Nea- poli-

1 2 3

politana Respublica impar erat; violentia ta-
men, & contumacia multitudinis, successère,
habenas obsequij dirumpētium, quibus
dominantis imperiũ continebatur; quo vul-
nere nullum altius vitalia penetrat admini-
strationis eius, in qua (vt definit sapiens) nõ
aliter ratio constat quam si vni reddatur. Cui
vt medelam ex præsenti rerum copia adhi-
4 beret Pròrex id, quod remanserat vitalis spi-
ritus, intra trium arcium spatia, militari prę-
sidio firmatarum; contrahit. Cætera verò,
in speciem saltem, summa vsus industria, ni-
titur retinere. Hinc, si quę aspera, licet gra-
ta tamen vulgo, decernenda erant, ipse; ad
5 imperium vsurpandum; edicebat; eorum in-
super se præbebat auctorem, quorum desi-
derio tangi Plebem intellexisset. Prioris ge-
neris fuit, post confirmatas concordię con-
ditiones, in quas cum Masanello cõuenerat;
edicere pœna capitis indicta; ne quisqua m
mentionem faceret de vlciscendis incendijs,
6 quæ meritò contigissent; Posteriorum verò:
dum fratrem, & sororium Masanelli, quos
Populus, post huius cædem, flagitasse ad

necem,

necem, pœnitentia tangebat, edicto proposito, inter venia donatos recensuit: per omnia tentans; quam compescere non poterat plebem, mulcendo, palpandoque in officio
continere; per Genuinum præcipuè ęrarij 7
Præfectum, & Arpaiam Populi Delegatum, quos plebi gratiosissimos beneficijs, & promissis oneratos, ad regias partes pellexerat. Qui, annuente Prorege; quamplura in vulgum acceptissima pariter promulgauere. Super omnia: de pane vnciarum quadraginta 8
in pondere conficiendo, ineundaque, quolibet mense, ex integro ratione: an commodè augeri vlterius posset. Nec minus grata, quæ Genuinus diligētiùs cauit; ne in tenuiorum fraudem, & dietim viuentium, panis, vinum, caseus, & suillæ carnis obsonia, nec grauiori, quam erat statutum prætio, nec in maiori quantitate; quam quotidianus posceret vsus; venderentur; Neue è Ciuitate exportari liceret; & denique dum facultatem vini vendendi locis, modis, personisque circumscriptam, promiscuū fecit cunctis, omnibusque locis, & ad libitum cuiuscunque.

Quæ vltrò concessa satis aperiebant: qua esset
9 vsurus facilitate Prorex ad ea, quæ peteren-
tur enixiùs. Inter cętera cũ impleuisset Cos-
mus, quæ iussus fuerat: de insculpendis mar-
more concordiæ legibus, atque in publicũ,
foro medio, exponendis, figendisque, agita-
re eas sermonibus vulgus cæpit, & cum, in
quamplurimis illarum capitibus; non pauca
desideraret, multa secus interpretaretur,
òmnia in suspicionem traheret; exarsit in
Cosmum, & proditum se clamans deposcit
ad supplicium. Saluti fuit exemplar autho-
graphum statim exhibitum eorum; quæ sibi
mandata fuerant; cognitum respondere ad
literam ijs, quæ marmori insculpta visebãtur.
10 Quibus tamen non acquieuit, semel cõmo-
ta Plebs, sed à facili Prorege obtinuit: vt per
speciem declarandi, plura apponerentur, ad-
renturque. Quę tamen omnia, vel ad augẽ-
dam in Ciuitate commeatus copiam, & vi-
litatem; vel ad ius exæquandum exactiùs in-
ter Populũ. & Nobilitatẽ tendebant. Sed fa-
cilitas Proregis pronior ex eo apparuit, quod
11 ex aliena iniuria Plebi permisit. Mercenarij
quidam

quidam Nasutæ plura sibi deberi stipendia à Medinio olim Prorege, causati; Genesij Sãguineti Ianuensis, qui ei fuerat à rationibus; domum adeunt, & ab eo pecuniam poscunt: renuentem, seque pecuniam à Medinio habere pernegantem; circumsistunt, clamoribus terrent, minis vrgent: & licet magna affluente, & fauente multitudine facilè possent, à vi tamen abstinent, Proregemq; confidentissimè adeunt. *In regijs Cymbis meruisse se, remo addictos, per plures menses, iussis cuiuscunque ex Proregis familia, Genesij præsertim promptos: durum, nec profectò ferendum, stipendia poscentes, tãto sudore quæsita, ad Proregem delegari, quem nisi veneratione cognoscant, iustiùs ab eodem pecuniam repræsentari, à quo iussa accepissent.* Et ita 12
bono Proregi visum, permissumque, ex supellectili Genesiana, id sibi nautas sumere, & habere, quod ad persoluenda stipendia satis esset.

His artibus conciliatis sibi, vtcunque Plebis animis Prorex ad eam magis cicurandã, 13
confidentiæ opinione, in Palatium regreditur,

tur, dimiſſaque ad ſuas quemq; domos nobilitate; omnes ad conſueta munia obeunda, tamquam reddita priſtina Ciuitatis forma;
14 hortatur. Nihilque magis cauens, quam ne nouus aliquis Maſanellus inſurgeret, admonitus audacia cuiuſdam, qui improbo tantæ rei conatu ab indignante Populo oppreſſus fuerat; pertentatis priùs Procerum Popularium animis; vt quos abhorrentes ab vniuerſa nobilitate cognouit, Dominicum Milloniū
15 quemdam, ex plebe hominem, longa militia in regijs exercitibus clarum; magiſtrum militum Populo impoſuit. Quem Populus nec recuſauit, nec accepit, ſed medius inter contumaciam, & obſequium, ſalubri temperamento, Ciuitate vniuerſa in ſex partes
16 diſtributa; ſex pariter Præfectis militaribus, quos ſummos Inſtructores vocauit; attribuit; & inter cęteros Millonio, cui regiones attributæ, quæ foro proximæ à plebeijs potiſſimū incolebantur; vt eius in armis peritia vti tutò poſſent, cuius fidem ſuſpectam habebant, quam tot copijs, in quibus ſitum erat robur partium cinxiſſent. Quamuis igitur, in tot

Præ-

Præfectos,distributo armorũ regimine; non
obtinuisset Prorex, quod instituerat, vt à
gnaro cuius sponte Præfectus esset, arma
penderent; vltrà tamen vota sua omnia, est 17
consequutus, vt ad illorum multiplicitatem,
multiplicarẽtur custodes propugnaturi eam,
super omnes, stationem, ad quam non mi-
nus ipsorum, quã Proregis intererat (oppo-
sitis licet ex causis;) ne quisquam Masanello
similis attolleretur. Hac Proregis lenitate:
equus ferocissimus non quidẽ domitus adeo,
vt frænum admitteret, sessoremque patere-
tur; profectum tamen, vt iras deponeret, & 18
palpari permitteret, non leuia præbens idẽ-
tidem docilitatis argumenta, quandoquidẽ,
& Antonium de Angelis, ex telonij Præfe-
ctis præcipuum, tentantem quædam ex abo-
litis exigere vectigalia, cuius propterea do-
mus cum suppellectili flammis, de more,
erat addicta, apud multitudinem excusauit; 19
pœnaque præcibus exemit, Hieronymumq;
de lætitia neci destinatum, sibi tamquam pu-
niendum, tradi impetrauit. Cumque in Pi- 20
stores consueto crimine sæpiùs; in militem

quemdam ex Hispanorum legione, alienis odijs, & pecunijs, homicidij manifestum, & furti aliorumque scelerum reos sequiendũ fo-
21 ret, non nisi Proregis auctoritate sæuitum. Illud nihilominus fuit in exitu funestissimi illius mensis Iulij, ex assumpta plebis audacia; patratum facinus: nulla habita ratione Proregis, vel imperij respectu; quo Ciuitas vniuersa clamoribus, incendijs, cædibusque reple-
22 ta est. Inualuerat incerto auctore, apud otiosam multitudinem rumor.

„ *Purgandam esse Ciuitatem asylis, & rapi-*
„ *narum omnium incitamentis, tollendasq; sta-*
„ *tiones illas in quibus ludi specie, seriò adeò res*
„ *agitur, vt fortunæ Ciuium (nobilium præser-*
„ *tim) penitùs disperdantur: inde alieni appeti-*
„ *tio, assequendiq; per æqua, vel iniqua flagitiosi*
„ *conatus; suffragiorum denique in interitum*
„ *fidissimi Populi venditiones; & prætia.*

23 Nec mora, vel vllum resipientiæ spatium: per vrbem discurritur, & loca illa omnia, in quibus forum aleatoriũ feruere solebat proturbant, incenduntque, exordio sumpto, sub atrio Nobilium Sersaliorum, ad Nidi curiã,

vbi

vbi etiam Andream quemdam Mangonium, obſiſtere auſum; obtruncant, vagatique per Ciuitatem: cętera omnia, nec Palatio parcẽtes, ijſdem flammis inuoluunt; tanta licentia, vt etiam pleriſque ipſorum; nimia viſa fuerit; reputantibus præſertim, palamque exprobantibus.

Eorum locorum præcipua, auctoritate pu- 24
blica niti; quæ ad auertendas fraudes, in locis abditis, ſtrui ſolitas, incautis; ea permittuntur, ſi palam fiant, quæ facta in occulto puniuntur; perſoluto etiam publico non leui improbitatis prætio in vſus plerũq; honeſtiſſimos attributo.

Quæ vbi accepit Prorex, illa animi inclinatione vſus, aliquot ex incendiarijs illis, abripi iuſſit; duobuſque ex eis in arce ſtrangulatis, expoſitiſque in publicum, reliquis ad 25
vincula nautica damnatis; palamque tranſmiſſis; in noxios animaduertit pro poteſtate. Id, quod tulit patientiſſimè Plebs, non 26
obſequij amore, ſed pœnitentia tacta: in tot innoxios ſui corporis, inconſulto impetu; ſęuiſſe; eadem lenitate, qua facinus patrauit vltorem paſſa. Licet nunquam licentiùs ob- 27
ſequium

ſequium erga dominantes exuerit; non in ijs
modò, quæ commoda vniuerſorum reſpicie-
bant ſed (pene dixerim) vniuſcuiuſque ex
eis; nullum enim genus mortalium deſpectū
28 adeò, & contemnendū in Ciuitate fuit; quod
per ſeceſſiones, ac tumultus, res ſuo nomine
nouari non ſit auſum. In quorum numerū
ſacrum clericalem ordinem nequaquam re-
cenſeo, minúſque iuuentutem illam, quæ
dabat operam literis: vtrumque ex vitæ inſti-
tuto, nunquam abſque verborum honore
nominandum. Non reticebo tamen; quan-
doquidem ad demonſtrandum animorum
omnium conſternationem, non minus va-
lent, ni fallor, tentamenta illorum à quibus
nihil iure timeri debebat, quam eorum à qui-
29 bus nihil poterat. Inſurrexit clericalis ordo
in Archiepiſcopum ſuum, & tumultuoſiùs,
quam decuiſſet pietatem, & ſanctimoniam
profeſſos, efflagitauit: ne ad ſacerdotia alij
præterquam Ciues Neapolitani aſſumeren-
tur; neue in Ciuium omnium immunitate,
ipſi ad annuam illam quinum carolenorum
penſionem, cogerentur, quæ Paſtor Bonus
appel-

appellatur; ſed vt prioribus poſtulatis, non
dubia æquitate ſubnixis, facilè ceſſit Archie- 30
piſcopus; ita poſterioribus intrepidè obſtitit,
tandem victor; cum penſio illa oleum effun-
dat lucernæ; qua micat ſplendor tantę di- 31
gnitatis.

Literarum verò cultores, iuris prudentię
præſertim, ſpretis Iulijs rogationibus, quaſi
non ad animum inſtruẽdum, informandũq;
ſed ad alienos improbos conatus coercendos;
iura dicidiſſent, coitione facta: Sacelli Pala- 32
tini Præfecto pecuniã dare renuebant, quã,
qui anteceſſerant omnes, dum de publico
auctoritatem accipiunt, profitendi Iuriſpru-
dentiam, ſueuerant elargiri. Nec fruſtrà: cũ
nihil virium in Præfecto illo eſſet, ad ius ſuũ
conſeruandum: nec Prorex, cæteriue Magi-
ſtratus contraire auderent, veriti numerum,
& robur tumultuantium; leuiorem ducen-
tes vnius hominis pecuniariam iacturam, 33
quam, quæ periculo publico, eſſet redimẽda.
Longè adhuc potiores erant ijs, quos innue-
bã ſerici textores, & qui circa idẽ ſericũ, tex-
turę aptandum, multiplici opificio locabant
operas.

operas. Quorum ſordidum miniſterium cõ-
34 temni, non ſinebat, eorumdem ingens in
Ciuitate numerus ab ſerici copia; quinimo
quò obſcuriores, eò audaciores, quaſi in te-
nebris tumultuarentur; eſſentque formido-
loſiores. Hi namque non aliter iuris æqui-
tatẽ, de more vulgi, metiri ſoliti; niſi qua-
tenùs ea priuatim ipſis proſit, officiatue;
equum putabant: nihil exportari Serici in-
fecti è Ciuitate: In ipſorum fraudem inter-
pretantes: libertatem in mercibus ad libitũ,
importandis, exportandiſque, qua maxime
35 commercia omnia lętantur, & vigent. Hęc
poſtulantes, aliaque haud abſimilia, quibus
operæ ipſorum efficerentur precioſiores,
magna, & incondita Turba, magniſque cla-
moribus, Magiſtratum circũſiſtunt. A quo
(Genuino præſertim Pręfecto, tractare ani-
mos plebis aſſueto, & apud eam magnæ au-
ctoritatis) verbis, quam molliſſimis exci-
piuntur, probatis nimirum poſtulatis, ſed
36 ad quæ aſſequenda, firmandaque opus eſſet
auctoritate Proregis, & Collateralis Senatus.
Sedatiùs igitur agerẽt, & ſuſtinerent tantiſ-

per

per, dum ad impletis muneribus, ob quæ con- ,,
ueniſſent, optata conſequerentur: vſuri Genui- ,,
no ipſo interprete, & interceſſore. ,,

Sperauerat Genuinus fore, vt impetus illi, initio acres; breui mora langueſcerent, & eorundem plures; quos idem furor conglobaſſet, prolationis tędia non ferentes; ad ſua quemque (re infecta) facilè dilapſuros. Sed 37
cõtra accidit; nam vt propiùs admotæ ſpes, eò ardentiùs exarſerant cupiditates, moraq; valuit, ad reliquos eiuſdem generis contrahendos expectatione tantæ rei, cuius rumor per vniuerſam Ciuitatem ſtatim inualuit, quos non exciuerat primus furor. Dum verò ille, dimiſſo tandem magiſtratu; moram moræ nectens excuſata horę importunitate, largèque pollicitus, à prandio ſe ad Proregẽ, eorum æquiſſima poſtulata, delaturum conſecturumque; domũ curru reuehitur, mul- 38
titudo illa, tum verborum lenocinio, tum maieſtate viri capta, priùs hæſit attonita, nec obſtitit abeunti, ſed ſatis citò ludificari ſe sẽtiens; furore cõcita eum conſequitur cogitque vel inuitum; quę ampliſſimis verbis fal-

sò promiſerat, largius, reipſa prȩſtare. In hac igitur quieſcẽtis ſeditionis imagine, quos haberet ſpiritus Neapolitanus Populus, dũ per partes, & non in communi tumultuatur ſatis aperijt, non tamen exactè adhuc ex-
39 poſitum: ante oculos erit, poſtquam imbecillioris ſexus, ętatis, & generis ſeceſſiones, minas, acies, hoſtilia, victorias expoſuero, Mulieres furere, nec illæ quidem ex honeſtioribus Populi, ſed ſortis deſpectiſſimȩ, & cùm eis longè infra muliebrem ſexum debiliores, pannoſi illi vetuli, artubus capti, Mares, fœminȩque; ſtipe vicatim emẽdicata, victitantes, vno verbo generis humani quiſquiliæ.
40 Ab nullo genere non æquè ſummum periculum eſſe, ſi cœtus, & concilia, & ſecretas conſultationes eſſe ſinas, dicebat Liuianis verbis, Cato Maior, dum Mulierum præces, & concurſationes in publicũ, pro abroganda lege Oppia coercente earum ornatus, inſectaretur, meruitque repræhẽdi à Valerio: tanquam verba magna rei augẽdæ cauſa conquiſiuiſſet. Hic verò ſimplex, ac nuda geſtorum expoſitio, omnem exæquat

quat rerum, ac verborum augmentum.

Mulieres huius generis non ferentes, pe- 41
cuniam, quam nullis sub vsuris, ex Christia-
na pietate, mutuam accipere consueuerant,
quandoque sibi deficere, ex eo fortasse, quod
pio operi Præpositi, ditiorum etiam indigē-
tiæ, copiosiùs subuenissent. Mēdicabuli ve-
rò illi, quibus à sacra Chartusianorum familia
ad Sancti Martini sub ipsa S. Ermetis arce, 42
distribui solebat certus vini, panisque modus
ex legato Ioannę olim Reginæ, malignè, &
incommodè sibi conferri consequentes.
Vtrique non intra inanes questus (vt ipsis 43
ingenitum) continere dolores suos; sed coi-
tione facta, fustibus, facibusque instructi,
vim parare. Illę aduersus piam administra-
tionem; quæ ab instituto, pietatis mons ap-
pellatur; ne scilicet vltra modicam summam,
cuiquam mutuò dare ius esset. Hi contra
Carthusianorum sacram familiā: vt largius,
commodiùsque ad Collis radices, panem, vi-
numque acciperent. Quorum postulatorū
insolentia, quæ nam absurdior esset, haud
facilè iudicatu sit, cum vtraque pariter sta-

tueret, ad sui commodum alienæ liberalita-
ti modum. Nisi forte impudentius sit: largè
sibi, quam malignè alijs, præter libita largito-
ris, prouisum velle. Vtcumque sit; animos
eis adfuisse, vires etiam superfuisse, ab inuitis
44 ea, bona ex parte consequendi, quæ postula-
uerant, exitus docuit: adeoque eneruatam
fuisse Rempublicam, vt nullus Magistratus
ausus fuerit, tantam petulantiã, vilissimorũ
capitum cohibere. Etenim Prorex ad instar
Naucleri, qui vt retineat vela, temonemque
vsque dum tempestas desæuiat; eis vti non
recusat ventorum arbitrio, non suo; cuilibet
insanientis vulgi rumori, vela dominationis
permittebat, haud dubia spe fretus; breui ad-
futuras ab Hispania vires, quibus si arces, &
45 imperium, quantumuis obnoxium alienæ li-
bidini, retinuisset, facilè dirigere ex integro
cursum ad optata littora posset. Spes auxe-
rat lætissimus ex ijsdem partibus Nuntius as-
seuerans Condęum Principem; qui cũ prę-
cipua Gallica Nobilitate, magna mole belli,
maiorique spe in Hispaniam Tarraconẽsem
incubuerat; transmissoque *Sicori* fluuio, Il-
lerdam

lerdam totis viribus oppugnauerat: defenſo-
rum virtute propulſatum, re infecta, receſ-
ſiſſe, & de redditu in Galliam cogitare. Quo 46
metu liberata Prouincia, promptiùs rebatur;
ingentem tum celſarum, tum roſtratarum 47
nauium Hiſpanicarum Claſſem ad littora illa
excubantem; ad incendium extinguendum,
quo vti iuſque Siciliæ Regnum conflagrabat,
aduolaturã. Quò igitur propior erat ſpes ad-
uenientis auxilij, eò ęquiore animo ferebat
hæc omnia Prorex; & cum circa mediũ
Augusti Menſis, recurriſſet anniuerſarius
dies, quo Genitricem ſuam Deus immorta- 48
litate donatam ſupra beatas mentes omnes,
in Cælos aſſumpſit; magna ſemper à Neapo-
litano Populo cultus religione; inuitatus ab
eo Prorex ad cohoneſtãdam interuentu ſuo,
ad Carminis celebritatem illam, non recuſa- 49
uit; ſed totus ad ſecuritatem compoſitus, hi-
lari fronte, & quam leniſſimis verbis, ſacram
illam ędẽ Populò frequentiſſimã adijt: ſiſtere 50
etiam iuſſa, quam prius diſſimulanter ſubſe-
qui voluerat, cohorte lectiſſima veteranorũ,
qui omnes ordines duxiſſent; lęto ad ſpecta-

culum

culum Populo, tamquam de Hiſpanico faſtu,
51 triumphante, quem ad popularitatem rede-
giſſet. Numquam tamen cicuratus adeò, vt
arma exueret; quinimò, cum ijs ipſis diebus
52 inſtitutum fuiſſet, auctore Andrea Politio,
cui ex ſordido miniſterio calcis coquendæ
quæſtus, vt bini, terniue Centuriones, cum
ſuis quiſque cohortibus popularium, explica-
rent militariter ordines, per Ciuitatem, in-
ſtructique, quàm ſplendidiſſimis armis ad ar-
cis Caſtri Noui vſque vagarentur. Conti-
nuatum id fuit, tanto apparatu, tantoque
53 faſtù; vt ad ſui iniuriã interpretarentur vul-
gus; ni Prorex, illis aduentantibus, ſtatim
aſſurrexiſſet, & miſſis omnibus, è feneſtra
ſpectator, mutua ſalutantium officia aperto
54 capite; non rependiſſet. Quo genere militũ,
haud quaquam contemnendo promiſcuè, ſi-
mul cum ſtipendiario, ad oſtendendam cõ-
fidentiam, vtebatur Prorex in expeditioni-
bus contra tumultuantes Regnicolas; eos ni-
mirum contra quos commodè poterat, non
agitatos ſcilicet partiũ ſtudijs. Neque enim,
eiſdem tantũmodo ſtimulis Neapolitani Po-
puli,

puli, ad abolenda vectigalia agebãtur Regni-
colæ; sed plures prædarum spe, omnes odio 55
dominantium, à quibus infra seruilem mo-
dum premi conquerebantur, erant in armis,
& infanda tamquam æstro perciti per regnũ
vniuersum tentabant; quæ omnia fusiùs re-
ferre, vt longum esset, non minus erat im- 56
possibile Proregi, annuente quantumuis Po-
pulo, prohibere. Sexus, ętas, & Nobilitas 57
facit; ne silentio inuoluatur præsentissimum
periculum Vxoris, & filiorum Principis Ot-
tayani, Medicęi generis, Leonis eiusdem no-
minis Vndecimi Summi Pontificis prone-
potis ex fratre, quos in arce eiusdem Oppidi
Populus obsessos flammis, vel fame erat de-
leturus; ni, satis in tempore, ab Roma Nea-
polim redux, Princeps impetrasset à Prore-
ge, & Populo subsidia militum, quibus, pu-
nitis perduellibus, familiam vniuersam ab im- 58
minenti exitio liberauit. Nec minori neces-
sitate, aut fructu Prorex militarem manum
immisit contra Arensanum, Matalonam, &
Casertam cõtermina oppida; pariter tumul- 59
tuantia, pro vt priùs immiserat mixtim po-
pula-

pulares, & ſtipendiarios; contra Carnio-
lam, ditionis Duciſſæ Mondragoniæ Oppi-
dum; in quo vectigalium conductor qui-
dam, pluribus ſtipatus exulibus, alijſque
nefarijs eiuſdem generis hominibus; ſueta
tentabat exigere vectigalia. Quo in mu-
nere concordes adeò inter ſe fuere popula-
res, & Regij milites, vt poſt punitos quietis
turbatores illos, per plures, ac plures dies,
60 ibidem ſtatiua habuerint otioſi, detẽti vber-
tate loci. Quę mora, magno ſanè periculo
ſtetit ipſi Proregi, in anguſtijs mox recenſẽ-
61 dis, conſtituto, qui firmiſſima illa veterano-
rum manu; in qua etiam, duę turmæ fortiſ-
ſimorum equitum cenſebantur, tunc ſe de-
ſtitutum cognouit, dum ad rerum pericli-
tantium tutelam, ſi vnquam aliàs, eis opus
62 habebat. Sed odia Regnicolarum erga domi-
nantes Dynaſtas efferueſcebant adeò vę po-
puli plures cum coniugibus; & liberis Nea-
polim populariter confluentes, Proregem
adirent, magniſque clamoribus efflagitarent
ſe ab impotẽti illorum dominatu eximi; ob-
nunciantes: ſe illorum tyrannidem, vel cũ
for-

fortunarum omnium, vitæque discrimine;
diutiùs non laturos: obtestarenturque, si in
ditionem omninò Regiam reciperentur, fi-
dei se, & Subiectionis obsequia omnia prõp-
tissimè prestaturos. Quibus postulatis; cũ 63
nec reijcere ea; tutum, ob Populi furorem,
nec admittere securũ, verecundia erga No-
bilitatem, augebantur curæ Proregis; non
parùm etiam soliciti, ne tanta exterorum
multitudo, iunctis cum plebe Neapolitana
odijs erga Nobilitatem; nouas ederet turbas:
salutare visum in aliud tempus differre, illo
proposito in exitu mensis Iulij edicto.

Postulata populorum per certos homines, 64
certis instructos mandatis, cum quibus con-
sultiùs, firmiùsque transigi posset; differenda.

Quo salubri consilio lenitæ quidem in 65
præsens Proregis curæ, sed non dilatum in-
fortunium; quod peperit pluribus idem odiũ,
sed varia partium fortuna. Ducem sanè Cam-
meratæ, de Gente Marchisia, plurium exu-
lum satelitio ferocem, circumuenientes po-
pulares sui: cæsis exulibus, quorum capita
recisa Neapolim ostentui detulere; Ducem

66 ipſum captiuum abduxere. Ex aduerſo Dux Andriæ in caſtro obſeſſus à ſuis; cum ad conſpectum ſuum admiſiſſet ex tumultuantibus aliquot: eorum illicò arrogantiam, ſimul cũ gutture fregit, proiectiſque in publicum cadaueribus; cæteros docuit, illorum ſupplicio,
67 modeſtiùs agere. Sed ſupra omnes generoſiſſimè Conuerſani Comes, qui ad domandã
68 cõtumaciam Oppidi ſuæ ditionis in Prouincia Hydruntina, Nardò nomine, quod portas clauſerat: delectu amicorum, & militariũ virorum per Prouinciam habito, aperto marte, oppugnauit, & quamuis repugnans ſuis, & Achiaiæ Principis viribus, qui oppidum intrauerat ob veteres ſimultates, quæ illi cũ Comite intercedebant; tandem poſt pluriũ
69 dierum oppugnationem, in poteſtatem cõditionibus redegit; quibus (ſublatis vectigalibus cæteris) retenta fuerunt ea, quæ Comiti pendebantur. Denique non omittam inter eos; quos obiter recenſui caſum, commi-
70 ſeratione digniſſimũ Franciſci Antonij Muſcetulæ Senatoris, qui dum Meliti ſuæ ditionis Pago, non longè à Ciuitate ſito rationes

poſcit

poſcit, fortaſſe duriùs, quã tempora permitterent ab vectigalium præteritorum exactore, in vulgus ſpargitur (huius dolo, an omniũ errore incertũ) eũ vectigalia exacturũ Melitum adueniſſe. Hinc ſubitò, tamquam re comperta; plures Neapolim aduolant, & Pa- 71
tronum ad Populum quam tumultuoſiſſimè accuſant, crimine apud illos homines omniũ atrociſſimo. Nec mora, eodem temporis articulo recepta accuſatio; condemnatus, antequam factus reus, faceſque (pæna iamdiù tot incendijs ſancita) ædibus ſubductę. Nec his flammis ſatiati Melitani, pluribus in ſo- 72
cietatem aſſumptis è Populo; Melitum redeunt, ibique pariter fortunas, & famam innoxij Senatoris, eodem inuoluunt incendio. In hoc tamen rerum Neapolitanarum ęſtu poſt humatum Maſanellum; quo ne ſtatione excuteretur Prorex, curſum dirigere ad libita Plebis adigebatur, cupiditatibuſque, quibus propalam obuiam ire, intutum, obſecũdando, mollire impetum ſatagebat; magna ſemper fuit in Populo illo fidei erga regem 73
oſtentatio: &, exuto licet obſequio, erga

Hiſpanos omnes reuerentia.

Quę inconditis, ne dũ identidem clamoribus, appellatiſq; ſubindé blãdiſſimè Hiſpanis,
74 & dicatis vicatim Regi imaginibus; iactabant ad faſtidium vſque, ſed conteſtatis experimẽtis comprobauere. Illuſtre illud, inter cætera,
75 ra, quod pœna Andreę Paulucij celeberrimũ per eoſdem dies in ore vulgi fuit. Is leuitatę ingenij potiùs, quam pietate ductus; in ſacrã Clericorum Regulariũ familiam, nomen dederat olim; ſed vt infælices herbę, quæ nolente cultore irrepunt inter ſalubres, noxia latiùs ſpargunt folia, humoreſque ad ſuaues tantummodò gigendos ſuccos deſtinatos; ad ſe copioſiùs attrahũt, & in amãtiſſimos vertunt: non ſecùs infœlix hic Paulucius, ſanctiſſimis inſtitutis abuſus, profecit in ſcelera. Quæ diù concocta, vbi patuere, adoleuerãt adeò, vt domeſticam omnem reſpuerent diſciplinam. Hinc deſertor, & profugus inter quiſquilias Romanæ Vrbis; ad quam (ſpecie remedij) omnia confluunt vlceroſa, deliteſcebat: dum auditis Patriæ calamitatibus; ſpes hominẽ cæpit, tranquillo merſum, inter tur-

barum

barum fluctus, facilè sustolli posse; & cum iuter cætera vanissimi ingenij deliramenta altiùs, iamdiù, imbibitum haberet, Andegauensis factionis furorē (de quo memini aliqua me primo libro commemorasse) gnarus habere se, vtriusque ordinis plures eiusdem furoris in Ciuitate socios, cum quibus sacri ordinis munimine tutus, de partibus stabiliēdis confidentiùs sermones miscuisset; consilium cæpit audax, temerarium, & ni oppressum in tempore fuisset periculi plenum: trahendi popularium studia ad dominatū Gallorum. 76 Quos occasioni non defuturos pro certo habebat, tum ex antiqua gentis æmulatione; cū, & multò maximè, recenti odio, tot belli cladibus diù exercito, & nondū satiato. Adit igitur, magnitudine consilij tumidus, Gallicum in Romana Aula Oratorē; mentem aperit, consilia distinguit, operam pollicetur, & pluribus falsis; non pauca vera immiscendo; spem facit: Neapolitanum Populum, Hispanorum dominatum pertæsū; 77 quorum obsequium iàm planè exuisset: si consilio res iuuetur, in Gallicum Imperium,

sua

sua sponte, facilè consensurum. Introspexit statim Fontanęus Marchio, qui, rebus administrandis, magnam sibi prudentiæ vim comparauerat (propterea lectus, qui Gallici Regis auctoritatē in Romana aula, sedente Innocentio Pontifice, fatiscentem, consilio stabiliret) quantæ molis esset, nec viriū vnius impij, ac desertoris; tantam rem conficere.

78 Sed qui ad primū tumultus Neapolitani rumorē de re tota per dispositos cursores: Tutores regios diligētissimè reddiderat certiores: dum certiora expectat Parisijs mandata, occasioni intentus, in eo totus erat; vt ex inimicorum incommodis; quanta posset cōmoda in rem Gallicam deriuaret: loquentē propterea non aspernatus, officiosissimè excipit, laudat studiū, consilium extollit, ingētibus etiam promissis onerat.

79 , *Decus, nomenque regium, ni fortibus cæp-*
, tis fortuna desit apud Gallos futura; apud
, Neapolitanos verò, eos præcipuè, qui vindicā-
, dæ ab impotenti dominatu Patriæ auctores ex-
, titissent: opulentissimi Regni opes, honoresque
, omnes præmium fore. Nec de successu dubi-
tandum,

tandum, cum Hispani iamdiù amorem omnem, venerationemque apud Neapolitanos cōsumpsissent; arma verò infirma adeò haberent, vt ipse Prorex in arce clausus: vix precibus, & obsequijs vitam ab victore Populo tueretur. Quæ tamen arma si intentiori cura mouenda forent; quis Gallia moratura putet diutiùs, in vestibulo penè illius Regni excubantia? Quis cum eis Hispanica conferat totiès, tot locis vel fracta vel contusa?

His, alijsque pluribus, in eamdē sententiā, dictis, in scelus, iam per se ruentē; pręcipitem egit Gallus Orator; eo consilio ductus: quolibet leui impulsu res Neapolitanas, in ancipiti positas, eò facilè deduci posse, vndè difficilior receptus esset. Si enim, inuocato semel Gallorum nomine, de venia desperare seriò cæpissent Neapolitani; in eas coniecturi erant Hispanos difficultates, tot iam impares bellis; vt ab eis explicari nulla ratione possent; opportunitatesq: haud dubiè patefacturi quantas vellet Regi, ac Dominio suo; vel ad auitum Regnum suo tempore repetendum: vel ad Regem Æmulum adigen- 80

gendum, eas quas collibuisset, accipere pa-
81 cis conditiones. At Paulucius, quò promis-
sis inflatior, eò elatior confidentia; ædifica-
„re per aera, & inanissimè iactare: *Victrici-*
„*bus armis uteretur Christianissimus Rex in*
„*Germania, in Belgio, in Hispania, prout hac-*
„*tenus fælicissimè usus esset; apud Neapolita-*
„*nos satis armorum esse; sola auspicia Gallica*
„*suffectura, se præsertim præmouente: quem,*
„*ubi primum concionantem audierint concives*
„*sui, eadem prædicantem, quæ olim secū una-*
„*nimes contulissent: haud verendum; ne liberi,*
„*& armati ea velint, quæ inermes, duraque*
„*pressi seruitute, auidissimè concupissent.*

82 Explicare exinde cæpit cum Oratore cō-
silia: inter quæ primum illud fuit: plures
vtriusq; ordinis Neapolitanos Proceres, quos
prætētatos olim sermonibus, pronos in par-
tes proditor senserat sibi sociare, & in par-
tem curarum assumere, opportunissimum
propterea visum: diuidere inter ignaros di-
gnitates plures, pluraque munia tum Ciui-
lia, tum militaria, longeq; plura polliceri;
eaque omnia auctoritate Gallica stabilire, fa-
cili,

cili, & iniuriosa liberalitate Oratoris; qui & ex alieno largiretur, & nihil quęreret pręter turbas; quas in rem Gallicam tracturus desertor multiplici ad corrumpendos Nea- 83
politanorum animos ab Oratore instructus diplomate, Roma tandem discessit, ijs postremò mandatis instructus.

Classem ab Hispania, repetitis sepiùs nun- 84
tijs, accersitam inque celeri illius ad Italiæ littora appulsu, incolumitatem rerum repositam, omnium vocibus decantari. Nec, herclè, ad pactam veniam, libertatemque aduehendam tanto opus esse portitore, quem vltio sola exposceret vix suffectura. Ne igitur, læta præsentiũ rerũ specie, paterentur se decipi Neapolitani, qui quò leniorẽ sentiunt inermem Proregem, eò asperiorẽ armatũ profectò essent experturi. Admissorũ omniũ veniam: dominationis leges, in quas iurauerat Philippus ipse sanctas fore; Margherita soror, Regis nomine, sæpiùs ostẽtabat Belgis, ad libertatem erectis iniuria: lanienam virorum Principum, per vniuersam Prouinciam; repræsentauit Albanus; violatisque legibus omnibus, vicesimam, decimam-

„que oppressis superindixit. Qui sperare possit „Populus Neapolitanus, à sua nobilitate seiun„ctus, erratorum veniam, & onerum leuamen „à semetipso impositorum; quæ vix excusari, ne „dum defendi coram æquo Iudice possent.

85 Dum verò perniciē illaturus impius machinator, in exitu mensis Iulij, Neapolim ingreditur turgidus dolis, ijsque elatior ad Tartara deijcitur; & quam parauerat alijs patitur ipse calamitatem: statim à dispositis iam-
86 diù, ad id ipsum hominibus captus, obuolutoque capite ad Proregem in arcem ductus; vbi non secùs ac sulphurei pulueris cuniculi, anceps in hostes meditamentum; qui vbi cōceptas flammas aliò, quàm quo destinatum fuerat, euomunt, perniciem afferunt ag-
87 gressoribus: miser Paulucius, ex ipsis Gallicis diplomatibus, penes ipsum repertis, reus manifestus; nefarij conatus, debitas pœnas dedit. Solertię id debetur Comitis ob Ognate, Hispani apud Pontificem Oratoris; qui suspectos habens frequentes, & occultos Desertoris cum Gallico Oratore cōgressus, quos per exploratores (quibus in Romana aula

plena

plena ſunt omnia)cognouerat; per ſummã diſſimulationem; illum diligentiſſimè obſeruari iuſſerat, potueratque de omnibus Proregem, ne dum reddere certiorem; ſed hominis effigiem ipſam, pictura expreſſam, ad 88
eum ſimul tranſmittere, cuius inditio faciliùs, promptiùſque, & antequam virus conceptum ſpargere cæpiſſet (vt oportuerat) captus, factuſque eſt reus. Qui cingulo clericali ritè ſolutus, & è militia expunctus eccleſiaſtica in arcis area, paucis à captura diebus, capite plexus fuit, vniuerſa ad ſpectacu- 89
lum confluente multitudine. Apud quam cum acceptiſſimus aliàs eſſet reus; & notiſſima ſupplicij cauſa: nullus extitit in tanta rerum omnium licentia, qui miſeratione captus pro illo deprecari auſus ſit; ſed inter to- 90
tius Populi deteſtationes; qui identidem regio acclamabant nomini, vita indigniſſima exueretur; vt nullum validiùs in tanta rerum conſternatione Populus Neapolitanus conſtantiſſimę, erga Regem, fidei edere potuerit documentum.

Has ſolas retuli, nefarij hominis, infęlicis

exitus causas, non nescius (vt fœcunda sunt sceleribus perditorum ingenia) alias superfuisse, quibus ante quascunque Populi turbas, ad amoliendum è Regno Neapolitano Hispanorum Imperium, perfidus machinator inuoluebat se, cum plerisque; à quibus recensendis, (argumento nõ exigente meo) ea remouet ratio; quod benè morati scriptoris esse non ducam, ea quęrere extra argumentum diuerticula, excipienda licet à lectoribus auidissimè, quibus illustrium Virorum fama lædatur. Cui quidem erga Regem fidei (vt inde redeat, à quo deflexit oratio)
91 comes aderat, vt ferè semper, erga Deum religio, quas rarò seiũctas alterius semper ruina, alteram trahit. Vt tandem intelligant: & qui nituntur dominatione, nullum ad eã tuendam firmius propugnaculum cultu religionis: & qui religioni præsunt, nihil validiùs ad eam conseruandam, debito erga dominantes obsequio; vt reiectis longiùs controuersiarum omnium causis, alter in alterius commoda, non secùs ac in sua, enixiùs adlaborent. Sanè illis ipsis diebus Neapolitanus

nus Populus non leuè edidit pietatis, & reli- 92
gionis documentum, & ad retinendum, ce-
lebrandumque Sanctorum apud Deum pro
Christi fidelibus patrocinium, quod hæreti-
ca impietas, in sui perniciem ingeniosa, stul-
tè deridet. Cum pluribus retrò annis Ve-
suuius, in præsagium fortè futurarum cala-
mitatum; ingentem eructasset, de more,
flammarũ vim: quibus per proximos agros,
& circumiacentia loca effusis, magnam ho-
minum, pecorumque ediderat stragẽ. In ea,
casu, perijt è plebe Neapolitana quidam, vxo-
re superstite duobus cum filijs mare, fœmi-
naque; sed ad totius familię excidium, simul
& fratre: qui patrimonio demortui inhians,
ad quod, non nisi vniuersa deleta familia,
deuenire poterat; & ad spargendam inter tot
capita necem interualla temporum exigerẽ-
tur: placuit ab imbecilliori sexu incipere, vxo-
re scilicet, & filia tanquam eodem infortu-
nio peremptis, atrocitate tamen sceleris ter- 93
ritus, seu tardior factus, eas interficere non
sustinuit, sed in cryptam ad cloacæ, seu aliũ
vsum, sub ipsius domo altè depressam, vtrã-

que

que demiſit, & in ea nullis vinculis conſtrictas, nullo mortalium commercio, nullo vitæ vſu, in ſqualore, & tenebris; vili fortuitoque proiecto quaſi ad canes, cibo, per totos ſexdecim annos ſuſtentauit, ſeu veriùs in pœnam aluit. Quando reliqua ſoboles; in quem patruus, vel ſæuire auſus non fuerat, vel ſuperfluum duxerat, notariatus munere pręditus, quo fretus ei facile de patrimonio imponere poſſet; quæſtionem mouet de patris hæreditate: ea occaſione, qua ad clericale cingulum obtinendum, ſtabiliendum ſibi erat lege patrimonium. Et cum reliquis præſidijs omnibus quibus ius ſuum proſequi poſſet coram Iudice deſtitueretur, à patruo ſubtractis, ad lacrymas, quæſtuſq; conuerſus, aduerſam fortunam lamentabatur, eo fortè in loco, ex quo quærulę voces in
94 cryptam penetrare poſſent: Quibus à matre, ſororeque exceptis redditiſque, patuere tandem inſidiæ; extractiſque mulieribus (adulta iam filia) macie, & ſqualore deformibus; membriſque in ferarum modum pilis horrentibus; nihilq; hominis, præter vo-

cem,

cem; præſeferentibus, vniuerſus ad ſpectaculum confluxit illicò Populus: & cum interrogarentur, quo fomento, qua ſpe miſeram per tot annos ſuſtentaſſent vitam; reddidit ſenior à S. Onufrio, cuius patrocinio 95
apud Deum vti ſoleret, ſuſtentatã ſe S. Onufrium Deo acceptiſſimũ ſæpiùs ſe inuiſiſſe in tenebris illis, iuſſiſſeq; : bono animo eſſe, nec ſemel prædixiſſe aliquando fore, vt Cœlo, vitæ, libertati, fortunis redderetur, pro vt iam reddita, grates redderet, numquam tamen pro merito exſolutura.

S. Onufrium, in ſolitudine ſanctitatem pro- » 96
meritum, ſibi filiæque in ſolitudine adfuiſſe, »
nullius propterea patrocinio magis fidendum; »
quam eius, qui; ne in ſolitudine quidem, ſolos »
deſerit. »

Quæ verba ab ea prolata, quæ promiſſo, 97
fuſoque per membra capillo; Sancti Solitarij ſpeciem, in ſacris tabulis pingi ſolitam, referebat: motos iam religione ad nouum ſpectaculum multitudinis animos, impulit; vt ſancti nomen multis vocibus celebrarent, venerarenturque, & ad dicatam illi Eccleſiã,

ritè

ritè colendum, populariter illicò pergerent; quam tamen clausam & aedituis quibuscunq; desertam offendunt. Contigerat id pluribus retrò annis, dissidentibus inter se Ecclesiasti-
98 ca, & Politica potestate, circa pij muneris administrationem Ecclesiae illi adnexam; quo munere, inopes, debilesque senes, in postremo illo vitae actu, christiana pietate alebantur fouebanturque. Sed cur religio humanis pectoribus naturà indita; & dum floruit apud Hebraeos, & dum apud Graecos, Romanosque, aliasque gentes florere est visa semper à Politica potestate culta, ornataque: hanc verò, vt tueretur, & extenderet omni semper studio, nixa est vbique religio, nec vmquã inter hęc duo humanę societatis stabilimenta, retroactis temporibus emerserit vlla dissensio. In Christiana verò Republica in qua ne dum floret Religio; sed quibuscũq; remotis velamentis piè colitur vnus, & trinus Deus, quo in cultu, ex diuina manifestatione errare nõ possumus; nihil frequentiùs, perniciosius nihil inter has potestates, dissidio. Vbi nam erynnis haec terra aditum sibi

aperuit,

vide fol. 684.

aperuit, vt res ſanctas adeò, & inuicem tenaciſſimè colligatas diſſociaret, & quas Deus ipſe ita inſtituerat, vt altera alterius præſidio robuſtior ſemper eſſet, ac validior in mutuã non raró acueret perniciem?

Quem modum, ſi vtriuſq; poteſtatis Prę-
ſides Neapolitani ſeruaſſent (vt ibi redeat
vnde diſceſſit oratio), quam S. Onufrio dica-
tam ædem clauſam offendit, cultam, aptã-
que; ad peragendas grates Populus habuiſſet: 99
qui officio illo pietatis prohibitus, indignita-
te rei efferueſcens, renouato impetu, nume-
ro auctus palatium inuolat, & à Prorege
ſibi exhiberi flagitat ſacras ędes ad cultum.
Nec vlla in Prorege mora; quin demerendę
Plebi intentus, palam profeſſus, per ſe non
ſtare ad Cardinalem amandat, eidemq; con- 100
trouerſiam omnem remittit, pro illius arbi-
trio conſtituendam; qui lætus oblatis, tan-
tiſper hæſit, dum ſecum tacitus deliberat: an
Romę, quo controuerſia olim, de more, de-
uoluta fuerat, pręter obſequium Principi de-
bitum, interpretari poſſet, quæcunq; licet
in rem poteſtatis Eccleſiaſticæ, Neapoli facta

Nouatio. Illud enim praecipuum exitiale habent, etiam hæ controuersiæ; vt ad eas excitandas quilibet homuncio, & ex humilioribus administris sufficiat: excitatas verò cõponere soli, plerumque valeant supremi Rectores, quorum multiplicibus curis, has, nõ raro, leuiores cedere necesse est; vt cessisset diutiùs Onufriana hęc, vltrà quindecim annos indecisa, ni Populus Neapolitanus obstitisset: cuius clamoribus minitantis, fores se Ecclesiæ illius, ni panderetur effracturũ:
101 victus Cardinalis; seu victum simulans; postulatis assensit: facilè imputaturus furentis populi contumaciæ; si hoc, quasi contra obsequium Ecclesiæ Romanę debitũ deliquisset; crimini sibi daretur, missisque illicò idoneis administris ędem sacram purgari, aras instrui, ornariq; iussit; dieq; insequenti adapertis foribus, pristino splendori restitutam; ad illum augendum, ipse, sacris magnificẽtissimè operatus, pietati confluẽtis, & exul-
102 tantis Populi exhibuit. Nec defuit Prorex; qui, magno Procerum, & nobilitatis comitatu; sacris illis, inuitatus, interfuit, magnaq;
in

in vulgus comitate celebritatem illam coho-
nestauit. Hi alijq; haud absimiles, pietatis
fulgores, inter sæuientis seditionis turbines,
quandoq; emicantes, promittere potuissent
tranquillitatem, pietati ingenitam, ni vulgus 103
in ipsa professione pietatis, retinens eiusdem
consternationis, docuisset, falsò ex gestis
mentem æstimari, præoccupatam, suamq;
moribus hominum naturam inesse, quibus
plerumq; debeantur quamplura, immeritò;
tributa consilio. Quod manifestiùs apparuit, 104
dum, magna religione; frequētat, celebratq;
festum diem S. Antonio Patauino sacrū: quo
die, pia Franciscanorum familia, productam
Sanctissimi Alumni, ex argento fusili, insi-
gnem imaginē; per nobiliora Ciuitatis loca,
lōgo ordine, multipliciq; ardentium funaliū,
sacrarumq; vestium ornatu; ad Principem
Ecclesiam delatam, in Cella S. Ianuarij, à di- 105
uitijs Thesaurum appellatam; sacrabat. Cū,
enim, inter sacros cellæ illius custodes, no-
biles, plebeiosq: controuersia incidisset, de
recipiēdo donario (huiuscemodi munus ad
se solos trahentibus, ex more, Nobilibus)

106 non tulit Populus; nec satis habuit litem, sui corporis clericis adiudicasse; sed eodem furore, inter sacra, vsus, quo circa Reip. administrationẽ erat imbutus: nobiles omnes à speciosa illa curatione, dimouit, cellaq; expulit, & hanc inuadens, donaria quæcunq;, insignijs Ciuitatis distincta, impressa eisdem in-
107 signijs elementari litera P. vni sibi, per summam iniuriam, attribuit. Tantum abfuit à pietate illa, quam comitatur tranquillitas, & Iustitia. Sed in publica lętitia, quam memorabam, illud priuatim lugubre contigit, non
108 prætereundum: cum, captandæ vndiq; Plebis auræ, ansam præbuerit Proregi, qui ei vela omnia, iamdiù, in omnem occasionem explicuisset. Dum enim pompa illa, per areã Palatio proximam duceretur, Prætorianiq; milites prætereuntem imaginem, scloporum explosione, de more, venerarentur; ex ijs vnus, non exerta per imprudentiam ex fi-
109 stula plumbea glande, Iurisperitum quemdã é fenestra domus suæ, è regione Palatij sitæ, prospectantem traiecit; collabentemq; inter vxoris brachia, perẽptum, conspicata multitudo;

titudo; ſubito in Prætorianos exarſit, nec
ſe continuiſſet à vi; ni Prorex, ſubitò agnitũ,
captumq; noxium duci iuſſiſſet: nec ipſa in- 110
terempti vidua (vt proni ſunt, & remiſſi ad
miſerationem Mulierum animi, ni cupidine
intendantur) valuit, exemplo, vel lacrymis, 111
obfirmatũ dimouere à tanta ſeueritate Pro-
regis animum: qui totus erat in eo, vt, vſq;
in claſſis ab Hiſpania aduentum, iras Populi
deliniret, mox armis cohibendas. Quod in-
fœlix conſilium, vt falſum, ita fallaxq; fuit, vt-
pote leuitati Plebis innixũ; quæ quò blandiùs
habita, eò acriùs exarſit, tantaque ſe aduer- 112
ſus dolos muniuerat ſuſpicione, vt ibi fraudẽ
interpretata, vnde quam longiſſimè aberat;
turbare omnia ex integro cæperit; motis ne-
dum populariter armis; ſed induto inſuper in
Hiſpanos omnes, hactenus cultos, animo
pluſquam hoſtili. Cenamius fuit, qui cauſã 113
noui præbuit motus, licet imprudens, & in-
noxius (ni noxam in vaſta hominis ambitio-
ne coarguas) imparem certè atrocitati pœ-
nę, quam mox furenti populo dedit Neapo-
litanorum omnium calamitoſiſſimus. Con-

tra-

tradixerat absurdis postulatis Opificum Sericanorum Cenamius, quæ pauló ante cõmemorabam, causamq; mercatorum, contranitentium, iure meliorem, salubriorem exẽplo, egregiè tutatus fuerat; nec cessisset, ni ex illis vnus, qui incendio suppellectilium multatus, legibus initæ inter Populum, &
114 Proregem Concordiæ, reiectus à iure dicẽdæ sententię, in causa popularium fuisset. Reiectio hæc elatissimum Cenamij animũ vulnerauit, altiùs exemplo, quàm re: nam, prudens futurorum, facilè intelligebat, quò difficilior futura erat Gens, dominationis anxia, eas leges concordiæ in pace seruare, quas in diminutionem Regiæ potestatis seditio extorsisset, eò faciliorem ad eas fore (quantumuis duras) quæ, non nisi ad asse-
115 renda, siue infringẽda singulorum commoda; conuenissent; sub speciem retinendæ publicæ fidei, quam re negligere dominationi expediuisset. Componit igitur ad Proregẽ supplicem libellum, Populi Neapolitani nomine, quò testatum legebatur: Cenamum Præsidem, passum illum, quidem, fuisse, cũ plu-

pluribus incendia illa; non autem ob infamiã gestæ per eum publicæ administrationis, vt cęteri; sed paucorum inimicorum iniuria, 116
qui propterea ad supplicium deposcebantur: libellumque manu Genuini ante omnes subsignatum, circũmittebat ad plures, ex mercatoribus præcipuè illis, recenti beneficio sibi obnoxios, pariter subsignandum: haud dubia spe fretus; si separasset suam à turba illa causam, facilè gratia, qua pollebat apud Proregem, aulęq; Proceres, obtenturum: eximi se à numero exauctoratorum; processitque consilium, vsque dum latuit, arripientes auidi singuli occasionem, tam leui negotio demerendi gratiam hominis potentissimi. Sed vbi quæritur in numero robur, ibidem, vt semper, fit iactura secreti. Dum enim Marcus de Apreia, holoserici mercator; in societate Iosephi cuiusdam Valeriani, Centurionem viciniæ ad veterem monetariam Officinã Oratium Rosettum de subsi- 117
gnatione appellat; Is, perlecto libello, pro responsione, alta voce: proditionem inclamat; & quasi œstro percitus, corripit arma,

&

&ad ea corripiẽda geminatis clamoribus omnes inuitat. Mirùm visù, difficiliùs creditu, narratu impossibile: quo consensu, qua celeritate, quo impetu ad illas voces vndiq; per-
118 strepentes (re penitus inexplorata) correpta sint arma, explicatisque vexillis mixto vocũ, ac tympanorum strepitu ad Palatium ab vniuersa Ciuitate hostiliter conuersum sit: frustrà exclamante è fenestris Prorege: integra omnia; queritanteque sollicitè: ecquid sibi vellent, promptumq; se, paratũque ad om-
119 nium libita perhibentem. Satis constat in totius Populi consternatione tanta, vetulam quamdam, primam ausam; lapidibus impetere præsidium Germanorum militum, ad fores palatini equorum stabuli, excubantiũ propè fontem. Et satis fuit, semel cęptum,
120 vt frequens inde lapidatio, in præsidianos omnes vndique ingrueret. Tulit initio inter pudorem, & contemptum positus miles, insultantis vulgi petulantiã, sed cum periculum iam, ex frequentia nimia; immineret, à Prorege monitus in confertã vndiq; multitudinẽ
121 explosionẽ fecit, sed innoxiã; demptis, nimirum;

mirum, ex fiſtula plumbeis glandibus; ad incutiendum tamen terrorem, remouendāq; moleſtiam illam accõmodatam. Sed non tātùm profectum, amota cum imbelli turba contumelia; quàm longè maius cum armato & ſub ſignis inſtructo Populo, accerſitum periculũ ſit. Cauſati namque ex illa explo- 122
ſione, quam hoſtilem in promiſcuam totius Populi perniciem, factam; credi volebant illi, qui tamquam aues aufugerant, & cupiebant cæteri licentia ſoluti, & rerũ nouarum auidi, per ſpeciem vlciſcendæ iniuriæ, quam intuliſſent, minarum pleni; ferebantur; nec .n. 123
vetulæ, puerique, ſed ipſa tumultuantium capita, prēter Oratiũ, de quo paulò ante; Andreas Politus, Honufrius Caſerius, Saluator Baronus, alijq; militãtes Populi Ductores; aderãt: ſecũ ſub ſignis trahẽtes ex mercatu, cæteriſq; frequẽtioribus Ciuitatis regionibus, eam plebis partẽ, quę quo rerum ſuarum ſecurior, cui nullæ eſsẽt, eò in publicas ſolutior, quarũ nulla cura, cũcta vi, ac terrore replebãt; occu- 124
patiſq; & inſeſſis, circa Palatiũ, & arcis areã munitioribus locis, ſacris præcipuè Sanctæ

Mariæ ad Angelos (deiecto deinde pręſidio
legionarij militis Proſperi Tutauillæ) Sanctę
Crucis, Sancti Aloyſij, domibuſque inter-
medijs; firmatiſque, manu primũ, & exin-
de munitioribus viarum capitibus, ad aream
illam tendentibus; inde, frequenti velitatio-
125 ne; præſidiarios omnes laceſſebant, non ſu-
ſtinentes quidem eos militariter erumpen-
tes; ſed refugi: ſecurius, ex tuto, in plurium
perniciem eiaculantes. Nec minor per vni-
uerſam Ciuitatẽ armorum ſtrepitus, & mul-
titudinis concurſatio, nec minus cruoris fu-
126 ſum, ſparſo contra omnes Hiſpanici generis
triſti carmine: cunctos, tãquam Populi ho-
ſtes obtruncandos; quorum pleroſque iner-
mes, & nihil tale opinantes inconſultus fu-
ror oppreſſit; in publicum, vſque, conquiſi-
tos, valetudinarium, vbi, quos ęgrotos ho-
ſpitalitas, verè Chriſtiana; ſanandos ſuſcepe-
127 rat, fędiſſimè trucidauit, Nec vllus à ſtrage
ſuperfuit niſi quem, vel receperant arces, vel
latebræ texere. Inter quos Didacus Varella
fuit genere, & moribus nobiliſſimus, cuius
commilitio; & ferè contubernio, dulci re-

cor-

cordatione, memini me olim ſuauiſſimè vsũ fuiſſe in Bononienſi acadamia. Is namque 128
antiquus Senator, & tunc vices Præſidis ſacri concilij gerens, munere, & inncentia notiſſimus, re ſubita ictus, noxa Populum, ſe periculo, exemit; quæſitis, & inuentis, apud Octauianum Saulium ſępius memoratum, latebris; cuius fide, & beneuolentia, latuit ſecurus, vſque dum tempeſtas illa deſęuijt.
Prorex interea, curis anxius, & conſilij inops, 129
quod fortuna pręſens cogebat, & in promptu erat, in arcem ſe, Palatio iunctam, vna cum Collaterali Conſilio, cæteriſque Proceribus, 130
plurimiſque nobilium; recepit: expectaturus potius triſtiſſimę rei exitum; quam quidpiã opis periclitantibus rebus allaturus. Quod reliquum erat, & ſæpius malorum leuamen expertus fuerat: ad Cardinalem Epiſcopum 131
reſpicit, eumq; ſcripto, & per certos homines periculi, muneris, rerum geſtarum admonet: *vnicum in perditis rebus præſidium, vocat, rogat, deprecatur ne deſit; & ab illius, conſilio, fide, auctoritate Ciuitatis, ac totius, adeò regni tutelam, ſuam, omniumque ſalutẽ, pendere teſtatur.*

Et sanè erat tunc apud Proregem rerum
status ad desperationem proximus: quando-
quidem vna paucorum dierum mora ad sũ-
mam rerũ inopiam cunctos, qui in arcem,
confluxerant, longè plures, quam ferret cõ-
132 meatus copia, fame conficere poterat. Nec
spes supererat, vt quacunque adhibita dili-
gentia; aliundè importari posset: nam, terra
quidem, clausa adeò erant omnia (vt memo-
rabam) vt nulla ratio appareret, qua pene-
133 trare posset ad arcem, ea commeatus vis, quę
satis esset ad tantam alendam multitudinem:
mari verò; illud incommodi, quasi etiã for-
tuna conspirasset in rerum perniciem; casu
134 accesserat, præter naturæ ordinem; vt licet
illud vigeret anni tempus, quo maria quie-
scunt, & silent venti; mensis scilicet Augu-
sti, dies vigesimus primus; nihilominus sæui
ex Lybia fluctus exasperassent adeò Mare; vt
Ioannetinus Auria, magno ne dum ancora-
lium, sed quandoque etiam remorum nisu,
vix cum triremibus, stationem ante portũ,
per plures dies retinere potuerit: quando in
interiorem sinum se subducere, Turris ad
merca-

mercatum ſita à Populo bombardis inſtructa; non permitteret. Hinc vel fame pereũ- 135
dum erat incluſis, vel tot Procerum, ac nobilium capita arbitrio, & ludibrijs inſanientis Populi, committenda; cum, nec ad S. Ermetis arcem vijs omnibus ab innumero Populo inſeſſis, pateret acceſſus: & quatenus patuiſſet: in arce illa arctiori, quàm in Caſtro nouo laborarerur commeatu. Dum Plebs, nullo 136
interim obſiſtente; loca omnia, quæ recenſuimus, armis inſeſſa, operibus inſuper munita, curulibus tormentis inſtruxiſſet, duobus quidem minoribus ad S. Mariam ad Angelos collocatis, maiore alio ingenti labore ad Sanctæ Luciæ in Montibus, & alijs duobus 137
minoribus ad Eccefiam, ſororis Vnſulæ nũcupatione notiſſimam. Quæ omnia Palatio, Arciue Caſtri noui imminebant, prioribuſq; duobus exceptis, ita collocata erant; vt ab Sancti Ermetis arce, in ſummo colle ſita, peti nequaquam poſſent. Quæ pariter arx, nec 138
ſine cura, nec ſine moleſtia fuit: eam namq; Andreas Politus magna cum manu aggreſſus Martinum Caleanum Arcis Præfectum,

mili-

139 militarē virum, & Regi fidum ad colloquiū euocatum percōctatus: esset ne fidissimi Populi amicus? eoque respondente vtiq; amicissimum se, si fides seruetur Regi: obmutuit grauitate responsi perculsus, in quo, quā ipse mente conceperat perfidiam exprobari sibi sensit; & licet obfirmatus exequi, non ausus est tamen verborum sono palàm profiteri. Quin pudorem eundem, inter perduellia facta retinere visus est; dum, non aperto Marte egit; Sed Sancti Martini Carthusia-
140 norum Cęnobiū propè sitū ingressus, clàm cuniculis contra arcem ducendis oppugnationem cæpit.

141 Nec Cardinalis in tanta omnium rerum agitatione quieuit, sed audito motus initio, perspecta causa, cognitis auctoribus, certus omnia experiri, seque, suaq; omnia in apertum discrimen dare, vt quies Ciuitati obsequium Regi restitueretur: id solum ambigebat: à quo potissimum inciperet, à Populo ne an Prorege. Hinc Proregis dignitas; inde Populi furores, in diuersa trahebant: veritus; ne qui posthaberetur fieret alienior.

Dubi-

Dubitationẽ dempſere à Prorege multiplices Nuncij, vnus ſuper aliũ, ingruentes enixiùs ore, ſcriptoque operã flagitantes quam citiſſimã. Nec diſtulit: ad S. Auguſtini, vbi concilium Populi coire inaudierat, fruſtrà retinentibus domeſticis, obtentu periculi; feſtinat. Ingreſſus, nec hilari fronte, ne 142
probare geſta; nec triſti, ne damnare videretur, ſed totus in admirationẽ compoſitus, 143
quam ad occaſiones, pro libito traheret; excipitur ingenti cum murmure approbantiũ, deteſtantiumque. Ingredienti verò ea ſe obtulit rerũ facies, vt etiam iniuſtam extorquere poſſet admirationẽ: nulla in ſacris ędibus 144
ſacri ſpecies; nulla in pio Populo pietatis argumenta, omnia quàqua versũ perſtrepere vocibus, armis collucere, furere cunctos, ſed abſque conſenſu; minari alios; alios iraſci, exultare nõnullos: erãt qui monerẽt, qui increparent, qui probarent, qui reprehenderent, qui altercarentur. Omnes peragenda iubere, quæ pauci noſſent; nulla denique, niſi in diſſidendo; conſenſio. Vbi data via, per medium confertæ multitudinis, Cardi-

nalis,

nalis, ad vmbilicum templi peruenisset; conuersus ad proximos, elata voce, percontatur.

145 *Quid iam sibi vellet fidissimus Populus tot cumulatus beneficijs? quæ irarum, quæ iusta causa armorum? Vnius ne impostoris frigidissimum commentum, nemini nexium, sibi non profuturum, tāti esse vt in promiscuas cædes Gentis; optimè de fidissimo Populo meritæ; rueretur, hostiliaque inducerētur aduersus Regium præsidium, regias arces, regias vices Gerentem? Sed imputantur hæc præsidiarijs, qui vel vera iniuria prouocauerint; vel ficta attraxerint victricia fidissimi Populi arma; satis iam cædium visum, satis sanguinis fusum, satis siue errori, siue vindictæ litatum: si quid vlteriùs cuperent, edicerent, seque arbitro, siue malint, internuntio; vterentur: experturi, profectò, eamdem in ipso fidem, quam semper; & in Prorege facilitatem.*

146 Tum dissonæ vndique sonuere plurium voces, aliæ alia insimul postulantes, quæritantesque.

Actum esse de fidissimo Populo; si auctores incendiorum poscantur ad necem; frustràque expe-

expectari ab Hispania approbationem Conuẽ- , torum, quæ Neapoli, proditorum astu, elu- , derentur. Immanitate sua meruisse Hispanos, , si ad stragem edendam explosissent: arroga i- , tia, si ad incutiendum terrorem, iustas Populi , iras, quibus quis vnquam indixit modum? , Cæterum, deprehensis iam dolis, frustra ob- , tendi vlteriùs velamenta verborum: re tandẽ , securitati fidissimi Populi cauendum esse. Ar- , cem S. Ermetis tradendam: Neapolitano mi- , lite firmandum Neapolitanum Palatiũ: Nea- , politano Præfecto commitendas Neapolitanas , triremes, Neapolitanis stipatoribus custodi- , endum Neapolitanum Proregem; In summa, , fidem, fide redimendam, vel experiendum; qui , nam plus possent, Hispani ne dolis, an armis , Neapolitani. ,

Quæ non omnia singnli, sed singula plures, sibi inuicem obloquentes, dissonis clamoribus disserebant; sæuũ autem illud, omnium ore: Genamium, & Genuinum fidis- 147 simi Populi proditores dandos ad suppliciũ. Ad quæ Cardinalis: nec assensus, nec aduersatus; ne vel obfirmaret, vel irritaret furen-

 tes;

tes; ſed, ad conſilium trahens; inconſultam illam poſtulatorum congeriem, abſque vlla ſeparatione; retulit.

148 *Intellexiſſe ſe amantiſſimi Populi deſideria; probè ſcire, quæ ad illius ſecuritatem, ſeruata Regi, fide, expedirent; nec ſeduli Paſtoris officio defuturum: ſua etiam intereſſe, vt quæ obtinuiſſet fidiſſimo Populo beneficia; rata eſſent, & collocarentur in tuto. Quietem interea agerent: dum confecta à Prorege reportat ea omnia, quæ conducibilia ipſis, cum fide coniuncta eſſent, quam erga regem profitebantur.*

149 Inde in arcem admiſſus, porta ad naualia ſubſidiaria, receptuſque à Prorege, cæteriſque, qui intus erant, tanquã vnicũ peirclitãtibus rebus ſubſidium, perbreui habita ſuper poſtulatis conſultatione. Prorex totus in Cardinalis amplexus, & preces ſuſus identidem ingerit.

150 *Iret, & pro ſua, Regique debita fide, cuncta expediret, nec certiora exigeret à ſe mandata, qui ab illius Conſilijs, tanquam Oraculi; totus penderet. Quæcunque ſtatuiſſet ille, probaturum ſe, ſeruaturumque ſanctè pollice-*

licetur; id solum deprecari: ne ad arcem tradẽ- „
dam adigeretur, traditurum faciliùs vxorem, „
filios, sanguinem. Ex postulatis ad suppliciũ, „
Cenamium libentissimè concessurum, tanti mo- „
tus auctorem; si haberet in potestate Genuinũ, „
qui concederet insontem senem, optimè de bonis „
omnibus, & de Rege meritum; videret Car- „
dinalis qua ratione posset tanto eximere discri- „
mini. „

Non hominis ea charitas, sed tacita mordebat cura Proregem; ne Genuinus si traderetur, in vitæ spem, siue mortis solatium, professus inditium, ea de coniuratione in Masanellum faceret palàm, quę ipsum Proregem inuidiæ conflagrandũ exponeret populari.

Arce dimissum Cardinalem plerique Ottinarum Præfecti, & ex primoribus Populi plures; honorificentissime excipiunt; deducuntque, deque rerum exitu soliciti orant; 151
vt pro ea, qua pollebat apud Proregem gratia, „
apud Populum auctoritate; saluti omnium cõ- „
suleret, quam summo in discrimine versari in- „
telligebant: dum pars illa plebis operis vitam in- „

› *die tolerare aßueta, à quibus per tot dies cessas-*
› *set, solicitata inopia, proximæ noctis tenebris*
› *tecta, facilè impelli posset; ad expilandas di-*
› *tiorum domos; patrandumq; quodcunque in*
› *Regem, ac Religionem flagitium: quibus, abs-*
› *que vlla resipientiæ spe traheretur in præceps*
› *Respublica vniuersa.*

Sensit Cardinalis rerum priuatarum anxios communes prætexere. Vnde quo propior spei factus; illarum desiderio his mederi posse: eò magis dissimulanter agit, tanquā desperaret; vel Proregem flecti posse, atrocissima tot Hispanorum cędibus læsum iniuria, vel plebem ad officia reuocare, tam ab-
152 surdis postulatis superbientem. Cæpitque eos de Republica consolari; tamquam illam, vel aliam, certé aliquam habituros: si vitam, si fortunas (quibus certa immineat à fæce plebeiorum pestis) ponerent in tuto: & quasi rebus perditis, nulla reliqua spes esset, sacras eis Archiepiscopales ædes, humanitatis plenus, offert ad effugium mali; Enixiùs tunc illi circunstare, orare, instare ea deferre (soliciti ne contemnerentur) quę Cardinalis

asse-

assequi (passus se rogari) habebat in votis; specieque recusantis auidissimè cupiebat.

Ne deserta Republica, priuatorum etiam res perditas vellet; neue deterreretur absurdis de arce postulatis; paucorum furorem illum esse à saniore parte Populi detestatum; se etiam affuturos concioni, iuuaturosque; totis viribus, conatus, quorum ipsi auctores essent. 153

Et abunde præstitere, ex auditoribus, adiutores effecti; dum frequentes concionanti ad S. Augustini affuere; primiq; omnium assensum palàm præbuerunt differenti, de arce S. Ermetis omittẽda; auctoritateque apud cæteros valuere; ne quisquam (paucis mussantibus) contradicere auderet. *Satisque* constat: mouisse Cardinalem tenuiorum animos, à quibus præcipuè timendum erat, cõmemoratione eorum, quæ de eadem arce sensisset Masanellus; & sentire fecisset importunum illum clauium flagitatorem. Nefas, enim, fidissimo Populo dissentire ab ijs, quæ auctor, & assertor publicæ fęlicitatis, ad eam stabiliendam, tanto consilio statuisset. Eaq; inclinatione animorum vsus ex postulatis 154 155

reli-

reliquis leuioribus quędam leniuit, quædam dempsit; obtinuitq; inter cętera; ne in Prę-fectura Triremium quidquam nouaretur; cũ ostendisset: Ioãnetinum Auriæ, cui Auus Melphiti Princeps, pater Tursi Dux; Nepos ex fratre Auelli Princeps esset, inter Neapolitanos Dynastas suo iure censendum esse. Et ne pertinaciùs insisterent in flagitando
156 Genuino, captura Cenamij, cui inclementiùs Populus irascebatur vel lenitus, vel persuasus; dum, Proregis verbis, diceret Cardinalis: neutrum in arce esse. In infortunium illud inciderat Cenamus, dum perculsus inopinatis clamoribus Populi, quibus poscebatur ad necem; trepidus latebras quæreret; retractusque ab ędiculis, à tergo S. Marię ad catenam, sitis; frustrà tentauerat auro se ab
157 interceptoribus liberare; sed arcta custodia, haud dubia plebis victima, seruabatur. Cardinalis verò; conficiendæ rei intentus, cum lætissimo nuntio Prorege conuento, cuncta transegit; in eo reposita.

158 , *Vt confirmarentur ea omnia, quæ, conci-*
, liandæ concordiæ; olim placuissent: & vltrà
obli-

obliuionem omnium, quæ postea contigißent: exilium indiceretur tum ijs, qui incendia paßi essent, tum etiam ijs, qui attestationi Cenamianæ nomina accommodaßent.

Quibus, summa cum bonorum omnium lętitia peractis, tanta celeritate; vt ante meridiem diei Iouis vigesima secunda Augusti, cuius pridie tanti motus ortum habuere, finem accepissent, si per plebē licuisset, quę paleis leuior quolibet quantumuis tenui iactatur vento. Palatio namque egressus Car- 159
dinalis, honestissimo comitatus nobilium cætu; ad Plebem stationibus circa Arcem illam distributam, expectationeque rerum suspensam conuersus; voce, manibusque & toto corporis habitu ad hilaritatem factus, 160
pacē inclamat, repetitque; eique Plebs reddito pluries, & geminato beato nomine plausum dedit; inde in occursum effusa, armis vt erat instructa: vniuersam repleuit momēto temporis armatis Aream. Hinc, licet apud omnes, haud dubia esset concordia cuius etiā Campanum ęs, per Vniuersæ Ciuitatis sacras ædes, sonitu festissimo faceret fidem;

mune-

muneris nihilominus sui, & ex disciplina
161 putauit Palatini præsidij Præfectus manu,
voceque submouere ab aditu turbam seueri-
ùs, quam ferre possent illi mores, illa tem-
pora. Quare indignatus ex circumstantibus
vnus, sclopum, quo erat armatus, in Hispa-
162 norum præsidiũ explosit; nec tulere iniuri-
am militares animi, sed accensi iam diutur-
na cum eadem Plebe velitatione, & com-
militonum plurium cęde, pilarum plumbea-
rum procellam in obstantes effudere; ne-
mine tamen è tãta multitudine, pręter pue-
163 rum vnum, vulnerato. Quod ad facti excu-
sationem retulere, quasi absque plumbeis
glandibus, ad terrorem tantummodo explo-
sissent; quos tamen ille ipse puer coarguit,
non absque pila ictus, & certiùs temporum
ratio, quę vt exigebat ab eis, in procinctu stã-
tibus; glandes fistulis insertas, ita cum per-
miserat subita propulsatio vt insertæ exeri
possent. Vtcunque tandem, seù fors, seu
indignatio tulerit, siue vlciscendi amor; re-
crudescit seditio, & contra præsidiarios mi-
164 lites, & Hispanum omne nomen bellum:

eo

to truculẽtiùs; quo ſpes pacis proximior iàm
vtramq; ſimul gentem confidentius miſcuiſ-
ſet. Vtquè, ferè ſemper, amat poſterior lę-
ſio, quam non vlciſceris niſi vincis; illud ho-
ſtilitatis à Plebe additum: vt auſa fuerit maio-
ra currulia tormenta, antea diſpoſita, in ar-
cem Caſtri noui, Palatiumque intorquere: 165
maiore ſanè contumacia, quam damno, ob
imperitiam exploſorum. Sẽſit nihilominus
Prorex ad extrema ventũm; extremis prop-
terea remedijs coercenda; nec deerant, qui
certiori verberatione, grandioribus eiacula-
tis ex arce globis; tantam contumaciam retũ-
dere ſuaderent. Sed obfirmatum illius con- 166
ſilium, in expectanda regia claſſe; cuncta reſ-
puebat, quæ nudare interim poſſent iratum
eius animum, & vindictæ auidum. Illa etiã
angebat hominem cura, quod in tanta co-
piarum paucitate, fortiſſima illa extraordina-
riorum cohorte, equitatuſque robore deſti-
tuebatur, quas in expeditionem, paucis re-
trò diebus miſiſſe memorabam; ſine quibus
de rerum ſumma periclitari, intutum duce-
bat. Sed leuiſſimus auctor, leuiori de cauſa,

eum à propoſito dimouit. Bernardinus fuit,
Cubiculi Palatini Ianitor, qui cõſpicatus ędi-
culas ſuas inter Palatium, eiuſdemq; viridia-
rium ſitas, acrius à Plebe oppugnatas; rerũ
ſuarum anxius, Proregem ab arce rem pro-
ſpectantem publici periculi admonuit: ſi ex-
pugnatis illis ędibus Palatium vndique à tu-
167 multuantibus circumſepiretur. Tum Pro-
rex, ſiue victa patientia, ſiue periculum ad-
motum, iam oculis: è mente conſilium om-
ne diſcuſſerit, explodi, ex maioribus, bom-
bardam vnã in molientes ſubitò iubet. Qui-
bus deiectis, diſperſiſque minimum vtilitatis
fuit, ædes illas periculo liberaſſe. Nam arcis
S. Ermetis Præfectus, exploſione illa, quaſi
168 teſſera monitus, & ipſe, deſtinatis ictibus, op-
portuniora Ciuitatis loca, magno cum fra-
gore quatere cæpit; nec ceſſauit Prorex: ſed
iacta iam alea, pluribus contortis, ex caſtro
nouo fulmineis ictibus, nõ paucos, nec opi-
nantes fædè diſcerpſit: omnes ingenti reple-
uit timore. Patauinũ oraculum eſt: in pu-
gna militum animos primùm vinci. Quid
expectari poſſit à Plebe inexperta, tanto ar-
cium

ciũm in ipſius caput fulminantium concuſſa terrore, licet plerumque irrito; iſte docet euentus; nã ipſiſſimi illi, qui paulò antè tanta egerant arrogantia, vt pacem ferre non poſſent, quã ipſi dediſſent, nec in arce clauſum, exutumque omni poteſtate Proregem tutum ſinerent; mox inanibus illis terriculamentis, vano; vt plurimum boatu, aera, terramq;, incaſſum, ferientibus; domiti, lugubri eiulatu veniam, pacemq; ſupplices ex- 169
poſcebant; &, qua ex tuto in arcem dabatur proſpectus; paſſis ad cœlum manibus, albiſq; circa caput explicatis linteolis; pro ſe quiſque, quam toties faſtidiuerant, pacem implorabant. Et quaſi tum primum diuinum Numen rebus humanis ineſſe intelligerent, 170
ad Dei opem confugere, per omnia templa cum liberis, coniugibuſque precabundi, tanta omnium trepidatione; vt audaciſsimi ex eis eſſent, & crederentur, qui præliorum obliti, munitionibus ſe tenerent attoniti. Vſque adeò; vt cum ex S. Eermetis arce diſiiecta fuiſſent tormenta currulia, quæ ad Sanctæ Mariæ ad Angelos illi oppoſita fuiſſe

meminimus: præſidiarij erumpentes, alte-
171 rum ex eis, cuſtodibus ferè deſtitutum, tanta ex tot circumfuſis munitionibus inſpectãte multitudine ad ſuos retulerint victores.

Non equidem ille, cui ſub raſtro crepat argenti ſeria (ſi cum doctiſſimo Poetarum loqui licet) ex calamitoſo ſubito fœlix, tanta
172 effertur lętitia, quãta Prorex exultauit; modum ſibi viſus experimento tãdem didiciſſe, quo Plebem in officio contineret. Non amplius eum angebat claſſis tarditas, non amittendarum arciũ timor, non inſanientis plebis furor, nec ampliùs erat de rerum euentu
173 ſolicitus. Iam tum omnia ſibi pro arbitrio compoſita, parata, domita fingebat; iàm tum ſupplicia in noxiorum capita diſpergebat.

Illumque Bernardinum tam præclari facinoris auctorem, vti vetulam, periclitanti inter Medicorum manus ægroto, ſalutem afferentem; in prętio habere, & cum omnibus, qui in arce erant: quaſi ingenti parta vi-
174 ctoria, gratulari. Quorum plerique ſine veri, aut falſi diſcirimine (vitio humani ingenij)

genij)

genij) non minus solicitè à se amolientis in-
fœlicium, quam cupidè sibi vindicantis se-
cundarum rerum causas) *se iam diu auctores,*
fuisse iactabant salutaris consilij; gratias prop-
terea habendas rerum difficultatibus, & an-
gustijs; quæ spretum olim consilium explicuis-
sent extorsissentq;. Nec minorem animorũ,
commutationem eadem attulit, apud capita
seditionis; Plebis consternatio. Qui nulla 175
vi, nullo consilio; in trepidatione illa, abie-
ctum eius animum erigere potuerunt, com-
probaueruntque experimento, quam parui
facienda sit in pugna sine Duce multitudo
quãtumuis grandis; quæ nisi vnius summo
regatur imperio ad nihilum magis valet, quã
ad illustrandam cæsorum numero hostiũ
Victoriam, abiectisque propterea æmulatio-
nis studijs, & solutioris disciplinæ amore: de
imponendo summo armatorum ductore,
cui omnes pareant; serio deliberant. Et cũ
nullus inter eos emineret, adeo; vt cęteri sub-
esse, aut possent; aut vellent, sero eiusdem
diei Iouis Frãciscum Toraltum Massę Prin-
cipem; equestri ordinis virum, communi

omnium

omnium voto eligunt, & ad eius domum magna comitante Populi multitudine confluentes; honorem deferunt, quam tumul-
175 tuosissimè. Franciscus Toraltus; genere nobilis factis nobilior; nomen prima iuuenta dederat in exercitu Regio apud Belgas, in illa Europæ totius Martis arena; vbi positis militiæ rudimentis, manu promptus, laborum tolerans; consilio industrius, successibus fœlix; per omnes militares gradus ad sũmam Castrorũ Præfecturam peruenit, quã in Hispania Taraconensi, sub ipsius Regis, & totius Aulæ oculis, integra fama, gessit eo tempore, quo magis in ambiguo in illa Prouincia res Hispanorum fuere: irruentibus magna belli mole Gallis à Cathalumnijs accersitis. Sed quantumuis negotio par; inuidię succubuit: indignantibus tot Hispanis Proceribus, Italum hominem, in ipsorum terra, imperare cęteris assueta; ipsis anteferri, in re pręsertim bellica, ad quam se natos, & sentirent, & haud immeritò iactarent. Exhautoratus Pręfectura bellicosissimus vir: bello etiam, quasi cingulo militari solutus,

absti-

abstinendum sibi putauit: infra dignitatẽ suã ratus; quęcunque militaria munera quantũuis splendida, qui omnium supremum gessisset. Id enim malum irrepsit, in rem militarem nostrorum temporum, dominantibus importunissimum, vt degeneres habeãtur voces spurij illius Ligustini apud Liuium; qui quater primum pilũ duxerat: qui quater, & tricies virtutis causã donatus ab Imperatoribus fuerat, qui sex Ciuicas coronas acceperat.

Ordinem, quo me dignum iudicent Tribuni militum ipsorũ est potestatis: ne quis me virtute in exercitu præstet dabo operam, vt semper ita fecisse me, & Imperatores mei, & qui vna stipendia fecerunt testes sunt.

Et cum his vocibus, mores illi; quibus, maximo Reipublicę bono, & meliore militaris rei fructu, & splendore; consulares, & Dictatorij viri legationis, & tribunatus munera in exercitibus Consulum, qui ab ipsis imperium acceperant, non respuebant. Missione impetrata Toraltus, magno honore 176
verborum celebratus ab Aulæ Primoribus,

Rege-

Regeque ipſo, ſplendidiſſimis ditatus præmijs, Maſſa oppido, prope Neapolim ſito, cum principatus nomenclatura donatus; dimittitur. Sed, ſiue, Aulę vitio, facilioris ad agnoſcendam, quam ad referendam gratiā; ſiue contumacia factum opidanorum illorū recuſantium vllius pati dominationem: pręterquam Regis: nomine tenus Princeps, re, deſtitutus; ducta in matrimoniū nobili æquè, ac diuite vidua; dotalibus opibus dignitatem Principis, quam plures oculis requirūt, pauci interpretantur; vxorius tuebatur. Habebatur propterea Hiſpano nomini inſenſus; vt enim fraudatus ſtipendio miles, formidoloſior hoſpiti quam hoſti, duros in hunc labores, ſola compenſat ſuper illum licentia; non ſecus belli Duces, confectæ Prouincię præmijs deſtituti, terribiles ſunt dominationibus veritis, ne quam in hoſtem didicère virtutē, data occaſione; in ipſos vertant, acuantque in vindictæ ſolatium. Auxerat de Toralto apud Populū Neapolitanū opinionē illius ſecuritas; qua inter tot Nobilium fugā, & in arcem receptum, ille deſes domi agebat, eò

cer-

certiorem ſpeciem eis præbens; probare illum omnia, quæ ab inſaniente plebe contra Hiſpanos agebantur; quò enixius cupiebant; Sed Toraltus, cui fides cordi, & obſtinatũ erga Regem obſequium: delatum Imperium 177
recuſare, abnuere, deteſtari, & acriùs vrgẽtibus indignari.

Quid enim in ſe vidiſſet poſt tantos exantlatos labores, toties fuſum ſanguinem: mortẽque ipſam ſæpius (pro aſſerendo Regis imperio) inter riuulos igniti plumbi, & cruoris laceſſitam; vnde argui poſſet immutatus adeò, vt arma, & eoſdem conatus; vertere hoſtiliter poſſet in arces illas, ſub vexillo Regio quieſcentes, ad ſpoliandum auito Regno optimum, & clementiſſimum Regem, ſeu veriùs ad irritanda, & manu quodammodo trahenda, potentiorum arma ad Patriæ immærentis excidium. Si animi, vſque adeò nefarij, edidiſſet imprudens argumenta aliqua, edicerent, illicò ſe à tanta infamia, vel oratione, vel morte purgaturum.

Non acquieuit recuſanti Plebs, ſed eò ardentior inſurgens; quò certiùs intelligebat,

178 se perfidia à semetipsa damnari, si cùm recusatione Toralti; causas recusationis probauisset, vndique perstrepebat.

› *Integram fidissimo Populo erga Regem fidē,* › *eandemq; vsque ad vltimum vitæ spiritum* › *mansurum: contra perditos, & consceleratos* › *rerum administratores, non minus Regis cau-* › *sa, quam sua; arma sumpta, ab ipsomet Pro-* › *rege, & Colletarali consilio probata, conditio-* › *nibus vsque ad Regiam ab Hispania approba-* › *tionem stabilita: Illum igitur, non se, fidei Re-* › *gi debitæ desertorem fore, & in Patriam im-* › *pium, si eadem arma interim regere, non mi-* › *nus Regi, quam Patriæ neglexisset.*

179 Talia iactabant ea corporis, animiq; concitatione, vt satis appareret intutum esse Toralto, diutiùs studijs plebis obniti: aderat vxor super ingruens, periculò anxia, & honoris cupida; nutantemque tandem impulit animum, certus à Prorege Nuncius, qui perspectę diù Toralti erga Regem fidei, arma illi committi rerum periclitantium tutelam putabat; monebatq; palam, delatum munus › subiret hilarior, sciretq; : *ne dum probatum,*

sed

ſed gratum inſuper id ſibi, ac Regi fore. His 180
ceſſit tandem Toraltus; ſatiſque cauiſſe videri potuiſſet fidei ſuæ, dum à circumfuſa multitudine armatorũ, exegit declarari: arma illa, quorum Imperium ipſi deferebatur pro Rege ſumpta eſſe; ni declarationi verborum munus ipſum re manifeſtiùs repugnaſſet. Militaribus ingenijs, ſubtilitatem deeſſe aliorum ex ſententia teſtatur occultiſſimus ille, quibus & me libens addo. Non magis quia caſtrenſis iuriſdictio (vt putabant illi) ſeuera, & obtuſior, ac plura manu agens calliditatẽ
fori non exerceat; ſed veriùs ex eo, qui vitã 181
ipſam, qua nihil viuenti charius, nihil prætioſius; haudquaquam digna plerumque ex cauſa, manifeſto exponunt diſcrimini; vt audacia potiores in adeundis, ita ingenio hebetiores in cognoſcendis periculis natura præ-
ditos eſſe neceſſe eſt. Non cognouit Toral- 182
tus, fidem candidam, ſimplicemque rẽ eſſe: iuſtitia ipſa candidiorem, ſimpliciorem que, quando hanc ſępę in contrarijs militantem caſtris vidimus, illam nũquam, niſi in ijſdẽ, ſeruandam vel hoſtibus; cuius inſcitię pænas,

183 intra paucos dies, calamitosissimus dedit.
Primum facinus Toralti, post adeptum Imperium, fuit; quale expectari potuit à studiosissimo Regiarum partium, & publicæ trãquillitatis: vt scilicet tantisper ab armis cessaretur; vsque dum certius cognosci posset: an pęniteret eorum, quæ Cardinali auctore
184 placuissent: summoque manè, insequentis diei, publicatæ fuere induciæ, vsque tamen ad horam vigesimam eiusdem diei, protractæ exinde per totum tempus (nequaquam diuturnum) quod concordiæ ineundæ insumptum est. Quarum induciarum fidem candida vexilla tam in munimẽtis Plebis, quã Regijs in arcibus explicata faciebant; illarũq; beneficio vsus Prorex potuit (conniuente Toralto) arcem vtramque, milite satis mu-
185 nitam; commeatu omnis generis; instruere; cuius inopia laborabant. Nihil tamen profuissent Priori Rocellæ, Tito Carraciolo,
186 Principi Sancti Petri Lapesio earumdem fiducia; arce egressis, captisque à Plebe, vti exploratoribus; ni per Toraltum stetisset, qui (tradito Ducum multitudinis ferocientis

more,

more, non valentiũ imperio cohibere ruentem, sed astu tantummodo eludere) mandauit, verbis increpitos, carceribus; tamquã
ad pœnam, reuera ad salutẽ, includi. Leuius 187
fuisset non prodesse; ni ad perniciem valuissent induciæ, Cenamio, custodia detento,
& Ioanni Serio Sanfelicio olim legioni Tribuno; Lucij illius, Sanfelicij Patri quem me- 188
morauimus, post Masanelli cędem; importunissimis verbis plebi insultasse. Hunc, suo etiã nomine, Plebi inuisum, contra eius cõmoda sæpius censere creditum, & filij supra
quam credi posset, oneratum inuidia, è Ci- 189
uitate profugũ, & in agris latebras qnærentem; mulier quædam odorata, illo ipso induciarum die, detexit, opeque pluriũ eiusdẽ sexus cæpit, captumque ad Ciuitatem, quasi
in muliebrem triumphũ, retraxit. Hos enim 190
Plebs à velitationibus contra Præsidiaria feriata, crudelissimè trucidauit.

Sanfeliciũ quidem impatientissimè extre- 191
mam necessitatẽ tolerantem, qui, cũ corporis viribus nequiret, quantum animo potuit obluctatus, contẽpto quocunque Christiano ritu,

no ritu, expiandi per confeſſionẽ à noxis animam indignantem dedit inuitus; inter deteſtationes, deprecationeſque in filium ſępius, quam in ipſam Plebem quẽ paternis agitan-
192 dum furijs moriens, deuouit. Patientia verò Cenamij, quæ miſerationẽ elicere potuiſſet; ſęuitiam percuſſorum irritauit, qui, dũ eum ad Mercatum, ſupplicio afficiendum ducũt, vno tantummodo Sacerdote, ad extrema pietatis officia comitatum: ſiue longioris moræ tædio; ſiue hauriendi inuiſi ſanguinis impatientia; ſæuum anticipauere miniſteriũ; mediaque in via, ſuper dolio fortè oblato, reflectere caput adactum, ſeſquiplaga obtrun-
193 cauere. Nec, atrocitate necis, ſatiati; ad ludibria verſi, raptato per Ciuitatem cadauere, capiti illudentes appoſitis ad naſum, ex mali citrei cortice malè formatis perſpicilijs, calamoque ad aurem ſcriptorio, illud mediũ inter duo ſatellitum capita, quæ pariter obtruncauerant in foro expoſuere; dicterijs, ſordibuſque à petulanti Plebecula inaniſſimè
194 laceſſendum. Inter quę, procurante Toralto; concilium Populi indicitur, ad S. Auguſtini:

guſtini: ijs audiendis, recipiendiſque quæ, ad ſanciendam concordiam, Prorex conceſſerat Cardinali: ſed exitùs docuit, quanti eſſet ponderis apud tumultuantes Cardinalis auctoritas, eius namque abſentis verecundia ſoluta Plebs, cum audiſſet nullam (vt conuenerat) de tradenda S. Ermetis arce fieri mentionem illicò reclamat; magniſque vocibus, maiorique contumacia: arcem illam fidiſſimo Populo ex integro poſtulat; ſolutoq; concilio per Ciuitatem vaga, licentiùs addit de arce poſtulatis, abſurdiora alia; vt Hiſpani 195
omnes Præſidiarij dimitterentur, Neapolitano Milite ſub Hiſpano Prefecto, Proregeq; omnia firmarentur; & ſerò prudens, licentiæ ſuæ Ducem moderatum virum malè aſſumpſiſſe, deſiderio Maſanelli accenſa, Maſa- 196
nelli nomen inuocare.

Maſanellum verè virum, dignumque tanti Populi Ducem, qui vindex publicæ libertatis fuiſſet. Toraltum proditorem, qui Hiſpanicis artibus imbutus in antiquam ſeruitutem, fidiſſimum Populum trahere conaretur.

Illud etiam, ad maiorem charitatis ſignifica-

ficationem vulgo vsurpantes expositores re-
rum vltrò venalium; vt inter proclamandum
197 de more prętium, ad eliciendos emptores,
frequentiùs, tamquàm versum intercalarē,
interponerent hortamenta: ad preces Deo
pro Masanelli beatitate effundendas. Sed eò
acrius in Toraltum coorti, ad arcem S. Er-
metis, maiori conatu expugnandam, tribus
ex locis ductis cuniculis, adegerunt, non
198 recusantem ex fiducia, quam in Andrea Po-
lito, operi præposito habebat, cuius consciē-
tiam (vt aliorum quāplurium ad eludendos
199 plebis furores) sibi comparauerat. Cognito
tamen fortissimam illam extraordinariorum
cohortem, & equitum turmas, quæ in ex-
peditionem iuerant à Prorege reuocatas, Ci-
uitati aduentare, facili negotio à tanta mul-
titudine opprimendas: specie; ne arcium,
Proregisue præsidia, illa virium accessione,
firmarentur: re; vt saluti eorum consuleret,
200 pro Imperio à Ciuitate satis habuit exclusisse.
Quæ manus calerta recepta, & suo tempore
redux, Regiarum partium columen fuit.
Omnes tamen industriæ neruos intendebat
To-

Toraltus; vt ſi non odia, odiorum ſaltē exer- 201
citia ponerentur, renouata armorum ceſſa-
tione. Cumque ſatis intelligeret: non alijs
habenis vulgum; præterquam timore flecti,
hunc autē animis Neapolitanorum ſatis in-
ſediſſe, ſed per diuerſa: honeſtiorum quidē, 202
rerum ſuarum periculo: plebeculæ verò ful-
minantium ab arcibus tonitruorum; faciliùs,
expeditiùſque cenſuit rem pro confecta ad-
miniſtrare; quam, vti dubiam in deliberatio-
nem, nullum exitum habituram; reuocare. 203
Quarto igitur ab illo die, quo ad armorum
Imperium euectus fuerat, per plures ex Po-
pulo Proceres; militares præcipuè, ſibique
antea cognitos, obnoxioſque in equis per Ci-
uitatem diſcurrentes; explicatis ſupra capita
albis linteolis; pacem inclamari iuſſit; Regiq; 204
& Duci de Arcos fauſta omnia precari; qui-
bus verbis cum plauſu exceptis, ingentique
omnium lætitia redditis, ſanctiſſimum nu-
men, quod numquam implorantibus defuit,
ſtatim arriſit: operam ſtrenuè nauante To-
ralto, qui allatas fortè, inſpectantibus omni-
bus, leges pacis inter Cardinalem, & Pro-

regem constabilitas cum recepisset; occasioni non defuit, sed & vulgi timores intendit,
205 causatus, à Prorege admoneri: ni pax placeret, induciarum ampliùs locum non esse; & saniores erexit; ostentata ex eisdem legibus indulgentiæ largitate. Vnde in tanta animorum diuersitate, pari consensu, & hilarita-
206 te, pacis vndique beatum nomẽ per vniuersam Ciuitatẽ personabat: & ad gratias Deo agendas, cum pueris, fœminisque templa omnia frequentabantur. Cui inclinationi Toraltus, conuocataque in forum multitudine, cinctus meliorũ Caterua; exposuit.

„ *Proregem fidissimo Populo postulata omnia „ concessisse, vna excepta S. Ermetis arce, quæ „ in sua non esset potestate; interpositurum tamen auctoritatem cum Rege suam: vt de arce „ etiam satisfieret fidissimo Populo.*

207 Obtinuitque decretum, & statim publicari, pro Imperio; iussit, quo decreto, approbata Proregis recusatione, vetabatur, pęna capitis, & fortunarum indita; ne quisquam in posterum; arcem illam poscere auderet: quam pœnam repræsentari iussit, insequẽti die,

die, Iosepho cuidam Carola, qui petulantia Centurionatum à Masanello meritus, paci 208
palam obloqui ausus fuerat. Proclamata pace: placuit, ad pacis securitatem, vtrinque prȩsidia deduci, demolirique munitiones, quas belli excitauerat furor; obtemperatũq; 209
à Plebe studiosissimè, vrgente præsertim Toralto; in speciem reddendi pristinam Ciuitati faciem; obtento insuper ab Ottinarum Præfectis: vt retentis sub signis tenuioribus, quibus diurnum stipendiũ carolenus nummus procederet, ad stationum, & currulium tormentornm custodiam; cæteri ad sua 210
quique pacis munia dimitterẽtur. Sed Prorex, cui instaurauerat animos, tum plebis à bombardis timor, tum Toralti conscientia: munimenta omnia retinuit: causatus pericu- 212
lum à Gallica Classe, cuius se, Prouincia aduentum, fama, vt semper, longè antecesserat. Quinimo quasi rerum securus, retinẽdȩ dignitatis, de more Gentis, tenacissimus; curas resumpsit, neglexitque iurandis pacificationis conditionibus, in quas Auctore Cardinali, & sequestro; conuenerat: ad Princi-

 pem

212 pem ſacram ædem, eadem popularitate, qua aliàs, Maſanello Duce; ſe conferre; ſed expectauit cubiculo deſidens, vt Populi delegatus domo ad Sancti Seueri, cum tubis, vexilliſq;, magnoque Procerũ Populi comitatu: profectus; ipſum conueniret, deduceretque, ad
213 ſacras S. Barbaræ ædes, in caſtro ipſo ſitas: ibique, die ſeptima menſis Septembris, qua minima potuit celebritate, munus peregit:
214 muſſantibus haud obſcurè ex plebe tenuioribus, indignantibuſque: arceri ſe ab eorum conſpectu; in quibus, de ipſorum præcipuè commodis; agebatur. In duo, de ſexaginta, capita, conditiones illę erant diſtributæ; ni duę eximantur: de tradenda S. Ermetis arce; altera: deque Neapolitanis militibus palatio muniendo altera. Quæ, molliſſimo reiicien-
215 di genere, Prorex in ſe aſſumpſerat; à Rege precibus efflagitare; ſumma illarum erat, prę- ter minutiora quædam.

„ *Admiſſa quomodocumque per Populum* „*vſque in illam diem omnia obliuione delenda,* „*dimittendoſque è Palatio, in quo attinebantur,* „*Franciſcum Arpaiam Populi Delegatum, Domini-*

minicum Mellonium, Agatium Aßantum, Thomam de Alpherio, Franciscum Ascitiũ, Perestium, aliosque; confirmandasque Præfecturas Toralto, armorum omnium, Octauio Marchesio currulium tormentorum.

Abolitiones vectigalium ratas fore, insuperque delendas minutiores quasdam præstationes; et inter præcipuas, quam, de medietate fructuum primi anni; ab auctis benefitio pendenda, nouitium Oliuarij inuentũ inuexerat.

Priuilegia quæcunque, auspice Masanello, aliàs indulta renouanda, eaque his iuncta fidissimo Populo ius fore interpretandi, dirimẽdique controuersias omnes, ex eis fortè emersuras; creandique, quolibet semestri, sex viros ad omnium tutelam.

His, alijsque procurandis amplum conclaue in via sellariæ construendi, septumq; curulibus tormentis, cum nitrato puluere sulphureo, reliquoque apparatu, ad illorum vsum asseruamdis; muniendi: ius Populo fore. Proscriptos omnes rerum administratores, incendio ambustos, & in eorumdem Albo ponendos; Iulium, & Lucam Genuinos, illum Ærarij,

præ-

, præsidem, hunc turmæ equitum ductorem Io-
, sephumque Sanctum. Vincentium Vicariæ
, Iudicem, cæterosque machinæ Cenamianæ
, auctores fautoresque; & cum eis Alonsum
, de Angelis telonij curatorem: Franciscum
, Albanũ Carolum de franco vectigalis fructu-
, um conductores: Saluatorem, & Carolum
, Cattaneum, Angelum Ardizonium, Andreã
, Ramam, aliosque Masanelli interfectores:
, quibus de Populo additi è nobilitate Duces
, Mataloniæ, & Caiuani Carolus Spinellus,
, Lucas, & Andreas fratres Sanfelicis; ea
, addita ignominiæ nota; vt proscriptorum
, filij posterique per virilem sexum à muneribus
, honoribusque omnibus Ciuitatis arcerentur;
, Mataloniæ autem, & Caiuani; insuper, &
, ipsi inter proscriptos essent; municipalia mu-
, nera omnia tam Sagæ, quam togæ, ciuibus
, tantum Neapolitanis è Populo conferentur;
, exclusa prorsus nobilitate; ea excepta, quæ in
, sedilibus Nidi, & Capuanæ censeretur.

216 Harum conditionum delinimento sedata Plebe: Toraltus maiora struere, & cum haberet in partes quam plures Ottinariũ Præ-

fectos,

fectos, Populiq; Primores qui licentiam Plebis illam oderant; à qua tamen tot incremẽta dignitatis, & cõmodorum consequi ęquũ 217
putarent; non paucos etiam ex militaribus auctoritate, & consilio attraxerat Andream Politium, Dominicum Millonium, & alios; vt iam Plebs, sessores nacta, quos impulsores credula assumpserat; habenas etiam pati assuesceret. Experimento fuit munitio, quam 218
clanculum, ad S. Luciæ ad mare; struxerant Hispani, satis firma, qua, ponè ostium illarũ sacrarum ędium; murus ducebatur ad naualia, per quem fenestellis ad incessendum plũbeis globulis militariter perforatum; tutus dabatur in arcem Castri noui receptus. Ad cuius conspectum Plebs, statim, proditionẽ inclamat, & cum arma, suetis incensa furijs, expediret, superueniens Arpaia, motum 219
omnem auctoritate compescuit; valuitque, causæ proditor, vt pro custode haberetur; desumpta sibi, in eodem loco, pro omnium securitate, statione. Id ipsum manifestiùs periculum Scipionis Gianetasij, vulgò Pionis, aperuit: hũc inter Masanelli catulos, olim

præ.

præcipuum, eoque nomine sibi acceptissimum, plebs Dominico Millonio commendauerat, qui in fidei ostentationem, & ad auram multitudinis captandam, à se numquam discedere adolescentem iussum; in ore vulgi habebat.

220 Quando ex inexpectato adolescens apparere desijt, perquirenteque sedulò millonio, exposcenteque minaciter plebe, tandem relatum; eum arcem castri noui ingredi visum quod satis fuit vt reliqua pro compertis haberentur: Proditione Millonij, fraude Proregis, charissimũ caput cæsum, vel cędi de-
221 stinatum, & non secus, ac si, in vnius capitis discrimine, de omnium salute ageretur; discurritur ad arma, quam tumultuosissimè, & tanquam ipsorum id esset virium, vel potestatis, ni incolumis tradatur Pionus.

222 , *Arcem excindẽdam, Millonium, Proregẽ,*
, Hispanos mactandos; vnoque omnes delendos
, incendio.

Sed vigor ille, iniurias trãsmittere nescius, nisi vlcisceretur; adeò frigescebat; vt qui vna suspicione efferbuerant, fatenti Millonio reducen-

ducentiq; ex arce Pionium; acquiescerent: admissa, probataque excusatione, quæ irritare animos potuisset: priuato illum Hieronymi de Letitia crematarum suppellectiliũ odio, paucorumque militũ scelere; periculũ adijsse, quos Prorex, re intellecta, damnataq; carcere mancipatos debitis pœnis destinasset.
Quinimò, inclinatis iam ad obsequium ani- 223
mis, quies equidem nondum parta erat; sed, dispersis, dissipatisque Populi studijs, omnis resederat impetus: aquarum instar per plana fluentium; quas non alueus, sed deriuatio quælibet dirigit, & impellit, eòque redactę
res erant: vt pro crimine acciperetur, si 224
quid noui casus, vel ratio tulisset tuitionem commodorum Populi respiciens; eo nimirum specioso prætextu, quod stabilita quies, contra iuratas conditiones, interturbaretur. Irrepentibus insuper adulatione, 225
præoccupandique gratiam apud potentiores
cupiditate. Docuere id duo ex illa Franci- 226
scanorum sacra familia, quę ab accuminato cucullo nomen habet; quibus pia verba, & charitatis erga Populum plena, malè detorta,

Aaa exitio

exitio propè fuere. Raptati certè à Plebe, &
ad Proregem in arcem ducti, tamquam pa-
cis publicæ perturbatores. Sed splendidiùs
docuit Ianuarius Agnesius mihi sæpius no-
227 minandus. Is Plebi fidissimus, ex suo nimi-
rum corpore, opificio archibuxiorum innu-
tritus, præerat Turri, antiquæ structuræ, ad
Mercatum sitę, quam à mole Turrionum
appellabant, inque eam magnam sulphurei
pulueris vim intulerat, seruabatque, diligen-
ti custodia. Dum igitur hanc ab eo, blandis-
simis Proregis verbis, poscit Arpaia Populi
Delegatus: ad muniendam contra ingruen-
228 tem Gallorum classem, Castri noui arcem;
non satis habuit denegasse Ianuarius; ni di-
sertè eam, ad Populi securitatem sepositam
testatus, concitatis verbis, animoque com-
motior subiecisset.

„ *Abundè suppleuisse Andream Politium, tã-*
„ *to illato numero; qui ad plures muniendas ar-*
„ *ces sufficere potuisset.*

Agebantur hęc in ædibus S. Laurentio sa-
cris, in quibus, magna frequentia; Populi
Primores conuenerant: inuitatu eiusdẽ Po-

litij,

litij, cuius filius, ex ſacra Dominicana familia, à Prorege in Epiſcopum Potentium deſignatus, doctoratus laurea cohoneſtabatur. Perculſus igitur tam audaci reſponſo Arpaia, & haud obſcura ictus exprobratione, loco fretus, & multitudine illa, idem ſententium confidentior exclamat. 229

Publicæ quietis turbulentum euerſorem neci dandum. Nec defuit circumſtantium aſſẽſus, qui Maſanellico prorſus more, hominẽ 230
morti deſtinant. Soli defuere Maſanelli catuli; qui ſæua decreta truculentiùs exequerentur; à quibus ſpatium fuit Agneſio ſubducendi ſe, latebraſque ampliſſimis illis in ędibus inueniendi, qua fuga animoſiores effecti Delegatus, cum cæteris: Agneſium proſcripſerunt, indixeruntque inſuper, Vana- 231
rella quodam auctore; prę mium percuſſori ducatorum quingentorum. Cuius rei fama apud Plebem vulgata, eam præſertim, quæ Lauinarium incolit, & armatorum ſuorum Ducem habebat Agneſium, colebatq; ad Toraltum concurrit, & ab eo Ducẽ repoſcit ſuum; eoq; tergiuerſante, vtporè cui, 232

haud ingrata fuisset hominis calamitas, cuius
nimiam iamdiù suspectabat audaciam; sed po-
stulata omnia dijcit rumor: Agnesium late-
bris ad S. Laurentij tegi, ad quam vocem, sta-
233 tim ad locum aduolant, Ducemque suum,
tanto defunctum periculo; chariorem reci-
piunt, deducuntque, & ad Turrim suam si-
stunt incolumen, nemine inimicorum ne
verbo quidem violato. Vt daretur intelligi:
satis mansuescere seditionem illam, cui satis
esset: iniuriam non recipere, nusquam de
234 ea reddenda solicitam. Hoc rerũ statu: ex-
pectata diù classis tandem aduenit: ipsis ca-
lendis Octobris, tempore sanè oportunissi-
mo, extremam manum auctoritate, & viri-
bus impositura concupitæ ab omnibus tran-
235 quillitati. Classem illã celsioris formæ dua-
bus supra quadraginta nauibus constantem
Ioannes Austriacus Regis filius ducebat; pri-
ma ille quidem iuuenta, & bellis inexpertus,
sed cui regius sanguis; facies verè regia; indo-
les, ad ardua quæque par pro ætate, pro re-
rum experientia esset, quæ ante pilos (vt ait
236 ille) non veniunt. Regendæ adolescentiæ
plures

plures additi, fuere : inter præcipuos Carolus Auriç, Turſi Dux, nauticis rebus innutritus, quarum tirocinia ſub Io: Andrea Patre ſummo Regiarum omnium, in Mediterraneo Mari, claſſium Præfecto, poſuerat: 237
quem tamen cum roſtratis, à cætera claſſe, tempeſtas ſeiunxerat; Melchior Borgia, ex Candiæ Ducibus, triremium Neapolitanarum olim Præfectus, .N. de ottiendo nauiũ, Oceani cuſtodiæ excubantium, Sũmus Prçfectus: nautici nimirum omnes, & negotio aptiſſimi; ſi aſtris ijſdem, dirigẽdus eſſet curſus, inter ciuiles procellas, quibus inter Maris çſtus. His Gregorius de Leguia, ad ſe- 238
cretiora miniſteria, ex Hiſpanici Imperij inſtituto, cuſtos non minus; quam Miniſter acceſſerat: mandatorum ſumma erat. Adeſſe Proregi de Arcos ad Res Neapolitanas con- 239
ſtituendas: cætera vt temporum ratio poſceret, & rerum neceſſitas exigiſſet; auctoritati Auſtriaci Principis componenda de Concilij ſententia. Magnos animorum motus tantç claſſis aduentus fecit. Plebs quidem, quæ ſç- 240
pius irriſerat, pleroſque eiuſdem rei rumo-

res

res vanos, irritosque; & vsque ad dicteria prolapsa; scripto per celebriora Ciuitatis loca edixerat, more rerum amissarum; vt quã quisque de classe Hispanica nactus esset notitiam nunciaret, interdicto ijs sacrorum vsu, qui reticuissent. Visa, ex inopinato, tanta classe, auditoque fragore, tot vndique perstrepentium bombardarum; quæ ex tribus arcibus, ter repetita explosione, venerationis officia erga regiam prolem peregere: quo ingenti strepitu, immota aliàs templorum, firmissimarumque ædium fundamenta ipsa,
241 concutiebantur: Auribus illa, animisq; capta, deiectaque, & attonita similis, nullum expedire consilium, præter illud, quod, cum sit consiliorum omnium radix, & fundamentum, consilij nomen dedignatur, & respuit
242 Natura ipsa à prima pueritia omnibus insitũ. Ad Deũ confugere, miserentisque illius opẽ, per compita, per plateas, magnis flebilibusq; vocibus; implorare. Dum cordatiores, quique in reddendo obsequio, spes omnes iam diù collocatas habebant; missis, ex suo corpore, pluribus; non sine magna donorum

aflu-

afluentia; Austriacum colunt, & venerantur, 243
fęlicissimum eius aduentum gratulari; eam-
pręseferentes spem: miserias fidissimi Populi
celsitudinem suam non diutiùs laturam. Cultum eundem, sed animo longè dispari erga Austriacum; exhibuit Prorex, tempus aduenisse ratus, quo publicas, priuatasque
iniurias vlcisceretur, tantamque contuma- 244
ciam, quam lenitate aluerat, seueritate domare. Parum gnarus: iratum æque, ac timidũ medicum ineptum curationi esse, & importuna remedia morbos non expellere, sed irritare; sæpèq; sępius: ægritudinis impatientia, mortem accelerari.

Austriacus verò omnibus ęquus benigni- 245
tatem, miserationem, clementiãq; ostentare; sed concinente Aulicorum choro infra dignitatem Regij sanguinis, regia iussa deserẽtis esse: armatis se committere; intutum si perduellibus, indecorum si fidis: auditus
propterea lætissimis animis Andreas Politus, 246
legationis illius Princeps; affirmare ausus antequam exscensionẽ è classe faceret Austriacus; Populum arma depositurum; retentus

prop-

propterea, iterumque poſt Collegarum diſ-
ceſſum, ad Auſtriacum admiſſus; eadem cõ-
247 firmat aſſeueratione ea, quæ certius opta-
ret, quam ſciret, certiuſque vellet, quam
poſſet preſtare; illorum ductus errore, qui
morum plebis ignari, ijſdem artibus trahere
imbutam putant, quibus vacuam imbuere
potuere; ſiue veriùs Politus prędictione eo-
rum, quæ putabat euentura auctoris gratiã
captans, & præmia. Nec dubitauere quicũ-
248 que ante Auſtriaci adeuntum, rem ad regi-
as partes attrahere, cæperant, eo preſente,
audaciores; ardentiùs negotium vrgere, plu-
reſque in ſocietatem conſiliorum aſſumere:
aliquos, ſpe pręmiorum, non paucos amo-
re partium meliorum, & quietis, cæteros
futurorum prouidos; ne poſtremi videren-
249 tur; vt enim, inclinata iam repugnantium
militum fuga, potiores habentur, qui primi:
non ſecus frigeſcente palam ſeditione; vna
250 inter Populi Primores cõtentio inerat; ante-
uertendi cæteros. Iam tum Arpaia Populi
Delegatus, numero etiam fretus, ingentiũ
quoque, ſpe præmiorum ab incendio lætis

(vt

(vt ferebatur) corruptus; magna moliri; conuocato namque ad S. Augustini Populi consilio, qua incutiendo à tãtis viribus metu, qua celebratis benignitate, & clementia Austriaci; spem excitando; verborum lenocinio, quanto potuit; auctor fuit: vt retentis tribus pręcipuis conuentionum capitibus: de abolitione vectigalium: obliuione sequu- 251
torum, & pari cum nobilitate iure; cętera, ad summam rerum parum profectura, in gratiam Regij Principis, tot maris spatia, tãto cum vitæ discrimine, ipsorum gratià; emensi; remitterent. Sed non tam frustrà, quam non sine magno vitæ periculo: reclamantibus humilioribus, qui numero feroces 252
arma concutere, minari, Delegatum proditorem fidissimi Populi truci voce, vultuque identidem appellabant: verbisque laceratum, manibus violassent; ni accursu meliorum, protectus, se subduxisset. Consilio meliori, 253
sed eadem fortuna inclinatas res propellere tentauit Toraltus: Populum, quem diuersę ad resipiscendum causæ vrgebant, retinebantque non vniuersum simul, sed per par-

254 tes aggressus. Conuocatis igitur ad Principem sacram Ædem Primoribus Populi: ijs prçcipuè, qui secum sentiebant, haud gra-
255 uatè ab eis, auctoritate Cardinalis adiutus, obtinuit; vt arma ponerentur, exscendentique in terram Regis, ac Domini filio, togatus obuiam iret fidissimus Populus; & ab eius clementia commoda omnia expectaret: haud quaquam defutura; præiudicata iam opinione Proregis, qui accedente auctoritate vtriusque Senatus in eis conuenisset, iùrassetque. Inde, re fçliciter cæpta, ad eam conficiendam, triginta, & ampliùs ex gratiosissimis comitatus in equis advolat ad eas Ciuitatis regiones, ab illo hominũ genere habitatas, qui vilitate sua tuti, & paupertate securi, altiùs imbiberãt virus seditionis; apud quos cum nullam æqui, nullam honesti, nullam Reipublicç curam esse sciret, singu-
256 las regiones alloquutus, tamquam de illorũ vita solicitus, classis vires extollit, in qua tot essent in procinctu maiora tormenta, quæ vnica explosione, vniuersam possent Ciuitatem subuertere.

Qui.

Quibus, qui obsisti possit cognitum, pauco-, rum retro dierum experimento; dum vix ea-, dem, sed longè debilior ingrueret ex arcibus,, quas vt cuniculis euerti posse sperarent: qui, cuniculi in mari? qua ratione, omni nautico, apparatu destituti, tantàm classem oppugnatu-, ri? vllæ ne manus nando, classem illam Ocea-, ni dominam, Battauorum terrorem excinde-, re putent? ,

Reclamantes adhuc, renuentesque, pro- 257
futuro mẽdacio vsus, admonet: frustrà eos, & in ipsorum tantum perniciem renuere ea, quæ cæteri omnes approbassent. Sed 258
nihil profecit, eandem apud singulas regiones expertus contumaciam, quam in omnibus simul iunctis timuisset; satis ex eo fœlix; quod incolumis, oneratus licet dicterijs, proditorque fidissimi Populi, sępius, appellatus; 259
ex manibus furentium, ad tutiora Ciuitatis loca, se subduxerit. Interim apud regios va- 260
ria agitabantur consilia; non enim vnus apud omnes sensus.

Erant, qui indignarentur regiam progeniẽ, tanquam in hostico, littoribus arceri; & post,

,, *exutum Regis obſequium, poſt tot cædes, tot*
,, *incendia, tot rapinas eò deueniſſe perditorum*
,, *audaciam; vt ſe componere auderent cum Re-*
,, *gis filio, eidemque tamquam victo imperandi*
,, *præſcribere leges, quos decuiſſet, de ſalute tan-*
,, *tummodò ſolicitos; erratorum veniam ſupplices*
,, *poſtulare: ſatis peccatum inertia, vel (ſi leuius*
,, *accipiendum ſit) lenitate: ſeueritate periclitan-*
,, *tibus rebus ſubueniendum, & male domitam*
,, *Plebem, ad officium reuocandam. Quid ex-*
,, *pectandum? quæ alia claſſis? qui alius miles?*
,, *niſi è Gallia & miles, & claſſis cuius non va-*
,, *na eſſet expectatio, quæ iunctis cum perduelli-*
,, *bus viribus, eorum nutantes animos obfirmet,*
,, *contumaciam augeat; haud dubiè in defectio-*
,, *nem deſituram. Quin potius vterentur tem-*
,, *pore, viribus, occaſione, Ciuitatemque tribus*
,, *firmiſſimis arcibus inſeſſam, apertamque præ-*
,, *ſidiario militi genere, & numero firmiſſimo,*
,, *tantæque claſſi expoſitam, à nobilitate deſertā,*
,, *malèque concordem, ſcelere interuerſam vi re-*
,, *ciperent, docerentque, punitis perduellibus; le-*
,, *gitima pati imperia.*

His accedebant incendio læſi, & vectiga-
libus

libus impliciti, quorum numerus, & auctoritas grauis apud Proregem erat; qui omnes, rerum priuatarum salutem nullam, in pace; 261
omnem in victoria repositam habebant. Cōtra alij, & prudentiores.

Quo propior spes victoriæ esset, eò faciliùs 262
parcendum vincendis illis, quorum iactura ipsos affligeret: & nunquam melius vti Principem oportunitate, quam ad subditorum salutē: recipi, non deleri pulcherrimam, opulentissimāque omnium, quæ sub Cœlo sint, Ciuitatem; oportere; quam funditus interituram, nemo nō videt, tot insimul ingruentibus armis. Iure gentium, acie profligatis hostibus parci; arma abijcientibus, ignoscique in victoriæ præmium; quantò cōmodiùs pacis decora, & fructus seruentur in ciuibus quiescētibus, seruitio paratis.

Quæ verò, augendæ inuidiæ, obijciuntur; qualiacunque tandem sint; placuisse Proregi, toto astipulante Senatu, excepta literis; publicata edictis; consignata monumentis; iureiurando firmata, quæ licet metus extorserit, non adeò contemnenda, vt decepti Populi fidem dediscant, quam male seruauerint, si non habe-

ant:

, ant: & arctiùs stringere, natura auspice: ex
, necessitate vincula, quam ex voluntate iura
, Ciuilia, quæ inter armorum strepitus non ex-
, audienda auctor est Marius. Quid enim
, ineptius, quid perniciosiùs Principi: ea disrũ-
, pere dominationis vincula, iuramentorum;
, quibus tantummodo connectentur Principatus
, & subiectionis commercia: actum est de domi-
, natione si omnia reducantur ad vim; quæ nũ-
, quam sine periculo fuit, contra arma tenentes,
, incertissima semper Martis alea. Quid si
, Plebs, elusa iuramentis; sanior Populi pars
, fraudata spe, omnes desperata salute; in rabiẽ
, acti, obdurent animos, erigant corpora, vim
, vi repellant, & experiundo edocti, non eadem
, facilitate bombardarum ictus hominum mem-
, bra discerpere; qua sonitu aures obtundant;
, numero feroces, præcisis omnibus reconciliatio-
, nis vinculis hostiles prorsus animos induant?
, Nos quatuor, vel ad summum, quinque millia
, hominum, resistere poterimus tantæ multitu-
, dini pro aris, pro focis, pro salute in sua terra
, pugnantibus? sed resistamus virtute militum,
263 , firmitudine arcium, classe inaccessa: quid re-
gnum

gnum uniuersum, regnique Incolæ vix, ac ne vix quidem tot pollicitationibus cohibiti? ferēt, ne Neapolitanos à quibus immunitatem, libertatemque habere profitentur, à tantulis nostris viribus opprimi? Quin exemplo deterriti, seu verius edocti, undique certatim concurrent ad delendos fidifragos, collocandamque in tuto super expulsione hispanici nominis, vsurpatam libertatem? Quos irruentes, vt spem faciant, Deus Optimus Maximus legitimi Imperij Vindex, & Austriacæ pietatis fautor; Nobilitatis fides, cæteræque Imperij vires, auspicijs præsentis Austriaci; sustineri posse: neminem non videre bellum ciuile atrox, cruentum dubijque euentus oriri; difficillimisque temporibus; tumultuante Scicilia turbata Tarraconensi Prouincia; hostilia meditante Lusitania Cisalpina Gallia inuasa vastato vsque ad Oceanum Belgio: Rem sanè importunissimam, & periculi plenam. Quin longè satius: rebus in tuto, aduentu tantæ classis collocatis; expectare Plebis pœnitentiam, cuius non leuia vndique apparent inditia, incolumemque Ciuitatē, & Regnum, absque vllo discrimine; Regū,

optimo

, optimo conseruare. Errare, de more, vulgũ, , putantem facilè morbis, & impetu corpora , nostra lædi: non nisi tardè, & longiori mora , valescere. Vtrũq; ex falso, cum natura, ni- , hil sine distãtia; cuncta gradatim; promptiùs , sibi congrua, gignat. Corruptis debemus id , moribus, qui intemperãtia sæuos hospites, cũ , iucũditate accersant, quos non expellant, sine , mærore. Tertiũ vix mensem euolui ex quo , pluriũ retrò annorum intemperiè, morbus in- , saniẽtis Plebis erupit; exarsitq; & iam desæ- , uire cæpisse, nec Medicos deesse Cardinalem , , Toraltũ, Arpaiam, cæterosq; , qui conatus se- , cũdent. Peccaturos propterea in perniciem , resipiscẽtis, omnes, qui breuioris moræ impa- , tientia, interturbabunt.

264 Cum itaque dubius non esset, in hanc sententiam; meliorum assensus: eò impensius cauit Prorex, in contrarium præceps, ne de tanta re ad concilium referret, docuitque: nusquam magis alieno consilio homines egere, quam dum confidentius vtun-
265 tur suo. Non tamen defuere ex honorario collaterali Senatu plures, qui ex silen-

tio

tio Proregis. animum interpretati, codicillis ad Melchiorem de Borgia, communi consilio compositis (Princeps Celemaris Marchio de Oleuito; Dux salli fuere) hominem admonebant, quanta cum rerum iactura, armorum discrimini exponerentur ea, quæ consilio, quam tutissime confici possent. Sed nihil valuere apud Borgiam, 266
causantem: Austriaci prouinciam non esse, res Neapolitanas constituendi; sed Proregi constituenti adesse, More Procerum Hispanorum animis ingesto; qui Imperij ad se pertinentis retinentissimi, alienis ægrè porrigunt manus, refugientes, ex æquo; immiscere se fœlicibus, tamquam minores, improsperis, tamquam participes. Ast Prorex; 267
consilij certus; vrgere destinata: quos ex Populo spe, vel præmio, asciuerat sibi, blandè appellare, virtutis, fidei, promissorum admonere, onerare promissis, plures allicere; eos præsertim, quos seu sors, seu ratio opportunioribus Ciuitatis locis imposuerat; omnes intendens neruos; vt honestior pars illa Populi, quæ timore Plebis, contra obsequiũ

Regis induerat arma, ea verteret volens, ad asserendum; cuius pars non exigua, sub suis centuriata Pręfectis, iam erat in procinctu.
268 Et cum perspectum haberet, magni ad fęlicem rei exitum ponderis futurum, si Cardinalem in consiliorum societatem attraxisset; ablegato ad eum Palatino sacellario rogat; diuinam vt opem ad cogitata fęliciter peragenda pręcibus imploret: haud obscurè significans, armis se Regium Imperium, apud per-
269 duelles asserturum. Id quod auersatus Cardinalis, eodem internuncio primò; iterum, per insignem pietate, ex Frãciscana familia Hispanum, sciros, nomine; iterumque, ac tertiò, per Prætorianorum Pręfectum; etiã atque etiam monet, rogat, & obtestatur; vt à pręcipiti consilio animum auertat, obfirmatũque sentiens: pudorem eius aggreditur, & in mentem reuocat; nedum, tam atroci facinore, diuinum numen irritari periurio, quod frustrà pręcibus fatiget; sed ipsius Cardinalis maximè lædi existimationẽ, qui apud Populum, sæpius pro pace, pro conuentis, pro Prorege ipso; fidem interposuisset suã:

sed

ſed occalluerat adeò rectis conſilijs animus vt proferre non dubitauerit.

Crine ſe, plebeiorum manibus; ad vltionem trahi; quem, non niſi, Saulij cura, ictus à iugulo auertentis; ab interitu vindicaſſet. Suam igitur non minus, quam publicam vlturus iniuriã, inſtigatore ſummo inſpectore illo, quem puero etiam Maſanellico adulatũ, memorabam, ſibi in quacunque fortuna ſimili; æquè nimirum elato in proſperis, ac in aduerſis deiecto, concocta conſilia non diſtulit diu, ſed quartò ab aduentu Claſſis die, compræhenſis Politijs, Baronijs, Gafferijs, alijſque, proximarum turbarum Ductoribus, illo eodem mane, pacis fiducia, Palatium ingreſſis, quibus non multò poſt tormentis prius vexatis; guttura frangi laqueo iuſſit; retentoque Ottiuiano Marcheſio, apud Populum curulium tormentorum ſummo magiſtro, quęſito prætextu, exortæ cum Gaſparo Sangrio rixæ, circa meridiem; vires omnes, contra, nihil tale opinantes, Neapolitanos, pactam, iuratamque expectantes pacem, implorantesque, effudit. Quatuor mutilę le- 271

 giones,

giones, Hiſpanorum tres, reliqua Neapolitanorum; cum claſſe aduenerant, quibus reliquiæ, nauticæ veteranæ immixtæ erant; omnes trium millium capitum numerum; non explentes; quibus acceſcere Hiſpani ſexcenti, quos Monroius Tribunus non multò poſt adduxerat ab Hiſpania. Dyniſio Guſmanio Hiſpano Caſtrorum, Barone Vuatẽuilio ſequano tormentorum currulium sũmis Magiſtris, Ducibuſque. Ex hoc genere militum; duo mille quingenti in terram, eodem die, expoſiti adſuere Proregi; quibus totidem ferè, ex præſidiaris, reliquiſq; peditatus, & equitatus copijs, fortiſſimaque extraordinariorum cohorte; adiunxit. Tanta hæc militum ſelectorum manus; quam, dẽſatam fronte, extenſam lateribus, firmatam ſubſidijs (quatenus natura loci pateretur) vna ingruentem; nulla ſuſtinuiſſet obluctantis Plebis vis, nulli viarum anfractus, nulla ædium firmitudo: ſed quaquauerſus arma, igneſque intuliſſet; obtriuiſſet omnia, obtinuiſſetque; diſperſa diuulſaque ad oppugnationem immittitur, quaſi ratio ſedulò quæ-
reretur,

reretur, qua longè maior imbellium numerus, paucorum virtuti posset ęquari;& quasi, non de opprimendo; sed de gerendo bello, solicita; in cuneos distribuitur; quã plures ad occupanda insidendaque munitiora Ciuitatis loca, non pauciores per planiora ad excindenda seditiosorum cubilia disperguntur. Sed vt illis pronum fuit; pleraque astu Toralti, præsidio destituta; obtinere; Pizosalconum, Mortellas, Sorursulã S. Mariæ ad Mõtes; ita his longe diuersa fortuna fuit; nam irrumpentibus via Toletana, per nobiliora, & à nobilioribus habitata loca, cessere omnia, vsque ad Ciuitatis portas, Mediniam, Sanctique Spiritus, cum portis ipsis: prodentibus Mario Armirante, & Onufrio Amarena custodibus. Qui verò ad interiora ferebantur, per incoronatę, & portus vias, plebeis habitationibus frequentes, tantæ rei, numero, ac robore, impares; adiuti licet fulminantiũ ab arce, totaque classe maioribus tormentorum globis; parũ processere; vt qui longius per Incoronatæ (inter quos iustus Manipulus fortissimæ extraordinariorum cohortis 272

repu-

pugnabat) tardati primùm ad S. Iosephi, tumultuaria quadam munitione; eaque ex arce bombardis disiecta, ab illis, qui ad Lobranias, Mediceasque firmissimas ędes refugerant; nō sine multorum sanguine, vix ad nouas S.Ma-
273 riæ sacras ædes penetrare potuerint. Qui vero per Portus (quasi futurorum prouidi) ab ea parte oppugnationem expectarēt, satis habuere: firmiores erigere munitiones duas ad S. Mariæ visita poueri alteram, alteram ad
274 Montis Serrati, quibus aptatis ad munitionē illam ante Castri noui portam, quæ à cornuto opere, dimidiata Luna, militari vocabulo, dicitur; res ab ea parte, à qua periculum timebatur collocatę in tuto videri poterant, extorta, huius generis munimentis, ab auctoribus ipsis; confessione imbecillitatis vel vi-
275 rium, vel consilij: cuius quidē infœlicis consilij, nec participem, nec cōscium fuisse Toraltum; docent codicilli, per eum ad Proregem, dum ea geruntur; compositi. Quibus præfatus: credere se, mentē excellentiæ suæ, eam esse, quam profitebatur (excusauerat nimirum Prorex apud hominem fidei tenacissi-

cissimum, cuius indignationem verebatur, atrocitatem facti aliquo verborum velamento) subiecitque. 276

Quæ vero (ipsissima codicillorum verba ,
refero) gererentur patere omnibus, in sua cer- ,
tè potestate non esse: fidissimum Popolum con- ,
tinere , ad sui defensionem obfirmatum, semper ,
tamen paratum se obsequio Regi, Austriaco , ,
Excellentiæ suæ debito. Quod, si videretur ei, ,
Austriacoque; ea præcauere, quæ imminerent, ,
in eorum esse potestate militem reuocare, fidem- ,
que insuper adhibere Patri Lanfranco (ex Cle- ,
ricorum Regularium familia præcipuo) quem ,
adlegabat. Aliàs edicere se, Deo teste, qui bel- ,
lum suadeant: eos contra Regem niti, vt Re- ,
gno spolient; cæterum gestorum hactenus, im- ,
munem se culpa esse, quæ post hac gerentur qua- ,
lia futura sint, viderit Excellentia sua. ,

Nec Toraltus Proregi de Populo mentiebatur, qui quo spei propior, Austriaci aduẽtu, & prædicata benignitate; eò pronior in desperationẽ fuit: dum se, imagine pacis deceptum, hostiliter peti sensit. Incusata igitur magnis vocibus Proregis, & Hispanorũ per- 277

fidia,

fidia, arma inclamat, nec ſegnius in arma
ruit, cædibuſque, & cruore omnia replet:
ipſoque corporum obiectu obſepit vias, adi-
278 tus intercludit. Licet namque pars illa Ple-
bis, quæ pace turbulentior, bello ineptiſſima,
tot vndique reboantium tormenturum ſtre-
pitu conſternata, per cōpita omnia, per pla-
teas, per ſacras ædes, diſcurreret quaſi ſana-
tica; viri, fæminæque tenſiſque manibus, &
paſſis crinibus pacem, veniamque flagitarēt
magnis clamoribns; robuſtior tamē ętas, cui
facilè erat, ex meditata illa, contra pactorum
fidem, armorum impreſſione, promiſcua
interpretari: nullam cuiquam niſi in armis
ſpem reliquam; pro vt ſors cōglobauerat, vel
mutui auxilij ratio coniungebat; obſiſtere
ingruentibus; perque viarum flexus, & do-
morum feneſtras, culminaque miſſiliū glan-
dium procella crebra vulnera, & cædes inter
milites ſpargere: eo maiori regiorum iactura,
279 quo contractior numerus. Qui plura licet
præclara edidiſſent facinora, nec vnquam
collato pede pugnaſſent, niſi victores; cædi-
bus tamen, vulneribuſque rariores, tardio-
reſque

resque vlterius progredi prohibiti sunt, spatiumque dederunt Populo; intersepiēdi aggeribus viarum angustias, firmandique mu- 280
nimētis opportuniora ædificia in propugnaculorum modum; quodq;, haud dubiè maximum, & perniciosissimum regijs partibus fuit; experiundo cognoscendi: vires suas copijs ab illis inexpugnabiles, ea cõfidentię accessione, vt serò eiusdem diei regias stationes omnes, perpetua velitatione, veluti expugnaturi infestare auderent, Antoniumq; vul- 281
go Tonnum Vechionium, ex summis Instructoribus suis, præcipuum, in regias partes transgressurum ausum auctoritate, & exēplo palam atrahere ad eandem multitudinē, capite truncauerint, ad Sanctæ Mariæ Maioris.

At Prorex, in arce tutus, inflatusq; cre- 282
bris suorum nuncijs, de fœlici rerũ successu; deq; insessis superioribus Ciuitatis locis, portisque, quique gratissimo fruebatur spectaculo, dum cerneret plures ex regionibus illis, Palatio vicinioribus, quę ex ante condicto, ad primam impresionem regias partes pa-

 làm

làm induerant, appellato Regis nomine; ar-
ma in arcis fossam (prout ipse faciendum
283 edici iusserat) proijcientes ; iam spe vora-
uerat integram, absolutamque victoriam ;
cuius, tamquam prænuncios, accipiebat cla-
mores illos, pacem, veniamque inuocan-
tium : quos, ad longè minorem ex arce
tempestatem; expertus fuerat optatissimi te-
284 stes obsequij. Nescius: longè diuersam exẽ-
plorum, in ęstimanda similitudine, ac pictu-
rarum rationem esse non lineamentis tantũ-
modo conferenda, sed causis, quibus ne-
glectis, consilia non instruunt, sed corrum-
punt. Terror tunc traxerat ad obsequium
285 Populum, spei plenum, oneratum promissis,
iuramentis fidentem: accesserat verecundia;
quia, ad propulsandam, non inferendã vim;
incussus fuerat, verecũdięque iungebatur fa-
cilis, & obuius, ad quietis consilia, Proregis
animus, à Populo creditus: certus propterea
præcum admittendarum, sarciendæque cõ-
cordiæ, quam ipse fortuita, leuissimaque de
286 causa violasset. Sanè, longè maior hic ter-
ror, toties multiplicatis terroris imaginibus:
sed

ſed terrori, ira adiungebatur, & indignatio, quod hoſtiliter ſe, ſpreta promiſſorum fide, violata iuramentorum religione per ſummã diſſimulationem ad internecionem peti ſentiebat:accedebat, & deſperatio, qua nihil ab armata multitudine arcendum longius: in armis omnem reponẽte vel ſpem ſalutis, vel vltionis ſolatium. Sed altius infixum Pro- 287
regis animo hærebat conſilium ſuum, quàm vt primo ſtatim monitu abijci poſſet; auditaque, repugnantis Plebis conſtantia; tunc fortè interpellauit Toraltum, oſtentata veniæ ſpe; meruitque à militari viro, inter armorũ ſtrepitus, militari libertate coargui, vt memoraui. Certè nõ deſtitit, ſed probato ſuo- 288
rum conatu, qui ad incoronatæ, & Portus loca, quæ obtinuerant, muniuiſſent; iuſſit (prohibentibus tenebris: manu exequi, oculis imperuia; cęcis bombardarum ictibus, ex tribus arcibus, tantaque claſſe; planiora Ci- 289
uitatis, per totam noctem euerberari. Qua nocte nullam vnquã videre Neapolitani teeriorem nullã concepere animis terribiliorẽ: dum fulgentibus vndique perſtrepentibuſq;

in ipſorum caput, tot bombardarum fulmi-
nibus, quibus Cœlum ipſum ruere, terra ſe-
dibus conuelli ſuis; crederetur pro ſe quiſque
inter ędium ſuarum ruinas, fœminarum,
puerorumque ploratus, ne conceſſo quidem
honeſtæ mortis arbitrio, ſuam, ſuorumque,
& Patriæ calamitatum vltimam lamentaren-
tur. Dum lux, quæ calamitoſis miſerias ſuas,
per oculos, admouere propius animis ſolet,
altiuſque infigere Populo Neapolitano pe-
290 nitus leuauit eluſitque. Aperuit namque
quaſdam, ex magis inuriæ expoſitis Ciuita-
tis domos; dirutas, illas, quidem, perforatas
plures; neminem tamen ex tanta multitudi-
ne læſum: haudquaquam digno tanto moli-
291 mine pręrio. Quinimò ruinas ipſas, præſi-
dio eſſe; quarum ruderibus, velut aggere fir-
292 miſsimo interiora fierent tutiora. Quæ, quò
magis extra omnium expectationem appar-
uere, & lætiora in vulgus, maiori applauſu
accipiebantur, & vt eſt Gens in pietatē pro-
na, Diuino Numini accepta, Deiparæque
Matri referebātur, cui dies ille Dominicus,
illuceſcebat, anniuerſaria feſtiuitate dicatus:

ad

ad gratias per Vniuerſum Chriſtianum Or- 293
bem referendas: ob partam, olim, illius au-
ſpicijs ad Actiũ, cõtra Turcas; ingentẽ victo-
riã. Omni igitur timore depoſito alacres, 294
& confidentia pleni, vndique coorti; in re-
gias ſtationes aduolant, & ad omnia ſuperã-
te multitudine, contempto mortis periculo,
audaciſsimè pugnam cient, nec parcunt con-
uitijs: proditores identidem Hiſpanos, per-
fidos, periuros appellando. Et licet ex mu- 295
nitionibus erumpentes præſidiarios, pede
collato, ſuſtinere non auderent; ex longin-
quo tamen, feneſtriſq; domorum, quas (per-
foſſo pariete) ſibi peruias fecerant, feroces;
magnam edebant cladem, quam fruſtrà vlci-
ſci tentabant Regij, incẽſis domibus propin-
quioribus; cum aliæ, atque aliæ ſupereſſent;
ex quibus eadem peſtis immittebatur, ipſiſq;
intutum eſſet, numero ſemper paucioribus;
longius à munimentis recedere. Atrox ſa- 296
nè, & miſeranda Ciuitatis facies illo, & ſub-
ſequutis diebus, vbi tot armatorum millia,
pluribus eodem tẽpore locis, ad internecio-
nem pugnabant: tanta animorum corporũq;
con-

contentione, vt aggreſſorem non diſcerne-
res à propugnatore; vlciſcentem à prouocã-
297 te. Vbi tot acies, quot viæ; tot oppugnatio-
nes, quot domus: tot Duces, quot milites:
Vbi parietũ ruinę frequentes; continui tym-
panorum, armorumque ſtrepitus, ſcloporũ
ictus, bombardarum fulmina, immixta cla-
moribus inſultantium, morientiumque ſin-
gultibus: ſonum edebant, quo apud tartara
triſtiorem, terribilioremque vix conciperet
298 humana mens. Infinitum propè eſſet, nec
prætium operæ ſpeciatim recenſere: milita-
ria facinora omnia ab efferatis in mutuam
perniciem animis illo edita, & ſubſequutis
diebus; quæue opugnata fuerint, quæ expu-
gnata; quæ & quoties defenſa, receptaue.
Generatim dicam: nullam fuiſſe Ciuitatis re-
299 gionem paulò celebriorem: nullam viam
commeantibus opportunam; quæ aliquod
ex infortunijs, quæ recenſebam non ſubierit;
plures omnia. Inſignia fuere tum perſeue-
300 rantia certaminis, tum victoriæ fructu: hor-
rea publica ad Medinę Portam: quæ, primo
impetu, à regijs occupata, diuq; acriter de-
fenſa,

ſenſa, ipſarum mẹnium munimento; quæ
tamen Populus mẹnibus perforatis, magnaque
edita extraordinariorum cẹde, recepit;
ingẽti partium commodo auecta inde ad interiora
Ciuitatis magna frumenti vi; quod
ipſum regij, inutili ferè conatu, ob paucitatẽ
moliri cæperant, dum loco potiebantur.
Magno pariter partium ſanguine ſtetit, mu- 301
nimentum ad S.Sebaſtiani; apud quod, tanta
animorum, virorumque contentione pugnatum
eſt; tantaque rerum viciſſitudine,
vt quater vtrique parti victoria affulſerit; tandemque,
vt fere neceſſe erat, in tanta vtrinque
pertinacia, diuulſi pars ſuperior apud
Populum manſerit, inferior apud Regios.
Ad vtrumque telonium tum maicus, tum 302
farinæ atrox, cruentum, & ſæpius renouatum
certamen fuit; quorum poſtremum
apud regios perdurauit, poſitum licet inter
plebeiorum præſidia, cum à mari triremes,
præſentiſſimum eſſent regijs preſidium;
prius verò firmitudine operis apud Populum
manſit: expoſitum, licet, fulminantibus
ex arce Caſtri noui bombardis. Sed in- 303

ter

ter omnia munimenta, opportunitate loci;
operis firmitudine, exitus fœlicitate; pręci-
puum fuit terreus agger, elatior; fronte,
lateribuſque firmiſſimus, quibuſcunque ab
arce currulium tormentorũ fulminibus im-
penetrabilis; quo, in ipſo quodammodo Ca-
ſtri noui ore, non magis in oſtentantionem
virium, quam contumaciæ; viam Portus
obſepſerat Populus; arcemque ipſam, per-
304 petua tormentorum exploſione, habebat in-
feſtam, quem fruſtrà Regij ſepiùs, ſumma
vi aggreſſi; ſemper multo cum ſanguine, pro-
pulſati ſunt, propugnantibus egregiè Popu-
305 laribus: tamquã pręſentiſſimũ ſalutis, vitę,
& fortunarũ omnim pręſidiũ. Aſt quaſi tot
arma, tot ignes, tot ruinæ, tot cædes ſatis nõ
eſſent ad animos irritandos, efferandoſque,
res accidit, modica illa quidẽ, ſed ex illarum
genere, quæ ad inſtar paruæ per aera Nube-
306 culę; magnos quandoque fluctus ciere ſolẽt.
Ab vſque Maſanelli temporibus, eiuſdẽ iuſ-
ſu: pręforibus domorum omniũ, ſuſpenſa
ad venerationem, expoſita fuerant inſignia
Regis ſimul, & Populi; non ex toto per gẽ-

tis

tis vanitatem, ſed ex Genuini conſilio: ad inſinuandum, cuncta infra Regem, & Populum eſſe: vt quacunque ratione poterat Nobilium animos frangeret, potentiam euerteret. Inſignia hæc Populi in regionibus illis, 307
quæ palam regias partes induerant, è domorum foribus detracta fuere, retentis regijs:
Nullo (quod referre poſſim) expectato Proregis iuſſu. Neque enim apud ſolicitos, pur- 308
gare ſe apud Dominantes; affectatæ libertatis ſuſpicione; requirenda ſunt iuſſa, vt dictis, factiſue omnibus teſtentur ſeruitium, quod tunc iactantius faciunt; dum, quam exuerũt re, induere ſpecie poſſunt libertatem, exquiſitiſſimo adulationis genere, quod nec defuiſſe Tiberianis tẽporibus admonuit Prudentiſſimus. Sed, quacunque tandem ratio- 309
ne; ſiue expoſita, ſiue detracta fuerint Populi inſignia illa; certè vbi detracta ſenſit Populus, publico conſilio, & ad ſui iniuriam, & dehoneſtamentum factum interpretatus; exarſit adeò, vt arma illicò ſumpturus fuiſſet, ſi inermis eſſet; armatus autem, quaſi 310
redditurus talionem, ſeque per ſummam

Eee arro-

arrogantiam cum Rege, ac Domino suo cõponens, regia insignia, imaginesque vbique venerationi, & cultui exposita, suis retentis; deturbare, ac solo affligere; nec ijs quidem parcere, quæ in aditu ædium Cardinalis præfulgebant; quin nec pendentibus, de more,
311 in Principe sacra ęde pepercisset, ni Cardinalis, obiecta animis furentium religione; ne sacer violaretur locus; totis viribus obstitisset.

312 Hinc factum: vt obsequium illud insitũ, inueteratumq; Neapolitanorum animis erga Regem suum; quod, excusso dominantiũ iugo, non exuerant; quod Prorex publicam frangendo palam fidem, quod classis, exercitusque regij omni genere hostilitatis labefactare non potuerant, præpostera quorumdam, & in re leuissima, adulatio profligauerit; vt post hac mirari desinamus Monstri tetritatem, quæ tantæ atrocitate iniuriæ, tantisque viribus valentior fuerit.

313 Toraltus, inter hęc, faciliùs damnare, quę vtrinque gererentur omnia, quam per se satis expedire, quid sibi faciendum esset, & experi-

periundo cognoſcere. Arduam rem eſſe inter furentes agere cordatum Ducem; inter diffidentes verò addictam ſeruare vtrique fidem; impoſſibile. Cum autem infœlici il- 314
lo cõſilio, nullum ſibi reliquum feciſſet ceſſandi locum, neceſſariò conſequebatur; vt ſcinderetur in partes; animo regius, corpore popularis; rurſus ſubſcindendus, quà popularis: Tulli in cauſa Dictatoris Albani contra 315
duplices omnes, ſententia Naturæ vlciſcentis, iniurias; vt homines, qui vnitatis ingenitę negligunt iura; aſcititiæ multiplicitatis experiantur incommoda: certè inter tot, tantaq; 316
conſilij, & fortitudinis documenta, quæ ad ſuſtinendam impreſſionem illam in aperta vndique Ciuitate Populum edidiſſe neceſſe fuit; nullum de Toralto militari viro, & totius Populi Duce dictum, factumue celebratur pauló illuſtrius. Niſi inter hæc cenſea- 317
tur: machinamentũ ligneum, ſatis amplum introrſus patens ad tegendos fiſtulatores, quod rotis ageretur, admoueriq; poſſet hoſtium munimentis, quod magno ſanè apparatu, nec minori ſtudio faciendum curauit;

ſed, cum poſt plurium dierũ moram, nulli vſui eſſet, infamiæ fuit: quaſi non ad propulſandos vel infringendos hoſtes, ſed ad reprimendos, eludendoſque conatus Populi commentus eſſet. Cęterum imputetur ſanè
318 Toralto, quæcunq; à ſuſcepto munere ceſſatio, & inter præcipua; quod magno partiũ detrimento prohibuerit, ne actis cuniculis
319 ſacrę ędes ſacratiori IESV nomini dicatę, ſubuerterentur, è quibus magna longè, latèque plumbeis glandibus Popularium ſtrages edebatur; detur crimini, quod pietatis, & charitatis obtentu; ne omnium, quæ ſub cœlo viſuntur, Deo dicatarum Eccleſiarũ pulcherrima, ornatiſſimaque; ſuorum Ciuium manibus Patria priuaretur; quibus nihil ſanctiùs eſt, quam pro aris pugnare; conſulere voluerit regijs partibus; ne firmo adeò,
320 & opportuno nudaretur præſidio. Certè Eccleſia illa, cuius excidio vniuerſa propè Italia indoluiſſet; cõſilio, & auctoritate Toralti manſit, manſuraque in æuum eſt: ad puriorem religionis, & pietatis cultum, ſa-
321 cra procurante Ignatianorum familia; cuius

ingen-

ingentis beneficij ſplendore; nomen Fran-
ciſci Toralti, vſque adeò illuſtre, apud ætates
omnes futurum eſt; vt aliundè contractæ ob-
ſcuriores notę, non ſecus, ac in Luna, lumē
dum minuunt, ſpeciem reddere poſſint cō- 322
ſpectiorem. Quo verò manu remiſſius To-
raltus, eò promptius verbis regios vrgebat, 323
increpitaque, edicto, perfidia, crudelitateq;
Hiſpanorum, qui promiſcuè in cædes, ſtu-
pra, rapinas, incendia contra nil tale expe-
ctantes, metuenteſque, ſub fide publica
quieſcentes, ſæuiſſent, magna inſuper one-
rat inuidia.

Eos, ne ſacrarum quidem Monialium cœ- 324
nobijs, puellarumque honeſtarum Collegijs, à
quibus iurati etiam hoſtes abſtinere ſolent, pe-
perciſſe. Admonet propterea omnes, & pro
imperio cogit, tum ciues, tum regnicolas; vt
ſumptis armis in procinctu ſint, pro tutela vi-
tæ, & rerum ſuarum: pro priuilegijs, & im-
munitatibus, pro aris, fociſque pugnaturi: ve- 325
tat inſuper, ne cuiquam mortalium commeatu,
pecuniaue adſint; ne contributis quidem quin-
decim illis carolenis, quos Populus ipſe, ſedatis
poſte-

,posterioribus cenamianis turbis, tributi nomi-
,ne; regijs persoluendis, singulis domibus, tum
,Ciuitatis, tum Regni vniuersi indixerat.

326 Huic edicto alia, atque alia addidit, quibus per illos dies nihil frequentius, exigentibus omnium licentia, & tantarum rerum
327 nouitate. Ad ordinandam, præcipuè, inter tot armatos, tumultuantes; disciplinam aliquam militarem; ad expediendum, diuidendumque, inter bellicis operibus, occupatos, aliosque commeatum; prohibendumque, quoad fieri posset, inter solutos quocunque legum metu, vim, & quæ vim sequuntur
328 rapinas, & cædes. Magni momenti fuit illud, de tota re compositum, publicari iussũ, duodevigesimo Octobris die, quod inde typis excussum, per Italiam vniuersam vulgatum est; à manifestandis dissentionis, & armorum caussis, nomen adeptum exponebat.
329

, Fidissimum, erga Regem Hispaniarum,
,Populum nouis subinde, ac grauioribus semper
,pressum oneribus. frustrà implorasse Regis opẽ:
,cum Magistratuum iniuria prætio emptis no-

bilium

bilium ſuffragijs, adeò modum omnem exceſſe- »
rint, vt ſatis conſtaret ſummam nouorum ve- »
ctigalium, paucis retro annis indictorum, ad »
centuplicata centies decies ducatorum millia, »
perueniſſe; tanta inſuper acerbitate ab emuncto »
Populo exacta; vt eam redimere, pacto pudi- »
citiæ ignauarum filiarum prætio, Patres fami- »
lias ſæpius cogerentur. Hinc miſerentis Dei »
impulſu factum; vt plures ætate non minus, »
quam conſilio rudes, egenique arundinibus, »
calamiſque tantummodo inſtructi; Proregem »
de alleuandis oneribus exorauerint, accurſuq; »
cæterorum, puniti fuerint quidam, ex nocen- »
tioribus; quos ſatis conſtabat mala publica in »
ſuam ipſorum vtilitatem traxiſſe; ſeruata ta- »
men ſemper eadem erga Regem fide: cuius no- »
men perpetua acclamatione celebratum, ima- »
gines verò vicatim dicatas impēſiſſime coluiſsēt. »

Iuſtum propterea viſum Proregi, vtroq; »
aſſentiente Senatu: exonerare Populum vecti- » 330
galibus omnibus, renouatiſque immunitatum, »
& priuilegiorum tabulis, geſta omnia compro- »
bare; comprobata in principe Ciuitatis Eccle- »
ſia, antiſtite eorum ſummo, & aſtante vtroq; »

Senatu

*, Senatu, vniuersoque Populo, iure iurando san-
, cire. Quibus Ciuitati reddita quies, quam-
, dum turbare seditiosi aliqui tentant, Populus
, verò, retenturus; Proregem adiret; Palatio
, per summam iniuriam à præsidiarijs exclusus,
, hostiliterque sclopis impetitus; arma in sui de-
, fensionem resumpsit, eaque non minus promptè
, deposuit; statim ac, perspectis omnibus, pro-
, batisque, in quæ, auspice Cardinali Archie-
, piscopo, rursus conuenerant; Prorex in arce
, ipsa, iterum, iure iurando confirmauit. Cūq;
, ipsiusmet Catholici Regis conuentorum omniū
331 , approbatio, semper promissa, in summa omniū
, expectatione esset; aduenisse tandem Austria-
, cum, Regis filium, tamquam Cœlo demis-
, sum; ad tot leuandas calamitates, à fidissimo
, Populo, lætissimis animis; exceptum; qui, vt
, optato etiam frueretur aspectu, dum in ma-
, iorem pacati animi, restitutique obsequij, si-
, gnificationem, concessis armis exuti; eius ex
, classe pacificum, tamquam ad suos præstolan-
, tur exscēsum, omni genere hilaritatis prosequ-
, uturi; ex inopinato, arces, classemq; belli cla-
, des omnes, vix in iuratos hostes permissas in*

quie-

quiescentes, & sub fide publica securos Neapolitanos, vomuisse, omnique exuta humanitate, & iuramentorũ religione, sacrarumq; rerum reuerentia, Populum vniuersum cum pueris, fœminisque sacris profanisque rebus omnibus, vno delendis incendio destinasse; Quæ licet ingentia vix suff.ctura videbantur 332 *tot insimul ingruentibus veteranorum millibus, igne, ferroque instructis; eodemq; tempore tribus muralium tormentorum millibus, indiscretis ictibus nil tale meritam Ciuitatem* 333 *fulminantibus. Hinc palam factum nullã, in pœnitentia sequutorum; spem reliquam; nullumque in fide, quocunque iuramento vallata; præsidium: querendam propterea aliundè rerum, vitæque tutelam; nec dubitasse Populũ Neapolitanum, summis precibus; petendam hanc primum à Deo optimo maximo periurijs læso, sanctisque Tutelaribus suis; ipsorumq; virtute, & armis: postque rogare se summisque vrgere precibus, post summum Pontificẽ, & imperatorem; Reges omnes, Principesq;, & Respublicas, & quacunq; ratione possent, fusis saltem ad Deum precibus, fauerent indi-*

›gna patienti Populo Neapolitano pro tutela ›rerum ſuarum, & patriæ pro ſua ipſorum › vita vxorum, & filiorum ſuorum dimicanti.

334 Dum verò diutius moror in artibus recẽſendis, quibus conſumebat Toraltus partes ſummi in bello Ducis; & in non leues propterea incidebat apud Populum ſuſpiciones; quarum non paucæ paulò poſt contigerunt: non quieuerant interea inter furentes arma, quin cædes promiſcuè editę, ædiũque ruinę & incendia magis ſemper, ac magis in mu-
335 tuam perniciem animos irritabant; nec vnquam diù, noctuue intermiſſa tot muralium tormentorum verberatio, niſi tertio demum
336 ab aggreſſione, qua claſſis ſiue experta poſt datas priorum ædium ruinas (haud magno ſanè emolumento, parum contra obfirmatos in contumacia animos proficere; ſiue (vt iactauere Populares) peſſimè accepta à maioribus tormentis illis, quæ plura in maiori
337 ad Mercatum Turri, aptè diſpoſita, certioribus ictibus illam, magna hominum, nauiũque iactura; verberauerant: ſe ad Baias ſedu-
338 xit in tutum, iuſſu Proregis. Qui damnato

tan-

tandem ſæuo, præcipitiq; conſilio, ea quæreret cum dignitatis iactura (vt mores ſuperbi ferunt) quæ vltrò oblata cõtempſerat anteà; & qui initam, coaleſcentemque cõcor- 339
diam, inclementer, iniurioſèque periurus turbauiſſet, pacem primus, propoſito in Caſtri noui arce albo vexillo, à laceſſito Populo flagitare; meruitque à ſuperbiẽte reijci, erecto in Turri ad Mercatum, veluti Plebis regia, in oppoſitum regij nigro vexillo. Tũc 340
introſpexit Prorex anguſtias, in quas ſuas, regiſque ſui res, inconſulto vltionis deſiderio, coniecisſet; & quam non eſſet ſuarum viriũ pertinaciam obſiſtentiũ expugnare; exper- 341
tuſque copias illas ſuas, ſpe victoriæ feroces, nondum cędibus diminutas, nec vulneribus tardiores, expugnatione inæquales, opportunum duxit diminutas, & fractas ad tutelã, & defenſionem munitionum contrahere; 342
ſuiſq; diffiſus viribus alienas reſpicere; Carolumq; Auriæ Turſij Ducem cũ triremibus, & copijs reliquis ab Genua; Dynaſtas verò, 343
cęteroſque Nobiles cum auxilijs ab vniuerſo Regno iteratis nuncijs accerſire: haud dubia

ſpe fretus, tanta virium acceſſione; debellari
tãdem incluſos, terra, mariq; obſeſſos, facilè
344 poſſe. Sed nec Triremes ſatis ſe ex Liguria
expediebant, obſeruantibus maiori cũ claſſe
Gallis, nullam occaſionem rei bene gerendæ
omiſſuris. Nec magis promptum Dynaſtis
erat, auxilia cogere ob inopiam pecuniȩ, po-
345 pulorumque ingenia, vel apertè cum Nea-
politanis ſentientium, vel ſuſpectorum; quos
ȩquè periculoſum eſſet domi relinquere, vel
ſecum in expeditionem ducere. Nec vlla
ſatis recreari ſpe poterat, domandi fame tan-
tam multitudinem, in dies viuere aſſuetam;
cum & ipſe non minori laboraret commea-
346 tuum inopia. Licet enim, interuallis ſuren-
tis Plebis vſus; magnum frumenti modum,
in arcẽ inuexiſſet: qui per plures menſes mi-
liti ſuo ſufficere poſſet; tamen, & qui cum
claſſe aduenerat, non ſatis commeatibus in-
ſtructa, & multo plures è Populo (regioni-
bus ſcilicet illis, quȩ palàm poſt agreſſionem
347 regias partes induerant) non aliunde nutri-
endi; magnam, breui, ipſi penuriam; indi-
cebant. Vt enim Regij poſſeſſis ſuperioribus
Ciui-

Ciuitatis partibus, possessoque mari; in medio positos Populares premebant; vicissim premebantur, & ipsi à Popularibus, obtinẽtibus opportuniora; quæ extra Ciuitatem sunt loca Arenellam, Antignanũ, Vomerũ, Pausilipum obsidentibusque obsidentes. Cũ interim ipsis ex agro Neapolitano vicinis pagis, & muncipijs, quæ ferè omnia cum Popularibus sentiebant; omne genus commeatus importaretur. Illud præterea regijs accesserat incommodi, quod Populares, Molendina Ciuitati opportunissima, ad Nunciatæ Turrim; obtinebãt, & aduersus regios tuebantur egregiè, qui è contra Caietam vsque, vel Castrum ad mare, molendi causa frumentum, mari transmittere cogebantur. Cui incommodo, & damnum illud accessit non leue. Dum rostrata nauis illo muneri addicta, à reliqua classe seiuncta vicinum littus radebat: illius remiges, proclamata libertate, abruptisque vinculis, in terram nauigiũ propellunt, prædæque Retinæ, & Turris ad Græcum habitatoribus exponunt; magno prædatorum, & profugarum tripudio, & Re-

352 Regiorũ mętore. His factum: vt licet num-
quam cessarent hostilia; in oppugnandis prę-
sertim hinc inde munitionibus, fulminanti-
bus etiam identidem ex arce tormentis ma-
ioribus Prorex ineundæ concordiæ aditus
omnes tentaret. Quos frustrà præcludere
studuerat Populus, indicta capitis, & fortu-
353 narum pœna cuicunque, de pace cum His-
panis, fideifractoribus ineunda, mentionem
facere auderet. Frustràque Toraltum cuius
semper dubiam habuerat fidem; (tunc verò
maximè, post vxorem in cœnobium Monia-
lium inclusam, ad expediendam, scilicet, in
arcem fugam) in interiores, & à plebeiorum
354 fęce habitatas Ciuitatis partes, ad incolendũ
retraxerit. Id, quod, non sine vi, cõtemp-
tuque venerationis tanto viro debitæ, factũ
fuit. Centurio, namque, ad regionem Za-
uattariæ quidam, Philippo, nescio quo Cun-
terio instigatore; frequenti milite stipatus,
assumptus in societatem facinoris, quem ca-
su obuium habuit, cum sua quaque cohorte
alio, qui ad Portam Piscium præpositus erat;
ad Domum Toralti, magna audacia vadunt,
fori-

foribusq; effractis, deprehensumque inter 355
militares viros, de re publica deliberantem,
nihil reueriti Maiestatẽ viri, exire domo co-
gunt; equoque impositum ad S. Mariæ gra-
tiarum ducunt; ibidemque habitare; sedesq;
figere cogunt; cum non defuissent in via, ex
fęce illa, qui palam profiteri auderent, eum
tamquam fidissimi Populi proditorem, ad
supplicium duci. Qui constantia illa, & ani- 356
mi firmitudine, qua sæpius hostilium exerci-
tuum fremitus sustinuerat, imaginem illam
mortis tulit intrepidus, & quasi vltrò face-
ret ea, ad quæ tanta petulantia cogebatur;
vultu placido, lenibusq; verbis; probabat om-
nia; & in maiorem fidei suæ pignus à circũ-
fusa multitudine petijt, obtinuitq;: sex sibi 357
è Populo quam fidissimos adiungi; quorum
cõsilio, in rebus arduis; vteretur; inter quos,
& Cunterius fuit, contumeliæ auctor. Hæc
inquam, aliaque haud leuiora, his, quæ ad
obfirmandum, occupatum contumacia, Ple-
bis animum, vel varius armorũ euentus fe-
rebat, vel prauorum suggerebant consilia;
non valuere, quominus Prorex, aliquam

de

358 de concordia sarcienda; iniret rationem, cuius, probè sciret, plures ex Popularium Proceribus, vel tędio præsentium, vel spe futurorum; vná cum Toralto, cupidissimos esse. Primum igitur ad Cardinalem respexit; cuius vt in Regis causa constantiam, & apud Populum auctoritatem, tot experimẽtis habebat perspectam, ita consilium semper fidũ; de postrema haç in Populum impresSione omittenda, non probauisse; hominem seriò
359 pœnitebat. Scripto igitur Cardinalem rogat.

' *Rebus in ancipiti positis, vt sæpe aliàs pro 'sua erga Regẽ fide subueniret, & gratia, qua 'apud Populum pollebat maxima, aliquam, re'integrandæ concordiæ, iniret rationem; fassus, 'in cessatione armorum; spem reliquam positã 'esse.*

360 Ad quæ Cardinalis, qui vix Populi sedauerat iras, contra ipsum intumescẽtes, quasi culpæ affinem, ob violatam illam fidem, cuius sponsor fuerat; nec sedauisset; nisi, vt postulatum ab eo fuerat, palam promisisset: se nusquam imposterum; de pace cum Hispanis ineun-

ineunda interpofiturum: refpondet.

Laudare fe confilium, ferum illud quidem, » fed vnicum: dolere tamen, fidem fuam, quam » toties pro excellentiæ fuæ fide, oppigneraffet, vi- » lem adeò factam, vt nullius amplius vfus apud » Populum effe poffit; faciliufque propterea, ex- » torquenti Populo; promififfe: ea fe impofterum » non vfurum: contra quæ ire nec decorum fibi, » nec excellentiæ fuæ fructuofum. » 361

Qua feueritate refponfi, vfque adeò per- 362
culfus eft Prorex, vt à fede rationis ferè dimotus; poftulauerit; quem, facinoris immanitate, conciliandę concordiæ, obtinere nõ potuerat adiutorem; fectatorem habere vltionis, & crudelitatis. A Cardinali igitur, ex munere Archiepifcopali petijt, vt Populum Regi fuo rebellem, à piorum communione feiungeret; feiuncto nec refcipifcenti, chriftiano ritu; facris interdiceret. Id quod abominatus etiam, atque etiam; fe facturum, negauit Cardinalis, cum diceret.

Sanctæ Matris Ecclefiæ arma, fubfidiaria » Iuftitiæ effe, non nifi contra manifeftè iniurios, » impugnanda, qualem fibi non videri Populum, »

› *Neapolitanum, pro rebus suis omnibus, pro*
› *vita ipsa repugnantem.*

363 Quibus, quasi regia causa, non immanis-
simum ipsius facinus; damnaretur, exclamat
Prorex.

› *Nil mirum si Cardinalis de concordia age-*
› *re recusasset, qui probata Populi causa cum eo*
› *conspirasset; pro hoste igitur Cardinalem cum*
› *cæteris habendum*; Iussitq;, palam, maiorum
tormentorum magistris, vt amplas Cardina-
364 lis ędes quas Populo ante emerat, non longè
ab arce dissitas; destinatis ictibus euerterent,
frustràque conatus sæua mollire iussa Corne-
lius Spinula, qui fortè aderat, cuncta reicien-
do in Plebis furores: subiecit Prorex, ad eum
365 conuersus.

› *Permitteret exequi contra Regis Proditorē.*
Nec permisit, certus prohibere Cornelius,
qui quod iure, precibusque ab impotenti ob-
tinere nequierat, pecunia emit à ministris sę-
366 uitiæ. Quibus facilè fuit, ictuum destinatio-
ni vt plurium fallaci, addito fallendi studio,
iussa fallere, falsa accusatione subnixa. Qua
in re illud contigit obseruatione dignissimū,
ad

ad humani ingenij fastum deijciendum, vt
in contrarijs omninò studijs, inter Proregẽ,
& Cardinalem; præter vtriusque destinata, 367
ille in summo extollendæ regiæ causę cona-
tu; nihil ad eam euertendam validius absur-
dis illis postulatis excogitare; hic verò dum
causã popularem tueri videbatur: nullum ab
ea potentius præsidium, constanti illa reie-
ctione, amouere potuerit. Quis enim cre-
dat: effrenem multitudinem, successibus fe-
rocem, & quæ contra tot arma, totque sæ-
uę mortis imagines; in contumacia mentem
obdurauerat mitibus Sanctæ Matris Ecclesię
monitis cessuram? Quis dubitet asperius ha- 368
bitam; obsequium quoque illud abiecturam
non fuisse, quo religionis prætextu in serui-
tium sentiret se trahi? quo semel exuto; &
gemina quasi contumacia, duplicatis viribus,
certè duplicatis odijs, multiplicatisque ad re-
scipiscentiam obijcibus; firmiorem haud du-
biè, contra Regem Populi causam, futuram
fuisse & ratio dictat, & tristissimi apud Bel-
gas testantur euentus. Sed ad Proregem 369
redeamus, qui reiectus licet à Cardinali nõ

abijcit propterea de concordia, quantum salua dignitate fieri poterat; sancienda, consilium. Componit igitur, die decima tertia eiusdem mensis Octobris, suo, & Austriaci nomine ad Toraltũ codicillos, quibus quàm
370 blandissimis verbis referebat.

Magno se Austriacumq; gaudio excepisse fidissimum Populum, in egregium, & numquã satis celebrandum, debitæ erga Regem fidei documentum; tres nefarios homines, in tanta rerum perturbatione ausos Gallico nomini acclamare, neci dedisse. Proinde dignum videri: tãtam fidem præmijs, honoribusque debitis, prosequendam ab Austriaco. Exquireret igitur Toraltus ipse, quæ cuperet fidissimus Populus, scriptoque excepta transmitteret; Austriaci beneuolentiam, gratique animi erga fidissimum Populum propensionem, re ipsa experturus.

Codicillos hos Præposito Sanctæ Mariæ ad Catenã, clericalis ordinis viro, tradit perferendos, qui non satis per se ausus Franciscũ Antonium Scannauentum Iuris peritũ, vicariæ Iudicem, virum industrium, & partibus fidum; adit; eoque in societatem assumpto;

munus

munus exequitur. Toraltus conuocatis sexuiris, Ottinarumque Præfectis, rem aperit, lectisque codicillis sententias exquirit. Placitum de conditionibus ineundę cōcordiæ agi per Cardinalem Archiepiscopum. Nec mo- 371
ra (suggerente Toralto) Scannauentus ipse mittitur ad Cardinalem. Qui laudata animorum ad ineundam concordiam inclinatione; negat tamen, sæpiùs elusam Pastoris auctoritatem, inter dissidentes, interpositurum iterum ludificandum. Quo ab officio 372
tantò certiùs sibi abstinendum putaret, quo enixiùs à Populo exoratus; palam promisisset; se nusquam, imposterum, de ineunda cum Hispanis concordia; acturum. Cumq; Scannauentus verecundiam Cardinalis aggressus rogauisset. 373

Ne in communi cum Populo iniuria, inclementius, quam Populus vniuersus erga fidei fractores irasceretur; & qui pietate, auctoritate, & munere cunctos præiret; videret etiam atque etiam: ne in condonanda iniuria, subsequi dedignaretur.

Quem interfatus Cardinalis testatur: se in-

con-

» condonanda iniuria omnes iamdiù præiuiſſe
» Chriſti Saluatoris exemplo, cuius vicarias par-
» tes in Populo, indignus licet, adminiſtraret.
» Nec ſe à pio officio tardiorem iniuria fieri, ſed
» ne ludibrio, cum Deo ipſo, teſte in promiſſis
» euocato, ſacra Paſtoris auctoritas exponeretur.
375 *» At verò, ſi (quod Scannauentus aiebat) Po-*
» pulus id cuperet: paratum ſe, commodis com-
» miſſi ſibi gregis, cuncta poſtponere. Iret igitur,
» renunciaret Toralto, concilioque: ſe partes ſu-
» ſcepturum obiturumque quas Populus deman-
» daſſet.

Cautio videri poterat, quæ reiectio fuit Cardinalis reſponſio; qua lętus, tamquam voti compos; dimittitur Scānauentus. Nouerat Cardinalis efferatum Populum, & in
376 cauſa obduratum Toralti de pacificatione cōſilia non admiſſurum, & licet admiſſa nullū exitum habitura: inter Populum, ſpe ingentium commodorum, ex conditionibus, plenum, & regios ad vim dominationis cōuerſos. Ideoque declinata, quacumque ex repulſa inuidia; nuſquam certius recuſare poterat: ſua interponere officia, non profutura; niſi

nisi ad dignitatis iacturam Cardinalis, quã, dum, in legati gratiam; liberius obtulit: se in Populi potestate futurum. Intellexit Toral- 377
tus frustrationem responsi; certusque non precludere spem omnem pacificationis; eam ad Populum referendo, causatusque rẽ longam, implicitamque & periculi plenã: conuocare Populi concionem, tot tuendis munitionibus occupati; satius propterea longè esse: reseruata ad maiora Cardinalis opera, Populum per se ipsum; sua commoda procurare. Legendos propterea legatos, qui po- 378
stulata fidissimi Populi, vt inuitabãt codicilli; ad Austriacum deferrent, quem facilè credẽdum constantiæ Populi edoctũ; saniora consilia, perfidiæ Proregis, Deo, hominibusque exosæ, contraria; capesciturum. Probato consilio, ipse Scannauentus; tribus cum collegis deligitur; qui obtentis priùs ab Austriaco securitatis publicæ tabulis, ad eum cum mandatis scripto consignatis cymba deferuntur. Exceptique non sine honore, & ad Au- 379
striacum ducti: Scannauentus, longa, & accurata oratione, causam Populi egit: culpam

omnẽ

omnem ſequutorum in auaritiam, & cru-
delitatem regiorum adminiſtratorum reij-
380 ciendo, extollendoque Populi erga Regem
fidem, perorauitque: expoſitis Populi po-
ſtulatis; quæ, ſcripto comprehenſa; Camil-
lus Zambrus Iuriſperitus ex Collegis vnus,
Auſtriaco reuerenter exhibuit; eaque manu
apprehendens Auſtriacus, duobus tantum-
modo verbis rependit, oraculi more, viſu-
rum ſe.

381 Continebãt poſtulata, vltra conuenta ſe-
mel, iterumque cum Prorege de Arcos.

, *Eum ab adminiſtratione Regni remouen-*
, *dum, permittendamq; fidiſſimo Populo arcis*
, *Sancti Ermetis cuſtodiam.*

Dimiſſos è conſpectu Auſtriaci Legatos, Borgia, cæterique Aulici excepere; varijſque detinuere ſermonibus: conſultò tempus terentes; dum ab interioribus adminiſtris deliberatur: ad tam abſurda poſtulata reſponſio. Placuit, non irritare furentes; debito, neue nutrire contumaciam, dubio, ſed, abſque vllo reſponſo; dimittere Legatos. Cauſatus Auſtriacus: ad maturius deliberãdum plures
abeſſe,

abeſſe; quos cõſilio intereſſe opporteret; redirent porrò alio die Legati; audituri Au- 382
ſtriaci mentem; de cuius benignitate, & clementia non erat cur fidiſſimus Populus dubitaret. Quo reſponſo, retenta dignitas, nihilque detractum negotio; redeuntibus verò, paucos poſt dies, Legatis; permiſſus non fuit ab inſidentibus regias munitiones ad claſſem acceſſus; frequenti, licet innocua, ſcloporũ exploſione. Qua de re ſcripto cõ- 383
queſtus cum Borgia Scannauentus, iteratas ſecuritatis tabulas recepit; cũ reſponſo (quod obice fortaſſe illo quæſitum fuerat) *veniret,* 384
ſanè hilari, & læto animo, ſed cum poſtulatis, quæ & Auſtriaci dignitatem, & fidem fidiſſimi Populi magis addecerent. Quorum verborum vim vel parui faciens Scannauentus, vel minimè capiens; ab Auſtriaco, cum Collegis, iterum admiſſus, reſponſum poſtulatorum petijt; interrogatuſque: an alia poſtulata ſcripto attuliſſet; renuenti iterũ reſponsũ. *Viſurum ſe.*

Excluſoq;, poſt diuturnam plurium hora- 385
rum moram; reſponſum de ſcripto redditũ.

 Ex-

» *Extranea eſſe poſtulata illa, & omninò alie-*
» *na ab illa veneratione, & erga Regiam Ma-*
» *ieſtatem obſequio, quā expectauiſſet Auſtria-*
» *cus. Cum igitur reſumpſiſſet fidiſſimus Popu-*
» *lus, in poſtulatis ſuis, perſonam, quam ſubie-*
» *cti, erga Regem ſuum; nunquam exuere ſolēt,*
» *aut debent; tunc enimverò benigniſſimè ex-*
» *cepturum Auſtriacum, ſummamque commo-*
» *dorum fidiſſimi Populi rationem habiturum.*

Quo reſponſo, quaſi non res, ſed modus
diſplicuiſſet: dimittuntur Legati, rerum va-
cui ſpei pleni. Id quod ad cicurandam Ple-
bem ſummo ſtudio quæ ſieuerant Regij. Quo
386 tamen fructu breui caruère; nam legati, quo
ſpes maior, eò ardentius rem vrgere; conuo-
catoque ad Carminis Procerum conſilio: de
omnium ſententia, poſtulata in preces verſa,
ea ſolum (in argumentum plebeiæ leuitatis)
in rebus mutatione. Vt, nulla amplius ar-
cis S. Ermetis facta mentione; ſupplices ro-
garent: ius eſſet fidiſſimo Populo: arces duas
ad ſui ſecuritatem, & tutelam in Ciuitate
conſtruere, habereque: quibus Auſtriaco
oblatis precibus, diſſimulatio exuenda fuit:
dimit-

dimittunturque legati, cum ſatis leni reſpō-
ſo; ſed quo appareret præter obliuionem ſe-
quutorum, abolitionemq; illorum vectiga- 387
lium commeatum reſpicientium; quæ diſſi-
dio cauſam dediſſent; nihil concedi præter
verba. Quo reſponſo plebs tamquàm ludi-
ficata, inclementius contra Hiſpanum om- 388
ne nomen exarſit, acriuſque in oppugnan-
dis munitionibus Regiorum inſtitit. Inter
quas cum infeſtiſſima eſſet, quæ ad S. Claræ:
ex cuius campana Turri, lectiſſimis fiſtula-
toribus inſtructa, magna longè, latèque ede-
batur in Populo ſtrages, & in quam cunicu-
los, vt auerteret ab ſacris Ieſuuitarũ ędibus, 389
propè ſitam declinauerat Toraltus; rem im-
patientius vrgere cæperũt; ijſque, maturius
forte quam opportuiſſet, incenſis; erupêre
quidem flammæ, ſed quà liberior cuniculi
patebat aditus, molientibus tantum (vt eſt 390
anceps moliminis genus, noxiæ. Quo ſu-
ceſſu, fraudati propinqua ſpe, potiundæ in-
feſtæ munitionis, Populares; in rabiem verſi:
proditionem magnis vocibus inclamant; de-
teſtanturque: &, tamquam re comperta:

391 cuniculi Magiſtrum captum, verberatumque morti deſtinant, & non eum ſolum, ſed Toraltum etiam, vti proditionis auctorem, &
392 Magiſtrum; accuſant. Quæ vbi vinctus audiuit: ſiue vitæ cupiditate, quam conſeruaturum ſperaret, ſi odioſiſſimum Populo caput; reum feciſſet: ſiue victus tormentorum vi, vera á falſis parum diſcernens, vel curãs;
393 de ſe confeſſus auctorem facinoris, Toraltũ nominat, Toraltum data pecunia iuſſiſſe, vt ſubtracto è dolijs ſulphureo puluere, carbones immitteret. Eadem hora, quæ fuit vigeſima tertia, diei vigeſimi primi, mẽſis Octobris; poſtquam euanuere cuniculi; cępta eſt contra Toraltũ accuſatio, ſeù veriùs calumnia: eadem receptus, peractus, & condem-
394 natus eſt reus proditionis, tractuſq; ad Portam Piſcium, in domũ Aurifabri cuiuſdam, vix ſpatium habuit eluendi à ſordibus, chriſtiano ritu, per confeſſionem animum; dum-
395 que ad Mercatum capite plectendus ducitur in via ad increpationes Lanij cuiuſdã, obtrũcatur: eo addito ad pœnam ludibrio: vt exer-
396 tum pectore cor, Thyeſtęo prorſus munere,

ad

ad vxorem missum fuerit; caput verò caluitio deforme, quam deformitatem, ascititio capillo; tegere solebat, & propterea vix agnitum, in foro expositum, ibidemque cadauer quasi proditoris pede suspensum. Hunc exitum sortitus Franciscus Toraltus: in sũmo retinendæ fidei conatu, haud quaquã fidus;
omninò tragicum, quem, nullus satis debitũ; 397
probet, nullus, indebitum prorsus arguat. Iusta tamen omnium miseratione prosequēdum. Fama fuit: Marcum Antonium ~~Carracciolũ~~ [Brancacium], summorum Castrorũ apud Populũ Magistrum; insidias Toralto struxisse, vt eo
sublato; summo ipse potiretur imperio. Cui 398
famæ: siue falsæ; veri speciem imponere potuit; siue veræ; robur addere: priuatum aduersus Hispanos ~~Carraccioli~~ [Brancacij] odiũ, quo primùm veneta assumpta, illorum militiam Tribunus Militum deseruerat: mox summus castrorũ Magister oppugnabat. Nulla certè, post Toralti cædem, apparuere apud ~~Carracciolum~~ [Brancacium] ambitus tantæ dignitatis inditia. Cum tamen, eadem die, & ipse in armis esset, edictoque proposito, militares

Omnes

Omnes in procinctu esse iussisset: ad inuadendas scilicet hostium munitiones omnes; si spes cuniculorum ad Sanctæ Claræ processissent; & tamen in tanta rerum nouandarum opportunitate, nec vmquam auditũ: Broncacium ~~Carraciolũ~~ quidquam tentasse, vel vllo impedimento fuisse summum Castrorum magistrum; quo minus Gennarus Annesius, tumultuarius, & ignobilis centurio, tertia noctis hora, fortuita vulgi acclamatione; in rerum omnium Moderatorem assumeretur. Broncacium Verius crediderim; ~~Carraciolum~~, alienissimum à Toralti consilijs; nec probasse illius gesta, dum viueret; nec factum abominatũ
399 post cædem; Hinc famam insidiarum ortã apud vulgum ad credendum de magnis viris deteriora pronum, & cuius labe, apud non indiligẽtes humani moris obseruatores, penitùs liberabit nobilẽ virum; non minus eiusdẽ sub Imperio Agnesij eodem retento Castrorum munere, perseuerantia; quam huius, in eadem re, patientia. Quæ à competitoribus genere, & virtute; longè inter se distantibus, post euentum maximè comitiorũ;

vix,

vix, ac ne vix quidem; impetrari posse suadet, rara etiam inter Patrem, & filium, in eiusdem regni administratione, concordia. Vt, vt res se habuerit: illud certo certius: nocte eiusdem diei, quo contigit cædes Toralti; in stationem, cęde illa vacuam: impositum fuisse vulgi acclamatione, Gennarum 400
Annesium; ausum propterea, subsequuto statim ab acclamatione die (quę nec caligula vllus, vel Nero, Drusorũ, & Claudiorum sanguine superbi, eductique in domo regnatrice vnquam attentare ausi fuere) publi- 401
cata per edictum vsurpata potestate iubere; *vt mandatis suis, eorumque quos ipse rebus* , *præfecisset parerent omnes, pœna capitis, &* , *fortunarum contra reluctantes indicta.* ,

Odio Toralti, totiusque Nobilitatis tædio haud dubiè factum; vt Agnesius ~~Carracciolo~~ apud multitudinẽ præhaberetur, sui corporis vir expertæ fidei, & industrię; quẽ, & periculum, ob denegnatum Proregi sulphuerum puluerem, cariorem fecerat plebi, & industria probauerat, qua maiorem Turrim ad Mercatum, ignobilem aliàs; ne dum

se-

fecerat firmiorem, & diligentissimè tutatus
fuerat, sed tantæ classi reddiderat formidolo-
sam. Certè huic viro, inter seruilia licet mi-
nisteria per totam ætatem construendis ar-
chibusijs versato; nec consilium defuit, nec
402 animi magnitudo; fides autem in Populi cau-
sa quandoque superfuit. Vt Masanellus Po-
pulo restitutus videri posset, sed sobrius, sed
attentus, sed industrius. Regijs propterea
formidandus magis; contra quos quinto ab
vsurpata potestate die, virus antea concoctũ
403 vomuit edicto. Quo præfatus non sine mi-
serentis Dei impulsu.
404 , *Fontaneum Marchionem, Regium Chri-*
, *stianissimi Regis, apud S. Pontificem, Orato-*
, *rem; misertum tot, tantarumque calamitatum*
, *à fidissimo Populo perpessarũ; obtinuisse à Chri-*
, *stianissimo Rege, Domino suo: vt fidissimus*
, *Neapolitanus Populus, sub eius tutela recipere-*
405 , *tur. Quòd ipsum, datis literis ad Aloysium de*
, *Ferro Oratorem Gallicum, apud Populum*
, *Neapolitanum significauerat; quæ quidem li-*
, *teræ, ad Carminis externa die palam, & le-*
, *ctæ, & ab vniuerso Populo approbatæ fuissent.*
Hinc

Hinc edicere se: ne quisquam in posterum auderet Hispaniarum Regi, minusque eius filio, vel Proregi, vel aliis, cuiuscunque generis ad ministris parere: Perduellionis reos futuros 406
omnes, lesæque Maiestatis, tam Christianissimi Regis, quam fidissimi Populi Neapolitani, quoscunque; qui secus fecissent; aduetare præterea regiam classem, viginti quatuor triremibus, & quinquaginta maximæ formæ Nauigiis, quos Galleonos vocant, milite, cæteroque apparatu instructissimam, cum centies decies scutorum millibus, cui totidem accedebant, ex Thadæi Barberinij Præfecti Vrbis pollicitatione. Quæ omnia non ad turbandam aliorum 407
pacem, alienaue occupanda regna, sed ad tutelam oppressorum à Christianissimo Rege destinata; fidissimum Neapolitanum Populum hilari, gratoque animo agnouisse, statuisseque: quiete post hac, & Christiane, sub tanti Regis degere patrocinio.

Quam igitur, impotentia imperij genuerat seditionem, curationis inscitia in defectionem eduxit, eamque dietim adolescentem: quas subinde vires acquisieuerit sequens aperiet sermo. 408

ADOLESCIT DEFECTIO, & per Regnum vniuersum debacchatur.

LIBER QVINTVS.

1 PRoclamata per Ianuarium Agnesiũ Populi Neapolitani ab Hispaniarum Rege defectione, illa animorum conuersio est subsequuta, quam tantam rei nouitatem secum trahere necesse erat. Regij quidem, qui vires parum fęliciter experti, nec meliore successu
2 conditiones tentauerant: dũ exuto, licet, obsequio, fides tamen erga Regem ad ostentationem vsq; iactabatur, quid sibi reliquũ spei esset, siue in armis, siue in cõditionibus à Populo palam desciscente, tantoque patrocinio suffulto, facilè cognoscebant; quodq: in malis miserũ solatium est, Consilium Proregis,
3 Proregemque ipsum maledictis proscindere; quo res ad fælicem exitũ inclinatas, importuna seueritate euertisset, perdidissetque. Apud
4 Populũ verò nõ eadem omnibus mens. Vulgus quidẽ, cui de more nulla Reip. cura atrocioribus lætum, & ferocia sui Ducis erectũ, exultare. Hispanum omne nomen, & Au-

stria-

ſtriacum ipſum, tantamque claſſem nihil pẽdere, minus ſtolidè inceſſere, ſpe vorare; honeſtiorum verò, qui vel ingenij leuitate Gallicum fauorem imbiberant, vel amore partiũ, ſiue deſperatione veniæ erãt in cauſa, factum probare, Agneſij auctoris conſilij prudentiã ad Cœlum extollere, qui perpẽſis Populi viribus vi quidẽ ab Hiſpanis inexpugnabilibus, ſed lõgo, ac diuturno bello imparibus, patrocinium potẽtiſſimi in terris Regis parauiſſet, cuius viribus, auſpicijſq; profligata haud dubiè claſſe, qua Populus premebatur, vna profligaretur cum ea, ſedentibus ipſis, impotentiſſimus Dominatus Hiſpanorum.

Quis enim non agnoſcat, & fateatur Hiſpanos à Gallica claſſe mari Neapolitano cedere coactos (pro vt paulò ante coacti ceſſere Tyrrheno, cum Ilua inſula, portuq; tutiſſimo opportuniſſimoq;) terra etiam Populo vltrò ceſſuros, vel ſola commeatuũ penuria, qua laborare etiã nunc, dum mare omne habent in poteſtate, nemo non nouit? Hoc igitur ſalubri Agneſij conſilio libertatem omnium, & ſingulorum ſalutẽ collocatam in tuto.

6 Longè diuersa sentiebant reliqui, qui vti cordatiores, ità pauciores, cautioresque taciti conquerebantur.

,, *Intutam semper infirmiorum cum potentioribus societatem armorum; seruituti proximã eam, quã necessitas defensionis cõciliet, aut verius cogat. Quid ni? Nullã legem præter vim agnoscunt arma, ius, fasq; omne vi metiuntur, nec facinus vllum atrox adeò, cruentũ, turpe, aut nefarium est, quod non cohonestet victoria; in tantum, vt Iulius Cæsar, post tot rapinas, & cædes, quibus vniuersum propè vastauit terrarũ orbem, post stratos ciuiũ cadaueribus Thessaliæ campos, post oppressam, captãq; Patriã, in præmiũ euersæ Reip. celebrari carminibus, arisque coli potuerit; vt sperari possit, Gallos diu se ab Austriacis Neapolitano spoliari Regno conquerentes; staturos promissis, passurosq; post eiectos suis armis æmulos, alios sub illa arbore legere fructus, quã ipsi seruissent, & quidẽ in suo; permissurosue Neapolitanos, ea frui libertate, quã sibi vetusto iure obnoxiam habituri essent in potestate. Licet suis momentis re pensitata liberi illi dicendi non sint, qui tantũ in se*

præ-

præsidij nō habeant, quo libertatē suā tueri pos-sint, fateanturq; , vel inuiti: sub illorū Imperio, esse se, quorū, ad libertatem tuendam; tutelam, implorant. Neque enim (si verbis res consen-tiant) aliud est (circūscripta Tyrānide) Prin-cipi subiectam esse, quā alieno suppositam patro-cinio Rēpublicam; sed dato Gallos contra potē-tiorū omnium mores, contra ipsorum vota per-missuros defēsuros suis armis Neapolitano Po-pulo libertatem. Quid tum? Quid reliqui ex equestri ordine ciues: quorū opibus ex vniuer-so Regno contractis excreuit hæc ciuitas? Quid regnum ipsum, quod tāquam magno capiti re-spondens maximum corpus ab eo seiungi sine interitu nequit? Quæ Reip. administrandæ ra-tio? Quæ forma? Permissuros ne regnicolas huic Ciuitati, quā alunt, super omnes Imperiū? per-missuros equites, Dynastasq; maiestatē Populo, seruire sibi assueto? Libertatem rē grandē esse, humanæ naturæ inditam, beatitati proximā; sed ad eam comparandā, tuendāq; magna vir-tute, maiori industria opus esse, quæ frustrà ex-pectes ab imperita, & ignaua multitudine, quæ, quò ferocior ad Dominum eijciendū insurgit, eò in-

„ineptior est ad Remp. constituendã: stolida etiã „animalia improuidũ sessorem deijcere, quæ so- „luta licet, & alleuata metás nunquã attingant. „Hinc locus Oraculo factus: aliud sine Domino „esse, aliud in libertate.

7 Valentior tamen, quam vt supprimi posset, inter omnes peruasit rumor; quem, odiũ Gallici nominis; præstantioribus insitum; alebat.

„ Fraude cum Populo actũ, fictas literas Fontanæi Oratoris, fictum munus Gallici Oratoris „in Aloysio; & si quæ literæ advenißet, eas Aloy- „sio scriptas, qui abusus peritia Gallicæ linguæ „tamquam populo scriptas euulgaßet, vt Populo „splendidius imponeret, munus mentitus Orato- „ris.

8 Quibus nihil tardius creditis, quam vulgatis, parum absuit, quin ex machina Orator, siue Machinator defectionis: siue minister pænas daret à furenti Populo postulatus ad supplicium, deditusque fuisset; instigantibus

9 ex Primoribus pluribus, ni Agnesius periclitanti affuisset consilio potius, quam auctoritate. Professus namque nihil temere tãta

in

in re agendum, examinandas prius à Con-
cilio tradi iussit ab Aloysio literas, mittendũ
interea Romam certum hominem ad Fon-
tanæũ, qui exploratiora omnia referat, mis-
susque statim Franciscus Patius Iuris peritus, 10
alijs insuper instructus mandatis, qui intra
paucos dies ne dum retulit approbationem
eorum, quæ, siue vera, siue credita rem 11
Neapolitanam ad Gallos inclinauerant, sed
alias, & pleniores literas datas Chalẽdis No-
uembris tum à Fontanęo Oratore, tum
etiam ab Archiepiscopo Mazarino, illis ipsis
diebus, extra ordinem, precibus Reginę ma-
tris Chrinianissimi à summo Pontifice ad sa-
crę purpurę honorem euecto; quę statim
typis impressæ, vulgatæque ingenti lætitia
Populum repleuere. Legebatur in Fonta-
neanis vltra approbationem eorũ, quę Aloy-
sius Ferreus Orator Christianissimi Regis 12
apud Serenissimam Neapolitanam Remp.
promisisset de celeri classis Gallicæ adventu.

Oratorem, cognito per Patium Serenissimæ Reip. desiderio celoce expeditissima Duci de Richeleu summo classis Præfecto id ipsum signi-ficasse;

,ficasse; illumque haud dubiè breui affuturũ, nec
, moram vllam interpositurũ mandatis, quæ de
, ineunda cũ classe Hispana pugna secũ ab aula
, attulerat, minusq; ijs, quibus adesse Sereniss.
, Reip. videbatur ad omnia.

13 Plenius Cardinalis, & confidentius; qui auctoritate fretus fratris Cardinalis Mazzarini, qui in aula Christianissimi omnia poterat, & ipse fratri gratiosissimus esset.

Ausus propterea ad capita conditionum, quę per Patium petebantur à Rege explicitè respondere.

, Probaturum Regem quam constituerat Po-
, pulus in rerum Neapolitanorum administra-
, tione libertatem.

, Fædus perpetuũ fore inter Regẽ, & Remp.,
, eosdem amicos, eosdem inimicos habituros.

, Munia quæcumq; in rerum Neapolitano-
, rũ administratione per Remp. ipsam commit-
, tenda, eiusdemq; literis demandanda.

, Ratum habiturũ Regem quæcumq; Fonta-
, næus Orator promisisset. Pecuniarũ annuam
, quantitatem, quam Populus æquũ putat præ-
, stare Regi Remp. in expensas belli Regis æqui-

tate

tate stabiliendam edicendamq; Oratoribus ad, eum à Rep. destinatis. His si quid addi, detra-, hiuè temporum ratio, vel fæderatorum vtilitas, suadebit, vtrinq; ius fore, ,

Regij interea præliorum pertęsi, quibus 14
non tam lętum erat plures è Populo cęde-
re, quam detrimentosum paucos è suis, vt
necesse erat, desiderare; quorum in tanta
paucitate diminutionē in custodiendis, pro-
pugnandisque tot munitionibus ægrè tole-
rabant, ab oppugnationibus, conferendoq;
cum Popularibus pede abstinebant, & cum 15
Ciuitas ferè vniuersa munitionibus diuide-
retur, vt duę quodammodo Ciuitates ex vna
factæ viderentur, ducta quasi linea ab Albana
porta, per nominis Iesu, Sanctę Claræ, Do-
naluinę Sacras ædes, per Cathalumniorū
vicum, Portusque viam, perque Telonium
maius vsque ad mare. Regij, qui partem 16
superiorem obtinebant intra limites præsi-
diorum suorum retenti, satis habebant ex
tuto; hostes missilium glande lacessere, spe
de summa rerum in aduentum copiarum
reiecta quas ab Regno vniuerso nobilitatis

Proceres, totuſque Equeſter ordo accurata
17 conquiſitione cogebat. Nam Carolus Auria Turſi Dux, & Auſtriaci in ducēda claſſe Vicarius, per eos ipſos dies, cum roſtratis decem Genua aduenerat, tenue certè anguſtijs in illis ſubſidium. Sed quoniam nobilitatis Neapolitanæ erga Regē fide, & opibus, haud dubiè, reſtitutum, tandem cum
18 Ciuitate Regnū vniuerſum Regi fuit, argumēto non digrediar meo, licet ciuitate egreſſus curſim per Regnum vagauero, libatis sūmatim ijs, quæ in maxima rerum omnium vbique locorum conuerſione vel retardaue-
19 runt optimè cæpta, vel confecerunt. Egregia ſanè, nec eiuſdem generis fuit opera, quā Neapolitana nobilitas Regi præſtitit ſuo, & in rebus adminiſtrandis cōſtantia, & vti Popularium odijs non minus premebatur, quā Regij, non ſecus hos æquabat induſtria ad illos præcauendos, continendoſque, (vt propterea ſiue ſors, ſiue dominantium artes tam acrè, diſſidium inter Neapolitanos aluerint) eiſdem certè ſeu fortuna, ſeu artibus, rerum Hiſpanicarum ſalus debeatur. Quæ verò prę-
ſtite-

ſtiterint hactenus nobiles ij, qui ad Proregẽ 20
in arcem confugerunt; quæuè ij, qui intra
Populi præſidia inuiti remanſerunt, nec pe-
nitus ſilui, & fuſius ſuo proſequar loco.
Reliquos vel per Regni Prouincias ad ſuas
quoſque Dynaſtias diſperſos, Maſſanellũ illud
perculit fulmen, quod vniuerſum concuſſe-
rat Regnum, vel eiuſdem terror expulit è Ci- 21
uitate, quibus viciniora municipia receptacu-
lum fuere, ea præcipuè, quæ ad Amalphita-
num ſinum ſunt ſita. Verum dum vigente
Maſanello, eoq; intra paucos dies ſublato vſ-
que ad Agneſij Dominatum, nihil vlterius re- 22
gnicolę Neapolitanorum impulſu quærerẽt,
pręterquam vt onera omnia abolirentur, ni-
hilque enixius iuberet Prorex Prouinciarũ
Præſidibus, quam vt exemplo ſuo; molliſſi-
mè tractarent omnia; inde factũ, vt licet plura
per regnũ vniuersũ crudelitatis, & ſæuitiæ
ederentur exẽpla contra illos præcipuè ſiue
Regios, ſiue Nobiles, qui odio magis, vel inui-
diæ erant expoſiti, & licet per totos illos tres
menſes, qui ab orta ſeditione & aduentum
Auſtriaci interceſſere, omni excuſſo obſe-

quio, & erga Præsides, Dynastasque reuerẽtia, spretoque legum metu cuncta ad plebis libidinẽ agerentur; quæ persequi fusius, nec instituti ratio exigit, nec veritati addicto facilè permitterent rerũ multiplicitas, & studijs partium, adulationique infestę traditiones)

23 Regi tamen apud omnes constitit fides, vel constare visa, dũ inter scelera ipsa, conatusq; nefarios Regio identidẽ nomini ab omnibus acclamaretur. Inter quę illud execrandũ nõ prætercam, quod admisit Lugiensis Ciuitas

24 Hydruntinę Prouinciæ caput, (vti iuuat vsitatis locorum nominibus: cũ antiquata restituere, nec in plerisque certũ, nec in reliquis fructuosum) Aduenerat Neapoli in hanc Ciuitatẽ Augusto ineunte Ioannes Vrraca Regius Senator, diuerteratque apud Franciscũ Boccaplanulam militum Tribunum, armorumque in illa, & Barriensi Prouincijs Prę-fectũ, quando Præco quidem Ciuitatis, Frãciscus nomine, (quo consilio incertum) temerè enunciat iussum se ab Vrraca musti vectigal hastę subijcere; ad quã vocem Plebs illicò exarsit, & cuiuscumque moræ impatiens do-

domum inuolat Boccaplanulæ, innoxiumq;
Senatorem fruſtra Dei, hominumq; implo-
rantem fidem comprehendit, irarum plena,
eumque imminentium prouidum, requirē-
temque Sacerdotē, cuius ope, & auctoritate
expiaret à noxis, Chriſtiano ritu, animum,
vix à furentibus auditum, ac ne vix quidem,
abſtractumque à Sacerdotis pedibus pio mu-
neri intēti immaniſſimè perimit, perēptum- 25
que cadauer è feneſtris in publicum præcipi-
tatum per Ciuitatem trahente iumento rap-
tatum in forū dilaniat, caputque ferrea cuſ-
pide infixum ibidem exponit, reliquis parti-
bus ęgrè ſepulturæ conceſſis, cum ſententia
priùs ſtetiſſet per portas Ciuitatis diſpergere,
ſuſpendereq;. A quo incendio ambuſtus vn-
dique Boccaplanula pænas, & quidē graues 26
gratioſi hoſpitij dedit. Nā Plebs, quaſi pro-
baret ſcelera, dum ſceleribus cumulat, ne te-
merè in Regium Senatorem ſęuiſſe videre-
tur, illius hoſpitem tamquam conſcium, &
participem eorum, quæ Viracam attentaſſe,
vel credebat ipſa, vel alios credere volebat cir-
cumſiſtunt, verbis increpant, manibus vio-
lant,

lant, minis terrent, expilatumque diti ſupel-
lectile, & non leui pecuniarum quantitate
(ſex millia ducatorum expleuiſſe perhibent)
primò cogũt morte intentata magnum pul-
ueris tormentarij modum, qui Proregis iuſ-
ſu in arce aſſeruabatur ſibi ab arcis Præfecto
obtinere; nec his placata eum denique ſub ar-
cta, & diligenti cuſtodia habet, qua eluſis cu-
27 ſtodibus elapſus, & in arcem cum vxore, &
filijs receptus, ex ea non niſi copijs Conuer-
ſani Comitis expugnatione Nardo Ciuitatis
28 per Regiones illas formidabilis) Ciuitati, arci-
que ab amico comite admotis in libertatem
euadere potuit. Cuius quidem Conuerſani
Comitis generoſi conatus, quibus per illos
dies vi, armiſque ſibi ſubiectos continuerat in
fide ſententiam illorũ confirmant, qui mol-
liciei Ducis de Arcos, tot calamitates ex hac
ſeditione profectas; acceptas ferunt, eo perti-
naciores, vt aſſolet, quo ſecuriores refelli ſe
non poſſe, ex ijs quæ contigiſſent, ſi aſperius
actum fuiſſet, ex tuto prudentes lapſa quacũ-
que rerum gerendarum occaſione. Certè in
eamdem ſententiam conſpirant non pauca à
qui-

quibuſdam Præfectis, Dynaſtiſq; in ipſorum
ditionibus per eadem tempora fortiter non
minus, quam fæliciter geſta. Inter quæ præ-
cipuum facinoris amplitudine, & fælicitate
exitus fuit, quod in Apprutio geſtũ fuit. Pro- 29
uinciam illam in duas diuiſerat Prorex Medi-
nius in gratiam Ferrantis Carraccioli Empto-
ris Ciuitatis Chieti, Regiumque totius Pro-
uinciȩ Tribunal (audientiã dicunt) ab hac
Ciuitate Aquilam trãſportauerat, qua re non
minus, veluti onere, leuatis Chietenſibus lȩ-
tabatur Caraciolus, quam dolerent Aquilen-
ſes, tãquam inſueto onere prægrauati. Ma-
gna ſanè infamia, ſiue incolarum, ſiue Præ-
ſidum domicilium Iuſtitiæ Cȩlo dignũ, qua
ſtat humana ſocietas, vel auerſantium, & à fi-
nibus repellentium, vel deprauantium adeò,
vt odio eſſet, repelleretur que. Hinc ad primũ 30
tumultus Neapolitani rumorẽ Aquilani au-
dientiam peroſi contra Regios adminiſtrato-
res inſurrexere, nec ſegnius in communi to-
tius Prouinciȩ motu Chietenſes Carracioli,
Lancianatenſes Marchionis Vaſtij iugũ ex- 31
cuſſere; quod duplicatum dolebant recenti

ven-

venditionis titulo à Regio Dominatu transſlati in acerbiores exactores ſeruitij. Rei militari præerat in vniuerſa Prouincia Michael
32 Pignatellus vir inter primos induſtrius, & Regi fidus, qui Ortona vbi degebat, (recipiendo Germano milite intẽtus, qui ex Tergeſtino ſinu per ſuperum mare magno ſanè impendio in vſum belli cogebatur) ſtatim ad extinguendum incendiũ accurrit, & quãuis ferocibus promptior, mitibus tamẽ remedijs, ex Proregis præſcripto, res vtcumque componebat; ſed id præcipuum apud Apprutinos perniciosius euenerat, vt nobiles ipſi (ſecus
33 ac in reliquis Prouinciarum) cum Plebe ſua in ſeditionem conſentirent, quæ eo vſque inter Aquilanos proceſſerat, vt cũ à militibus, purgandis agris à facinoroſis hominibus deſtinatis, nefarius quidam Marcus Sciarra nomine interfectus fuiſſet ſceleribus omnibus coinquinatus charus tamen, acceptuſq; ſuis
34 ipſis ſceleribus apud plures in Aquilana nobilitate præcipuos, nobilitas omnis cõtra huius generis milites exarſerit, concurſuq; facto Ducibus Quintijs vi, miniſque extorſerit à

Regio

Regio Iuſtitiæ Tribunali, vt iuſtitiæ vindex in iniurię, crudelitatiſque ſatellitem degeneraret; tradito ad ſupplicium quodam ex dictis militibus illius qualiſcumq; necis inſonte, cuius ſupplicio audaciores facti poſtulare cępe-
runt à Raimondo Lagaraga Prę ſide, (denegare non auſo) vt inde amoueretur audien- 35
tia, ciuitatiq; reſtitueretur pars Comitatus, qua regnãte Carolo Auſtriaco in perfidię pęnam mulctata fuerat, quarum, aliarumque plurium rerum indignitate Pignatellus vehementer commotus Proregem etiam, atque etiam monet.

Quanto in periculo Prouincia Limitanea 36
fidei ſuæ commiſſa verſetur, quantoque cum detrimẽto rerum hactenus lenitate peccatum Excellentiam ſuam probè noſſe; per ſe non ſtare, quo minus copijs, quas habebat in promptu cũcta ad obſequium Regi debitum breui reducerentur.

Vlteriuſq; progredi auſus, & ad obnunciationes conuerſus, illiuſq; exiſtimationem in diſcrimen adducturus ſubdit.

Exemplaria literarum earum, quas Excel-

» *lentiæ suæ daret, dedissetvè transmissurum se*
» *ad Regem ipsum in Aulam, vt amissæ, vel cō-*
» *seruatæ Prouinciæ decus, siue dedecus penes*
» *eum sit, qui meruißet.*

37 Ad quę Prorex siue Prouinciæ periculo motus, siue militaris viri ductus auctoritate certus reportaturum se vel à domitis alieno periculo perduellibus Prouincię securitatē, vel quocumque accepto incommodo de infamia importuni monitoris solatium, assentiente collaterali Senatu rem totam Pignatello remisit.

» *Ageret sanè cum tantopere vrgeret, & quæ*
» *verbis pollicebatur re conficeret.*

Eo attētius Pignatellus sub offensum Proregis animum haud obscurè conijciens, rem aggreditur, cum cognosceret, (quę iniquissima in expeditionibus militariū virorū cōditio est) quæcumque casus, vel fortuna tulisset, (quorum nihil magis capax, quā bellū est) inscitię ipsius, vel imprudentię tribuenda esse, Prorege præsertim acribus adeo stimulis à contraria sententia dimoto. Conuocatis igitur ex exercitu stationario (quem

Bat-

Battaglionum nuncupari monuimus) octin- 38
gentis peditibus, armatisque ducentis Ger-
manis ex eis, qui absq; signis per mare ad Re-
gia stipendia accedebant, additoque equita-
tu Prouinciæ omni ex eo præsertim genere,
qui à sacculis nomen habent, Lanctianũ ver-
sus ducere copias cæpit, & licet Lãcianatenses
ante periculũ feroces verbis iactassent omnia
perspecturos se, priusquã Pignatellũ armatũ 39
intra muros acciperent, & Numãtina fames,
Numãtineq; flãmæ in omniũ ore essent, ad-
ueniẽti militi paucis fuga elapsis portas aperi-
unt, nec maiori virtute in pari iactantia ab
Aquilensibus, cæterisque prouincialium re- 40
pugnatum est, peruagataq; intra paucos dies
cum victore milite Prouincia, restitutoque
Regi Presidibus, & Dynastis obsequio, Aqui- 41
læ deniq; constitit victor, viginti, vel paulo
minus suspendio necari palam iussis, qui ca-
pita tumultuantium Lanziani montis realis
Sulmonæ fuerant, cæterisq; omnibus plenã
eorum, quæ quisq; admisisset, ex auctoritate
sibi à Prorege permissa, impunitatem indul-
sit, vno excepto Antonio Zonto (vulgò 42

42 Quintio) cõtra Regios adminiſtros; Regiãq;
Aquilę arcem tendere auſo. Hiſq; artibus nõ
minori conſilio compoſita pace, quam fæli-
citate mouiſſet arma, nec victis inſultans, nec
contumacibus parcens, ſed permiſſa illis re-
ſcipiſcendi facultate, his verò punitis ex ſapi-
entis præſcripto celeriter, ſeuerè, & quam
pauciſſimis cuncta compoſuit tanta ſecurita-
te, & virium, conſiliorumq; ſuorum fiducia,
vt decretum ab Neapoli: de remouenda au-
dientia iuxta Aquilenſium vota, quod rebus
dubijs emanaſſet, ijs pro libito conſtitutis, nõ
duxerit exequendum.

43 His, alijſq; vtcumq; ſedatis vniuersũ ferè
Regnũ quod inuolutum fuerat turbis, Re-
giorumque Præſidum indulgentia, Nobili-
tatiſq; opibus, & auctoritate; ità compoſitis,
vt malacia quidem parta videretur; ſed *infida*
erectis Populis omnibus expectatione pro-
miſſorum illorum, quę Republica ſalua prę-
ſtari non poterant, ſolutiſque quocumq; le-
gum, & dominationum metu, vnde tacen-
44 tibus etiam ventis expectari poterat tempe-
ſtas atrocior; ſuperuenit Proregis de Arcos

contra

contrà Populum Neapolitanum importuna ſeueritas, cuius prȩiudicio ſuam pariter cauſam damnatam Regnicolȩ intelligebant, niſu propterea maiore continendi, cohibendique. Sed Prorex inexpectata Populi Neapolitani conſtantia territus, quam reliquam habebat in Nobilitate ſpem fouebat diligentius: euo- 45
catis ab Regno vniuerſo Dynaſtis omnibus, quibus enixè mandabat, vt coactis quam maximis poſſent equitũ, peditumq; copijs Auer- 46
ſam omnes, Capuamq; frequentiſſimi conuenirent, inde facilè ad puniendos in ſemicapta Ciuitate perduelles proceſſuri, parum monitus Romanorum exemplo, qui cũ longè maiori periculo premerentur, inſultante ad Vrbis portas Hannibale cum victore exercitu, per auerſam ab hoſte portam ſupplemẽta militum in Hyſpanias mittebant. Sed fruſtra expectes à timore correptis, quæ conſilij opera vix à ſedato animo proficiſcuntur.

Naturam conſilij expertem ſequutus eſt Prorex, ſanguinemq; á toto corpore ad præcordia attraxit, quo nihil hæc reddita robuſtiora, cætera verò membra penitus deſecere.

Ve-

47 Verum enim verò incommodis recensendis, quę Procerũ pręsidio nudatę Prouincię sunt passę, suus non deerit locus. Interea Regnũ vniuersum armis strepere, personare tubis; tympanisq;, vndique peditum, equitumque copias cogi à Nobilibus, & in Campaniã duci: Nec minori diligentia legionariũ, stationa-
48 riumq; immittere militem Pręsides Prouinciarũ vrgente eodem Proregis iussu: nec dubium erat, quin confluentibus in vnũ locum ex Regno vniuerso tot copijs, magnus breui conflandus esset exercitus, qui Ducem poſceret militiæ gnarum, paremque continendis sub Imperio tot Dynastis dignitatis retinen-
49 tissimis, nec facilè cuilibet cessuris. Cũ verò apud Montefusculũ Præses Prouincię Capitanatus Salzæ Dux Concilium Dynastarum illius, & vicinarum Prouinciarũ coegisset, in quo frequentes adfuere Principes Auelini, Montis Sarchij, Achaię, Minoruini, Montis Mileti Supini, Torellæ, Chusani, Castellanettæ, Duces Sãcti Martini, Grauinæ, Marchiones Sancti Marci, Torrecusæ, Ceruinarę, pluresque alij: quo in Concilio de mittẽdis subsidijs

dijs coram Regio Senatore Mirabello in id missſo omnes edixerãt quantas quisq; copias, & cuius generis militum ducturus esset, mẽtio etiam facta est de Duce per Proregem eligendo, inclinantibus omnibus in Carolũ Gatteum recenti Orbitelli defensione clarissimũ. Quã Procerũ prerogatiuam monitus à Mirabello Prorex facilè sequutus esset, ní per ipsum Carolũ stetisset, qui aliàs Proregi offensior, non satis cultus ob nauatam, Regi operã longè pręclarissimam, inclementius irascebatur recenti (vt rebatur) iniuria affectus, decreta ab illo contra Populũ impressione ipso Carolo inscio, ne dum inconsulto cum militaris vir esset; & in Senatum (qui status dicitur) allectus; qua de re illud etiã incommodi sensit priuatim Carolus, vt eius vxor inter Præsidia Populi deprehensa ad maritum continendũ, in carceribus artis Lanæ indignissimè mancipata fuerit. Quæ obtẽtui fuere munus constantissimè detrectanti. Carolo recusante, coniecti fuerunt omnium oculi in Cardinalẽ Triuultiũ Clericalis illũ quidẽ ordinis virum, sed qui etiã arma in Gallia Cisalpina ducendis

50 (beside "Quã Procerũ prerogatiuam monitus à Mi-"); 51 (beside "ris vir esset; & in Senatum (qui status dicitur)"); 52 (beside "Triuultiũ Clericalis illũ quidẽ ordinis virum,")

Pro-

Prouincialiũ copiis præpositus sępius tractauisset maiori auctoritate, promptioriq; Popu-
53 lorũ obsequio, quàm ingruentibus Gallis expediret in homine Theodori Triuultij præclarissimo stẽmate præfulgente; quiq; palam fecisset, se fortunæ, in qua natus erat, *licet* splendidissimæ, impatientem; maiora moliri; dũ grandis iam natu, proleque auctus, vsus occasione prędefunctę vxoris, magna impensa, nec obsequio minori Romanam aulam sectatus; obtinuisset tandem purpuram Cardinalitiam; Cui arma tractanti ad augendas, nutriendasque suspiciones; accesserat: Monachij Principis Sororij, & cum quo coniunctissimè viuebat; celebre facinus; quo eiecto ex Arce illa inaccessa Hispanorũ Præsidio; Gallicum induxerat. Qua in re, quò culpa certior in incuria Comitis *de Sir*uela, Prouinciæ Mediolanensis Gubernatoris; eò maior, & valentior opera eiusdem, ad deriuandam in insontem Triuultium; Vocatus propterea in Hispaniam, ibique sub specie honoris, regẽdo Valentiæ Regno diù retentus, remissusque tandem in Italiam, &

post

post aliquam Romæ moram, etiam in patriam: in qua nimium grauis visus Gubernatori Castellæ Magno Comestatili prædicanti.

Vbique, & quibuscumque conditionibus, habendum esse Cardinalem Triuultum nullis tamen, & nusquam in Prouincia Mediolanensi.

Neapolim mittitur: ostentata spe, succedendi Marchioni Valezio in administratione Siciliæ, qui nondum decedebat, quas elusorias aulę artes sors disiecit magno Hispanicarum rerum fructu; Cum enim, intra paucos dies, ab his comitijs; Valezius vita functus fuisset, vacuam, tumultuantemque Prouinciam ingressus Triuultius: magna prudentia, nec fide minore; continuit, pacauitque. Panormitanos inter præcipuos, qui contumaciùs cęteris iussa detrectabant, edoctos arcem etiam pati. Placebat igitur in Triuultio, vltra splendidũ nomen, & Cardinalitiam dignitatem, quod exterus esset, habiturus propterea promptiores ad iussa Neapolitanos Dynastas: remota quacumq; municipali ęmulatione. Sed, nec Gatteo prōp-

tior ad munus Triuultius, varia causabatur,
54 illa tacitũ vrebat cura: Proregis Imperio obnoxium esse. Hinc liberum fuit Proregi, quẽ prẹoptauisset cunctis præhabere; Vincentiũ Tutauillam, militarem sanè virum, & stationarij equitatus totius Regni Propræfectum,
55 quo potissimum consiliario, & adiutore, vsus fuerat postrema in hac contra Populum impressione: magna omniũ inuidia, nec minori post euentũ odio. Natura erat asperior Tu-
56 tauilla, sed rebus attentior; ex illis erat vnus, qui vt inter æquales cæteris præhaberetur, pro nihilo duceret, infra omnes dominantibus se deijcere, acceptus ideo inter primos Proregi Medinio, & ab eo in Aulam ductus, remissusque muneribus auctus, ijsdem artibus (quibus Hispani Proceres, dominationis sine fine auidi, facillimè capiuntur) in successoris se gratiam insinuauerat: admissus, propterea, ad intima consiliorum, & acriora ministeria; facilè cunctis à Prorege Prẹlatus, qui tanto muneri præficeretur. Sed cum haud dubia esset à Magnatibus illis Imperij Tutauillici detrectatio, cuius prẹnuncij

esse

esse poterant Mõtis Sarchij Princeps, & Mõtis Calui Dux, qui leuius duxissent abdicare se honestissimis Præfecturis, quas in cataphractorum equitatu obtinuerant, quam illi parere in Propræfecturam totius equitatus euecto; apertas præterea simultates cũ Comite Conuersanio ex Medinij patrocinio ortas. Quandoquidẽ; Medinij delationibus, in aulam olim tractus Conuersanius, à Tutauilla, delatoris assecla, & suffragatore; solita visitationis officia non receperat. Id quod alienationis animorum causa non validior; quam manifestatio fuerat, quę maximo impedimento in quocumque exercitu futura, 57
in illo, ex voluntarijs conflato; dissoluendo erant, vtque componeret Prorex: Tutauillæ ab Austriaco, vicarias illius partes; in exercitu Dynastarum rescripto obtinuit. Cuius 58
accesione dignitatis, temporumque obtentu, tandem factum; ne Tutauillæ subesse Proceres illi dedignarentur, præeunte ceteros Mathaloniæ Duce, qui Plebi non minus infensus, quam inuisus; viuida odia in partes attulerat: quique cum equitatu, pedi-

tatuque; haud contemnendo; inter primos
59 Auerſam Campaniæ ſe contulerat. Eodem igitur Octobris menſe, circa medium: Tutauillius, Neapoli egreſſus paucis cum copijs, ampliores recepturus à Mathalonio, cæteriſque, vix ab inſortunio abſuit antequam *illas* reciperet. Nam, ſimulato obſequio, ab habitatoribus Marani exceptus, cultuſq;, inde digreſſus: ab ijſdem numero, & peritia locorum fretis; circumuentus, & in magnũ ad-
60 ductus fuit diſcrimen. Prima illa, & inopinata aggreſſione antequam turba aggreſſorũ imbellis ediſceret; quam carò vendãt animas ſuas deuota bello capita. Quibus procliuè fuit, poſt repreſſos vulneribus, cædibuſq; ferociter inſultantes; cuneo facto, magna illorũ edita ſtrage diſijcere, & profligare non ſine multo ſuorum ſanguine, & aliquorum inte-
61 ritu; inter quos præcipuus Ferrantes Molina, cui vniuerſi equitatus negotium cõmiſſum erat, quam ſplendidam regendo equitatui Præfecturam, ſummę proximam nouitiũ inuentum ætas patrum noſtrorum tulit: Cõmiſſarij appellatione notiſſimũ. Funeſto ſanè

præ-

prȩſagio eorũ, quæ expeditione illa euentura erant, haudquaquã Proſpera Tutauilio. Cõiunctis tamen cũ Mathalonio copijs, alijſque ſuper alios in dies affluentibus, intra paucos dies iuſtum conflauit exercitum; vt in exitu 62
menſis eiuſdem, eo luſtrato; ſcribere Proregi potuerit: tria equitum, ſex peditum millia in armis habere; quorum numerus, nouis ſubinde additamentis; excreuit adeò, tantaq; celeritate, vt fama tulerit, ſub initia mẽſis Nouembris: equites ad ſeptem, ad ſexdecim millia pedites perueniſſe: abſque vlla Regis, aut Regiorum impenſa, quam vltrò ſubibat om- 63
nem Nobilitas de commeatu tantummodo ſollicita, quem nec recuſabat ære ſuo cõparare vbi copia eſſet. Quam ad rem Prorex: eumdem Senatorem Mirabellum, ſumma cum poteſtate, inter Prouinciales omnes; ad exercitum ablegauerit; tantus nihilominus 64
Dynaſtarũ, cȩterorumq; Nobilium, in Cãpaniam confluentiũ concurſus; impedimento nõ fuit, quominus ex eis aliqui oportuniùs militum ſupplemẽta in ipſam Ciuitatẽ Neapolis inferrent. Belmotis Princeps origine

Ligur

Ligur ex gente Rauascheria, Duces Montis Leonis, Gerisalchi, Marchiones Fuscaldi; Quinquefrondij, Sancti Georgij fuere, qui ex Calabria mille quingentos pedites, & vltra; mari adduxere: quorum supplemento & alleuati labores excubantium in tot munitionibus legionariorum, & auctæ vires, animiq; ad inuadenda, oppugnandaque Populi munimenta.

65 Apud quem interim non cessabatur, sed postquã procla mari iussisset edicto Agnesius, nec de literis Fontanei, nec de Aloysij fide amplius dubitandum, totum se cum asseclis ad constituendam, quam spe conceperat in Libertate Rempublicam se conuertit, cumq; edixisset capitis pæna in contumaces dicta, vt vnusquisque, suis pareret Ottinarum Præfe-
66 ctis, quibus eam exigendi ius tribuit: *octo viros* ex vniuerso delegit Populo mixtim ex militiæ gnaris, & iuris professoribus. Ex his Ioannem Antonium Salonum, Ioannẽ Baptistam Constantinum, Andream de Acunto, Ioannem Antonium Scoppęum, ex illis Dominicum Millonum, Victorium Zappulum, Onu-

Onuphrium Felicium, Aloysium Vulpium, eisdemque (quibus Tribunal ad Carminis excitatum) tamquam militari Senatui; vniuersa circa bellicam rem attributa potestas. Eadem pæna capitis indicta ijs omnibus, qui Senatus militaris iussis; non paruisset. Hoc instituto Tribunali ex eis composito, qui probè scirent cuius spontè præfecti essent; & ab ipsius nutu pendentibus stationem hoc commento occupauit, sibique attribuit Carracioli abdicatione vacuam. Auxerat ille summam Castrorum Præfecturã per se satis amplã, qua fungebatur; augustiorẽq; reddiderat 67
assumptis ex qualibet ottina binis consiliarijs, quorum numero, & opibus fretus plura audebat in publicum. Nec contra ibat Agnesius contemptu nè, an approbatione incertum, sed altè fixerat hominis animum Carraciolus: ausus ei, coram omnibus; exprobiare Gallorum patrocinium, absque Populi 68
auctoritate susceptum: cuius accusationis periculum Agnesius, studijs vulgi præualidus, à se facilè auerterat: acclamantibus omnibus in Mercatu, vbi hæc palam omnibus agebã-
tur

tur Agnesio; acta illius omnia, agendaque approbantibus, laudantibusque. Nec auertisse contentus, intra paucos dies, in accusatorem regesserat; hac vsus opportunitate.

69 Nuntiatum fuerat, his ipsis diebus, Agnesio: suppetias magna manu è Gallia aduentare, & breui affore, Quod lętissimum nuncium Carraciolo, ante allatum Roma fuerat, per Monacum quemdam, nec palam ab eo factũ: crimini dabatur odio Gallorum Populi eum commoda auersari. Meruit propterea Caracciolus Agnesium accusatorem, quod supra omne crimen valuerat, damnatus capite, plexusque fuisset, ni exactor pænæ Lauinarij

70 Centurio, Mattheus Amorosius Plebi, post Agnesium, acceptissimus, & in illo gentium sterquilinio plurimum potens, meliorum precibus euictus; mitiora statuisset: dato in custodiam Carraciolo. Quo ab rerum militarium administratione remoto, vt tantæ Præfecturæ vices explerentur, (quas subire

71 recusasse se: iactare solitum Millonium, ità certum habeo, vt nunquam tamen aliundé probatum habuerim, nec simile verò visum; vel

vel hominem, toto belli tempore, minora munia administrantem; summum reiecisse; vel Populum, memorem á Prorege Millonium sibi submissum, eiusdem fidei tantam Præfecturam fuisse commissurum) Senatus militaris, quē memorabam; institutus est ab
Agnesio, cuius vmbra militaria quoque mu- 72
nia, militaresq; viri omnes à se vnico penderent. Qui, cum non infrequenti selectorũ è Plebe stiparetur satellitio, habitaretque in magna ad Mercatum Turri, armatorum præsidio firmata, veluti Tyrannidis arce; vi etiam, quem fauore vulgi assequutus esset
Principatum, continebat, & tuebatur. Sed 73
vbi manus res poscunt, quantumuis salubria torpent otiosa consilia. Instabant Populo è proximis munimentis Regij, minabãtur, pa-
rum loco diffiti nobilitatis apparatus, immi- 74
nebat cõmeatuũ penuria, quã vt leuãdi mari nulla spes tãta classe infesso, ità terra ferè omnis paulatim euanescebat, tãto equitatu, Nobilium Proregis iussu, in hiberna per viciniora municipia distributo Puteolos, Cerram, Capuã, Nolã, aliaque, ex quibus vias omnes,

Nnn quę

quæ Neapolim ducebant; infestas faciebant
75 frequentissimis excursionibus. Quibus in-
maximas licet difficultates coniectas res suas
Populus præsentiret, cum tamen numero
de more vires metiretur suas, facilis, ad con-
ferenda certamina erat, sed ad conserta de-
76 ferenda facilior: ad inferenda nimirum,
excipiendaque aduerso pectore vulnera, in-
suetus; in terga tantummodo ferox; quæ
pariter sub primam fistularum explosionẽ;
turpissimè dabat. Non ideò minus verbis
procax, dum quæ agenda essent edicere
omnes, nullum peragere; at verò plures, vt
sunt ingeniosi homines ad suam regerendã
77 in alios culpam; proclamare.

› *Populi causam non milite, sed Duce desti-*
› *tui, Ducem propterea deligendum nomine, &*
› *factis clarum, & Populo fidum, cuius auspi-*
› *cijs Neapolitana Respublica non secus, ac Bel-*
› *gica eiectis Hispanis, quorum iugum iam ex-*
› *cussissent, stabiliretur.*

Quorum sermo acceptissimus omnibus,
nec totus ex vano. (Cum rem militarẽ non
minus constare Duce, quam milite clarissi-
mi

mi inter Volſcos, Romanoſque Coriolani teſtentur euentus,) conſilijs ſummam manũ impoſuit; quæ, hac de re, in vrbe Roma agi- 78
tabat Laurentius Tonſius, qui, palã, in aula illa, fatali omniũ diſſimulatione; nouitiæ Reipublicæ negotia procurabat; vbi omiſſo ſplendidiori Oratoris titulo, obſcuriore reſidentis vſus; magna arrogantia agebat; nihil reueritus Sũmum Pontificẽ, cui ex sũma benignitate lentitudinẽ in aſſerendo, Regno in illo, Eccleſiæ Romanæ iure quodãmodo exprobrabat, non minus munere, quã procaci illa Reſidẽtis Neapolitanę Reip. nomeclatura.
Is igitur Laurentius, ab Auguſtino Lietio ſo- 79
rorio adiutus, Guiſio Duci, ex clariſſima Lotharingię gẽte, Gallięq; Proceribus pręcipuo, tunc Romæ degenti; ſuadet: vt Ducẽ ſe pręberet Neapolitanis, ad eijciendos Ciuitate Hiſpanos dominatione iam pulſos. Placuerat in homine Gallicũ nomen, Nataliũ ſplendor, ſpecies corporis, animi vigor, morũ ſuauitas, hæc omnia prō virtutibus. Nepos erat 80
Franciſci illius Guiſæ Ducis, quẽ de Regno Galliæ optimè meritũ, ſed Hẽrico Regi ęquè

grauem, cũ fratre Lotaringio Cardinalis, in Blessensi conuentu, fęde interemptũ; Gallia ferè vniuersa olim defleuit, plurimorũque cędibus, Regisque ipsius sanguine vlta est. Patrem habuit quo nemini fortuna inter alternas rerum reciprocantiũ vicissitudines illusit illustriùs, quem meritò dubites, an admouerit propiùs sceptro, an supplicio. Quãdoquidem in illa totius familiæ clade, & ipse pueritiã vix egressus supplicio seruatus in carcere; fuga salutem redemit: nec securè admodũ vixit sub patruo, Partiũ Duce, ęmuli, vna Patris imagine cõmendati; haudquaquã patiente. Sed dum rebus Galliæ componendis Hispaniarũ Rex Philippus intentus, eisque imponere Reginam Eugeniã dilectissimã filiam cogitat suã, deque marito genere Gallo ei adiungendo pręcipuus fuit. Hęc scribenti mihi illa subijt cogitatio ad fastũ humani ingenij comprimendũ. Philippus Hispaniarũ eiusdem nominis Rex Secundus, sed rebus gestis ante omnes primus, potentia verò tanta, vt Hispanię vniuersę quatenus immensa littorum spatia Mediterraneo, Atlan-

tico,

tico,& Britannico Mari protenduntur;vnius parerent Imperio; Italia, Germaniaq; ab eius nutu penderent, & Galliæ inteſtino partium furore agitarentur adeò, vt nullas leges eſſent habiturę renuente Philippo. Tantus inquã, tantaq; prudentia Princeps, vt filiã, Patri ſimillimã; in Regio Galliarũ ſolio collocaret; nullũ non mouit lapidem, & quaſi hoſtes ſibi deeſſent in Belgio, ijdemq; S.Matris Eccleſiæ deſertores: ſæpius, magno cũ rerum Belgicarũ detrimento, inſtructiſſimas copias cõtra ſacri fæderis hoſtes reuocauit in Galliã nõ recuſaturus, vt rem aſſequeretur;dignationẽ Gentis Auſtriacę, ſuamq; ipſius ex tam alto faſtigio ad conditiones hominis Galli, nobilis quidem, ſed longè infra tantam Maieſtatem deijcere; & quidem fruſtra. Cum tamen videamus noſtris hiſce temporibus .N.Philippi huius nominis tertij filiam à Ludouico Galliarũ Rege ex peruetuſto Borboniorum ſtẽmate ambitam coniugio, non modo Galliæ Reginam, ſed poſt coniugis obitum ea, qua nunquam aliàs Reges auctoritate imperare apud Gallos, pollere apud Galliæ amicos, terrori

rori eſſe apud hoſtes, nulla prorſus à patre Philippo pietate quidem clariſſimo, ſed in rebus adminiſtrandis Patri nequaquam conſerendo, nè leui quidem adhibita cura ad tanta filię cõparanda; quæq; illam aſſequutam eſſe, Hiſpania hoſtem experta; æternũ dolebit. Vt fateamur neceſſe ſit. Mente alia, altioris naturæ, omnia regi: arcaniſque, & imperſcrutabilibus modis; ea dirigi, quæ ſuperba mortalitas ſuo niti putat conſilio, nec minori imbecillitate nocitura quandoque ſectetur, negligat profutura. Sed ad Guiſiũ reuertamur, qui in ſpes ſecundas à patre eductus, ſacroq; clericali ordini adſcriptus, opulentiſſimis, cũ Archiepiſcopatu Rhenenſi; Sacerdotijs ditatus: quorum annui redditus, aureorũ ducentum millium ſummã attingebant; vbi adoleuit: continentiæ clericalis impatiens, quin, ad longè diuerſa conuerſus, amore nobilis cuiuſdam puellæ vecors; nunquã deſtitit, repugnãtibus licet domeſticis omnibus, vſq; dum; optato tandem coniugio adamatæ puellæ potiretur. Sed cum ſatias amoris in vxorem ex multa copia, vt fit, eum cępiſſet, & poſt ſatietatem

tatem fastidium; spernere primũ eam, deinde odisse, &, vt leuissimi erat ingenij; Romã demum petierat, vt pretextu, nescio quo, expetitum alias coniugium iure, vel iniuria, dirimeret: cum iamdiù per obitũ, ne dũ Patris, sed fratris, ætate maioris; cũ Guisiæ Ducatu; iura omnia opulentissimæ domus in eũ peruenissent. Is igitur Henricus nomine eadem facilitate, qua ex Archiepiscopo maritus, ex marito cęlebs litigator, ex litigatore repẽtè fit Dux Neapolitani Populi contra Regem suum tumultuantis, nihilque mediocre, nihil abiectũ cogitans, sed erectus, & inflatus magnificis Tonsij, Lietijsq; narrationibus de 81
more gentis ampullosissimæ iactantium;
cẽtum quinquaginta millia armatorum prestò »
esse, tormenta muralia, commeatum, pecuni- »
am, cæterumque belli apparatum, quãtum ex »
opulentissima omnium, que sub Cælo sunt Ci- »
uitate; confici posset: Quibus; intactis etiam »
amplissimi Regni opibus, eadem sententis; vni- »
uersa peragrari, subigique posset Italia, nè dum »
paruus Hispanorum, cæterorumque præsidia- »
riorum numerus deleri, qui vulneribus, labo- »
ribus,

› *ribus, inopia rerum omniũ penè confectus, vix* › *arma sustineat, munitionibusque detineatur ve*› *riùs, quam defendatur. Ducem quæri, non* › *ad labores illum, periculaque, iamdiù exhausta;* › *sed ad imponendam præclarissimo facto postre*› *mam manum, hoc est non ad bellum, sed ad* › *triumphum. Nè tantæ, igitur, vltrò se offe*› *renti fortunæ; deesset, neuè tantam Neapolita*› *næ Reipublicæ fælicitatem, sibi gloriam inuide*-
82 › *ret, differetuè.* Satis constat Guisium, non tam charitate Neapolitanorum, vel amore Gallicarum partium ductum, quam ambitione quęrendi sibi Neapolitanum Regnũ
83 hac opportunitate vsum, Fontaneoq; Oratori, cui satis perspecta erat vana hominis confidentia, & vanius ingenium; importunum contigisse hoc Neapolitanorum desiderium; Contra tamen ire non ausum, ne mentes in Gallorum sinum ruentes nimia morositate retardaret; certus alioqui qualicumque Gallorum Duce magis semper, ac magis Neapolitanos ab Hispanis alieniores futuros, & ad corrigenda Guisij errata mis-
84 sam è Prouincia classem cum certioribus Regis

gis de tota re mandatis; breui affuturã. Fa-
uit igitur Fõtaneus palam Guisij conatibus;
qui, vt temerè videri possit tantam rem ani-
mo concepisse; intrepidè certè aggressus est.
De die, non dissimulata discessus causa; Ro- 85
ma egreditur curru; prosequentibus cum
Fontaneo ipso, Nobilium pluribus, vsque ad
mare. Ibique cum paucis familiariũ, celoce
accipitur: nec minori audacia paucis eiusdem
generis actuariolis comitantibus Neapolim,
tanta classe circumsessam; dirigit cursum; quo
in facto, quid magis mirer; robur ne animi; 86
an viri fortunã; in incerto animus est. Ho-
minem inermem, nullo præsidio septũ, in
domicilio gentiũ omnium Vrbe Roma, in 87
qua, vt vetustiora prætereã, Marchio Vale-
zius ad S. Pontificem Regis Hispaniarũ Ora-
tor vim passus erat: in qua magnus Castellæ
Admiratus, dum idem munus, sed extra or-
dinem magnificẽtissimè exercet, vim timuit:
nihil reueritũ Pontificiam Maiestatem, nihil
territum auctoritate, & viribus Comitis ab
Ognate Regij in aula Oratoris, ausum: ne
dum patrocinium profiteri perduellium, nõ

minus Romani Pontificis, quã Hispaniarum Regis; sed ad illud præstandum, sub eorumdem oculis iter palã capessere: tantuloq; nauigio, per mediã hostilem classem, omnia circumquaq; maria insidentem cursũ dirigere.

88 Quibus ausis, licet ingentibus, fortuna maior arrisit, quæ inter tot pericula, Guisiũ ne verbo quidem violatũ, ad orientaliora littora Ciuitati proxima exposuit, inspectantibus, frementibusq; tot maris terræq; Regiorũ Præ-

89 sidijs, frustraque pluribus maiorũ tormentorum explosionibus prohibere conatis, quæ ad celebrandũ verius illius aduentũ, quam ad intercludendũ valuere. Quid ni fortunam maiorem dicã? cum pro modo periculorum docti, indoctiq; eam metiamur? licet nullus adhuc inter ea, quæ recta ratione reguntur, & quę forte versantur; mensuram posuerit.

90 Rectius dixero: stolidã Guisij ferociam prouocasse fortunam, quæ tantis viribus impar, vt sui saltem, antequã cæderet; aliquod specimen ederet, primo statim congressu vires omnes effuderit, hinc superior visa ijs, qui, moræ impatientia faciles; ad primum statim

fabulæ

fabulę actum, plausum dant, mox, ea peracta; 91
maiora sibila daturi. Quibuscumq; tandem
siue fortibus, siue verius temerarij Guisij cęptis
fortuna affuit; exceptusque ingenti totius
Populi iubilo, eorum præsertim, qui fauore
Gallicarum partiũ infecti erant, & taciti lętabantur:
expetitã gentem, rebus contra Hispanos
administrandis; tandem aduenisse, &
inter faustas Gallico nomini, & ipsimet Guisio
acclamationes (quibus ille Reipub. Neapolitanę
nomen addi iussit) interque bõbardarum
strepitus, campaniq; æris sonum; ad
Carminis sacrã ædem deducitur, ibique Deo,
Deiparæque Virgini gratijs ab vniuerso populo;
ritè peractis de fęlicissimo Ducis aduentu.
Inde fauentibus, & benè præcantibus
omnibus; Agnesio, cæterisque Proceribus
prosequentibus, per celebriora ciuitatis loca,
populariũ pręsidijs custodita, quasi ad spectaculum
circumducitur. Nec ipse occasioni de- 92
erat, qui hilari, placidoq; vultu, blandissimis
verbis cunctos exciperet, omniq; fastu omisso,
cuius potissimum inuidia laborare nouerat
apud vulgum Hispanos; æqualem se om-

nibus Gallica facilitate præbere; vsque adeo, vt primo illo biduo, quo apud Agnesium diuertit hospitio acceptus ab eo ad maiorē Turrim: inter mensæ hilaritates passus sit, dum ad largius bibēdum honorificētissimè com-
93 pellatū inuitat Agnesium; excipi ab eo precatorijs ex formula verbis, vt quam suauissimè biberet; ad suam tantūmodo personam inflexis, nullo prorsus addito, editoue verbo, vel facto erga magnum per se virum, & ad maiora euocatum, venerationis argumento; vetusto sanè, & probatissimo more, sed ætate nostra apud terræ filios inter ligones & rastra vix retento. Nihil enim in nostrorum temporum moribus ciuilius, honestiusq; habetur, nihil custoditur diligentius, nihil morosius exigitur; his alloquendi tū verbo, tum scripto formulis, quæ pro mensura dignitatis vniuscuiusq; habentur, & celebrantur. Nec aliunde imminent, etiā inter coniūctissimos, dissidia maiora, quā si eæ prętereātur, vel secus vsurpentur quā oportuisset. Nec maius in pertractandis, peragendisque rebus: ijs maximè, quæ ad Rempublicā pertinent impedi-

pedimentũ; vt meritò videri poſſint; ad ſcindendam potiſſimum, lacerandamq; humanã ſocietatem natæ. Id enim habent inextricabile hæ formulæ, quod vſu, vt cætera non coteruntur, nec coaleſcunt, ſed ſemper augẽtur ne dum cum augmento dignitatis, ſed vel ſolo tempore. Nõ eædem ab omnibus exiguntur, non iiſdem indulgentur ab omnibus, nec minus in eis venit æſtimanda dignitas illius, in quem conferuntur, quam tribuentis, & nihilominus æqualitatem plerumque ſeruant inter longè diſpares dignitate. Quod autem Mõſtro ſimile eſt eam formulã vſurpãt; paſſim ęquales inter ſe tãquam dignitati ipſorum debitam, quam reſpuunt ſæpius à dignioribus, vt imparem: cumque eam, quam ſibi deberi autumant conſequi nequeunt aliqui, lõgè humiliori oblatis ſæpius acquieſcerent, & licet ijdem diutius perſeuerant non eandem in ſe, vel in alijs ſeruent menſurã, vt deſperatæ prorſus ſit operę: eã quærere in tanta generis, opũ, ac dignitatũ varietate, & inconſtantia. Hinc factum, vt cũ Auguſtus totius generis humani Princeps appellari ſe

Do-

Dominum ne à domesticis quidem sustinuerit, eamque appellationē ipse naturæ auctor, vt sibi honorificā agnouisset, sanctissimoque suò cōprobasset ore Deus; illam vulgò homines aspernantur, & cū ea quālibet aliā; quam ex amplitudine, præstantia, & magnificentia rerū sublunarium mutuati primò fuerant, sed cęlestium ęmuli quicquid in eis clarum, illustre, excelsum, sublime, serenū suspicimus, detractum pluribus, & superlatis sæpius verbis ad fastidium vsq; inculcant, & exigunt: in mutua siue verbo, siue scripto alloquutione; vnde verò hęc lues emerserit, & ad terram nostram Italiā, inficiendam irrepserit, adeoque mores inuerterit, vt apud quos vis Imperij tantūmodo valebat, cętera vt inania transmittebantur, vanissimus hic verborum sonus tanti ęstimetur, incompertum; non leuis est coniectura ex Persico fastu ortam, quo eo dementiæ ventum; vt adorari homines ab hominibus gētile apud eos esset. Indeq; vaga tā per oriētaliora Regna, seruire assueta; Romanū etiā Imperium inuasisse (postquam pessimo consilio, & tristiori exemplo, bipartitū,

alte-

alteram sui sedem apud Hellespontum posuit) Imperatorum ibi regnantium Iustiniani præsertim Sanctiones testantur, vt seriùs verò in Italiam cæterasq; Occidẽtales Imperij Poruincias penetrasse, à simplicitate Gẽtium earum factum, quæ ab algentiori plaga, quadam veluti exundatione; occupauerunt vniuersas, insederuntque, vtque dum Arabes in Hispaniam trãsgressi, Gothis pulsis; Prouinciam illam obtinuerunt, quamdum, in plura dispertiti Regna; aduersus Gothorum reliquias, ex Pireneis montibus auitas sedes strenue repetentes; tuentur diù, sed tãdem frustra: diuturno illo pacis belliq; commercio Hispanos hoc, quod secum domo attulerant Arabes; infecere contagio. A' quibus demum Hispanis, patrũ nostrorum memoria, vna cum armis, & Imperio trãsportatum fuit in Italiam, In qua, ex fęcunditate ingenita, terrarum non minus, quam ingeniorum indiscrera siue salubrium, siue noxiarum herbarum genitura vsque ad luxuriam pessimo publico germinauit, & floret adeò, vt in huiusmodi perniciosissimis

mis

mis nugis, præ Italis; ſimplices Hiſpani, & antiqui moris videantur.

Hæ igitur inter homines cuiuſcumq; dignitatis vſurpatæ nuncupationes, quas haud abſurdè titulos vocamus, tanta moroſitate exiguntur, vt propterea illis ipſis diebus
94 Caiuani Dux à Dynaſtis totius Regni ſelectus, qui, eiuſdem ordinis nomine, debitum Auſtriaco deferret obſequium; ad obeundum, ſplendidum adeò, & honorificum munus; admiſſus non fuerit, cum inferius Maieſtate Regij ſanguinis viſum fuiſſet, Excellentiæ titulo excipere accedentem, quo
95 is excipi ſe æquum putabat. Quem eumdẽ obijcem, vt remouerent interpellati Nobiles omnes tam qui in caſtris, quam qui in arce erant, vt binos ex ſuo corpore legerent, qui adeſſent Auſtriaco ad conditiones cũ Populo pro cõmodis omniũ ineundas. Illi Io: Baptiſtam Carraciolũ, & Diomedẽ Carraffam, Hi Ioſephum Sangrium, & Marcum Antonium Genarium nominauere: equeſtris quidem omnes ordinis viros præcipuos, nulla autem Dynaſtia inſignitos. Quinimò,

in

iñ castris ipsis: post longam contentionem, ægrè conuentum fuit, vt Tutauillius intuitu 96
amplissimi muneris, quo ornatus ab Austriaco fuerat Excellentię nomenclatura cohonestaretur ab omnibus, ipse verò Procerũ vnũquemq;, quacumq; dignitate fulgẽtem, vulgari dominationis honore cõpellaret; omisso Illustrissimi, quem illi longè licet splendidiorem respuebant. Quas tamen formulas omnes erga Guisium vt dicebamus negligebat 97
Agnesius, honorificentissimo licet Excellentiæ titulo prouocatus: non quidem ex contemptu, sed ad affectandam, simplicitatem, animorumque coniunctionem, vt assolet inter eos, qui eò suauius insimul viuere ducũt, quò negligentius, & ideo Guisium, inurbano illo secundæ personę pronomine, quacumq; honestiore appellatione postposita, excipiebat. Nec respuebat *Guisius*, qui totus ad popularitatem compositus; lætabatur inanibus hisce, infra omnes deprimi; vt faciliùs supra omnes se attolleretur. Primordia verò affe- 98
ctati Regni haud leuia fuere; sed quæ Guglielmus Princeps Orangius, dum res nouas

apud Belgas molitur, post excitas sæpius sedibus suis Germaniç, Gallięq; bellicosissimas nationes, post repletã armis, cædibusq; Prouinciam, post excitatum, coalitumque apud
99 Batauos nouum maris Imperiũ, post tot rerum discrimina vix assequutus fuerat, vt sũmus apud eos armorũ Dux esset, & moderator. Id ipsũ Guisius, apud Neapolitanos, primo statim ad eos appulsu obtinuit, vt intelligere posset pręcociores facilius marcescere fructus. Quo tamen Imperio nihil diminutũ fuisse de Agnesij potestate, patuit edicto; eiusdẽ
100 Agnesij iussu publicato; die decima nona mensis Nouembris, quo edicto pręfatus.

, *Constituta iam cum libera administratione*
, *Neapolitanæ Reipublicæ forma sub Christia-*
, *nissimi Regis patrocinio, cuius potissimũ auxi-*
, *lio eijciendi essent Hispani, presto fuisse Sere-*
, *nissimum Hẽricum Guisiæ Ducem ex Gallia-*
, *rum Proceribus præcipuum. Edicebat prop-*
, *terea Agnesius eidem se Guisio; pro sua, & bel-*
, *lici Senatus potestate: summum armorum in*
, *Republica Imperium demandasse, iubebatque*
, *capitis, & fortunarum pæna indicta vniuersis,*
qui

qui in Ciuitate, quiq; per Regnum omne in ar- ,
mis essent ei debitum præstarent obsequium, ,
quod quidem obsequium sub eadem intermi- ,
natione pænarum denegari præcipiebat Hispa- ,
niarum Regi, Regijsque. Cumque eadem ,
die Guisius in æde sacra totius Ciuitatis
Principe magna celebritate Magistratum, 101
inijsset, palamque obstrinxisset se, posterosque omnes Sacramento (Archiepiscopo Cardinali auctorante) ritè, pièque demandatum à Republica Neapolitana munus obiturum, omniq; fide, & constantia adhibitis, Reipublicę libertatem contra quoscumq; defensurum insectatione adiecta, & detestatione contra illos è suis, qui fidem fefellissent.
Subsequuto die Agnesius idem, quasi rerum 102
omnium arbiter, & dominus edicto alio publicauit.

Serenissimo Henrico Guisæ Duci Rempu- ,
blicam Neapolitanam virtutis ergò tantũ di- ,
gnitatis, ac potestatis decreuisse, quantum ob- ,
tinuisset apud Belgas Princeps Orangius, eius ,
propterea iussis obnoxios omnes esse debere æquè ,
ac suis. ,

Quo decreto non minus augebat Imperiũ
103 Guisij, quam dominatum ostentaret suũ, nec tanta res diù latuit apud Regios, cum plena omnia essent, vt in bello ciuili; transfugarũ, eorumque, qui siue spe premiorũ, siue libertatis dulcedine contrarias ex occulto fouebãt partes. Sed nihil æquè vrebat Regios, quã ce-
104 lebris illa per Cardinalẽ Archiepiscopũ Guisij inauguratio. *In ore omniũ erat Cardinalẽ ex Regia Purpura Cardinalitiã dignitatem æstimare solitũ, perparcũ propterea in conferẽdis honorificentioribus dignitatũ titulis, Guisium tamen in celebritate illa Serenissimũ nũcupasse, nec minus re, quam verbis fouisse, dum tradito eidem in signum amplissimæ potestatis gladio Cardinalis, sacra prece; publicè benedixit.*
105 Et licet non deessent inter eos aliqui memores eorum, quæ Cardinalis in regiã causã contulisset, leuius prædicta accipientes, excusantesq; factum tum muneris, tum tẽporis necessitate; longè tamen facilius iniuria recens, preterita quæcumque est apta delere merita, quã preteritas iniurias presens meritum, siue id corruptis moribus debeamus, qui illud quæ-

quæstui, hoc in damno habeant, seu veriùs, vt natura cōparatum est, bonitatem omnem ex integra partium omnium conspiratione gigni, quod verò malum est ex qualibet quantumuis leui deformitate. Non secus, in rebus peragendis; perpetuã quamdã eodem tenore rerũ gestarum cõsensionem, & constantiam ad laudem exigi consequendam, indiscretis etiam, (quod iniquissimum est) causis ad diuersa plerumque trahentibus; pluribus propterea Cardinalem maledictis proscindere, qui auctoramẽto illò, sacrosanctę potestatis; turpissimam à Rege populi defectionem cõprobasset. Sed inclementius cæteris Prorex, repulsa accensus, qua renouandę concordię spe deiectus, simul obijci sibi, haud obscurè; senserat fidem publicam violatam. Cuius turpitudinis infamia quò fędior apparebat ex vanitate conatus, eò impatientiùs eam sibi exprobrari tolerabat. Iaciebat igitur identidem, 106
Concoctum diù virus Cardinalem tandem vomuisse, perfidiamque Gallicarum partiũ, quã puer domestica institutione imbibisset, aluissetq; Romæ in scola Barberina, regressusque domũ

in

*, in sacrum intrusus ministerium contra Regi-
, os administros, fidamque Regi sui Nobilitate,
, prætextu tuendæ Æcclesiasticæ iurisdictionis
, exercuisset; ad primum Gallici Ducis aduẽ-
, tum nudauisse; hostemque professum, gladiũ
, palam contra Regias partes, Regemque ipsum
, strinxisset. Quidni in Regem, regiosque strin-
, xisse dicatur, qui traditum à desciscente Po-
, pulo Gallico Duci, ad Regem optimum, per-
, summam iniuriam, auito spoliandum Regno:
, Deo commendauerit, commendatum (si per-
, duellium vota audiret Deus) in caput bono-
, rnm omnium, sacrilega præcatione, demiserit;
, non eas tamen habiturum vires apertum ho-
, stem, quibus, in rerum perniciem, grassatus
, esset occultus proditor, nec eadẽ facilitate, qua
, potuit, Masanellico furore abusus, dolis in-
, structissimus; dominationis neruos abscindere
, conditionibus; æquè valiturum veteranum
, militem instructissimam claßem, & Dynasta-
, rum arma perfringere, imbellem clericum, &
, inani purpura tumidum.*

107 Insectationibus hisce Prorex conceptum ex aduersis rebus dolorem lenibat, & quem

sæpius

ſæpius ſalutis auſpicem celebrauerat, malorũ
omnium auctorem, & quocumque Maſanel-
lo deteriorẽ prædicabat, pænaſq; ab eo inter
perduellium præcipuos repetendas aiebat.
Quibus pręluſit, dum in ea Ciuitatis parte,
quę Regijs pręſidijs tenebatur, denegata Car- 108
dinali Pontificij muneris functione; à ſum-
mo ſacrorum antiſtite Innocentio, obtinuit
Epiſcopo Caſtri ad mare demandari: cauſa-
tus hauquaquã obiri ab eo poſſe, qui volens
inter publicos hoſtes verſaretur. Sed longè 109
grauioribus angebatur curis ex inopia com-
meatuum, quos apparebat, magna licet parſi-
monia, & cura diſtributos, tãtæ alendæ mul-
titudini breui penitus defuturos. Nec vlla
ſupererat ſpes terra importari poſſe populis
circa omnibus tumultuantibus, mare verò
clauſum hyeme eſſet, & tempeſtatibus ſæuũ
adeò, vt claſſis ipſa non ſemel periculũ adie- 110
rit, quo etiam non niſi nauigiorũ quorũdam
naufragio defuncta eſt. Quas difficultates
cumulabat omniũ maxima rei nũmariæ pe-
nuria, quã temporũ ratio, & rerum ſtatus in-
extricabilem faciebãt: cũ Neapoli fides pror-
ſus

ſus defeciſſet, nec ab Hiſpanijs, cæteriſque Prouincijs Hiſpano obnoxijs, ſuis vnaquaque implicita difficultatibus; vlla ſubſidij ſpes ſupereſſet, & quę ab Ognatto Oratore Regio,
111 & ab aulæ Romanę Proceribus Hiſpano nomini addictis; corraſa ſubmittebantur: præſentiſſimi rebus in omnibus, præcipuè bellicis, pręſidij; pateſaceret potius, quã expleret neceſſitatem; Reuocandę igitur concordiæ,
112 quã bello turbauerat Prorex; curas omnes nũquam intermiſſas, acriùs intendebat; nec deerant ex vtraque factione plures, qui vel ſpe prępmiorũ, vel obſequendi ſtudio; multa ei pollicerentur; & longè maiora, quam pręſtare poſſent, quos nec ſequi tutũ, nec ſpernere conducibile: cumque, vt neceſſe erat de
112 Ciuitate in duas diuiſa, plures vtrinque conſanguinitate, & affinitatibus coniuncti verſarentur, locis potius, quam animis diſcõrdes, plura inuicẽ de iure partium, deque ineunda concordia diſſerebant, tranſigebãtque, tranſacta vulgabant tamquam omnibus probata, vel approbanda. Ita enim natura comparatũ habemus, & noſtris inſitum ingenijs, vt quã

quiſque

quiſque capit de re ad omnes pertinente sẽtentiam; æquum putet, & pronum cæteros ſequi, repugantes verò coarguat. Sermones hi lętiſſimi accidebant Proregis auribus, qui ſumma benignitate, omnique verborum honore excipiebat omnes cuiuſcũq; concordię auctores, oneratoſque inſuper promiſſis; multiplicique liberalitate ad optimè cogitata fortiter peragẽda; animatos demittebat. E contra Agneſius, qui ad expellẽdos Hiſpanos conſilia omnia dirigebat, intelligebatque: nihil pernitioſius partibus hoc ſanciendę concordiæ lenocinio, inualido illo quidem ad expugnandum irritatum atrocitate iniuriæ Plebis animũ, apto nihilominus, factoque ad plurium fidem labefactandã; non contentus omnem rei mentionem ſępius repuliſſe prohibet edicto, pæna capitis, & fortunarum indicta.

114

115

Ne quiſquam auderet de concordia agere, cum Hiſpanis fideifragis, ijſque, qui quadraginta, & amplius capitum milla ſecurè ſub fide publica degentium fædè, & proditoriè interemiſſent. Cui & aliud ſuperaddidit; eadem,

Qqq vtrum-

vtrumque duodecima die mēsis Nouembris. Quo, recensitis, acerrima cum insectatione; quibuscumque à Prorege, contra fas, in Populi iniuriam admissis; crimini dabat: ab eodem immanissimè proscriptum Agnesiũ ipsũ
116 Populi vindicem, & libertatis assertorē, proposito percussori præmio ducatorum decem
, millium; *Edicere propterea se eximendi è nu-*
, *mero proscriptorum à Populo quatuor incen-*
, *dio ambustos ius fore ei, donando insuper no-*
, *bili pago à perduellibus auferendo, qui abscis-*
, *sum caput proditoris Ducis de Arcos, olim*
, *Proregis: sibi retulisset, ni maluisset ducatos*
, *quinquaginta mille.*

Sed dum Agnesius his, alijsque insectatur Hispanos edictis, populares pariter suos intra Regia præsidia inclusos ad transitionem sol-
117 licitat non sine successu, dum quò maior rerum omnium apud obsequētes erat penuria, eò desiderabiliorem cum copia faceret delatã libertatem. Guisius interea ad arma omnes
118 vocabat, vsusque Plebis ardore impetu validissimo, secundo ab inauguratione die, quingentos armatos ante lucem immittit, qui ad

occi-

occiduam Ciuitatis partem per Vomerum
(quæ Regio in partibus erat) descendentes,
ex ædibus Ducissæ Grauinæ impetu capto;
Chiaiam occupant, & ad ædes vsque Princi- 119
pis Montis Sarchij, Sanctiq; Caroli peruadē-
tes; tumultuariam ibi excitant munitionem,
indeque impetu renouato Mortellæ, & Hiſ-
panorũ peruagati Regiones cædibus replent, 120
& rapinis; inter quas spaciũ fuit Baroni Vua-
temuilio, Principi Tarsiæ, & Iosepho de
Sangro, conglobatis, quos sors obtulit vete-
ranis, cũ turma equitum sequanorũ; disper-
sos, prædaque onustos aggressores ferè om- 121
nes, vel obtruncare, vel capere; & per incu-
riam facilè amissa, virtute recuperare. Nec
dubium fuit, quin si meliori disciplina, serua-
tis ordinibus; acies illa processisset, iustisque
firmata de more subsidiis, omissa præda; par-
ta firmasset, (id quod in tanta armatorum
multitudine facillimum erat,) ipso agendarũ
rerum initio magnum Guisius nomen ma-
iori cum partium Regiarũ iactura esset cōse-
quuturus. His nāque obtentis Regionibus,
& vniuersa ferè exclusissent Regios Ciuitate,

& ſub ipſa quodammodo Caſtri noui arce;
122 munitiones ſuas promouiſſent Populares.
Triſtem euentum triſtiorem fecit Proregis
ſęuitia, qua ex captis plures furca ſuſpēdi iuſ-
ſit: reliquos ad triremium tranſtra cathenis
vinctos remo addixit; finiſtra Guiſij fama, qui
vt non potuerit, abſens, cohibere à præ-
da militem; certè debuiſſet ſubſidijs firmare
primam aciem, ad quæ, pulſis, aut alio infor-
tunio preſsis; tutus receptus eſſet. Niſi Gui-
ſium culpa liberet Dominici Millonij turpe
facinus, qui, cū numeroſo milite; iuſſus ter-
gis præcedentium inſiſtere; eiſque adeſſe in
123 vtraque fortuna; locum in ſuſcepta noctu ex-
peditione non tenuit, deſertamque fuiſſe à
ſubſidiaria primā aciem nō negligētia Ducis,
ſed proditione commilitonis. Compertum
habeo Millonium, iactare ſolitum turpitudi-
124 nem hanc ſuam apud Hiſpanos, eiſque impu-
tare, ſe in ipſo expeditionis articulo, cauſatū
imminere periculum Munitionibus fidei ſuę
concreditis ab vicino hoſte; proclamaſſe ad
arma, & in armis quaſi propugnaturum ſuū
militem, tandiù retinuiſſe in munitionibus,
quan-

quandiù ſimul cum nocte illa rei benè gerẽdę præteriret occaſio. Sed omiſſo Millonio, ſiue verò proditore, ſiue ficto (certè falſo) medulla nimirum ipſa proditionis. Guiſius, 125
ex innata ferocia potius irritatus, quam territus iactura illa; die cõſequenti iterum ad oppugnandas Regiorum munitiones ad S. Mariæ recentioris Populum duxit, ſed eadem fortuna iterum pellitur multo cum ſuorum ſanguine; iniquiſsima namq; erat oppugnãtium conditio, qui pluribus, e tutò partibus, 126
à peritiſsimis fiſtulatoribus peterẽtur improuidi, & prima tantum ſcloporum exploſione, plerumq; inani, feroces: deindè refugi ſua, ſuorumque munia turbarent; nec ſi pes conferendus eſſet veteranorum militum aſpectũ 127
ſuſtinerent; cumque in arcto plerumque, & viarum anfractibus res eſſet, vbi multitudo, qua Populus pollebat ad aliud non valeret, quam vt plumbeæ glandes, aliaque ignita 128
iacula in confertiſſimos immiſſa irrita nunquam, ſed plurium cum pernicie caderent ſemper, cunſultiùs viſum à nihil profuturis aggreſſionibus, impoſterum, abſtinere; ſameq; regios,

regios, vt feras bestias; cubili pellere ab inac-
cesso: non expectaturos Gallicã classem, quã,
magnã belli molẽ trahentẽ; breui affore fa-
ma erat. Interea vt promptiorem haberet
militem Guisius, prohiberetque facilius sub-
uectiones illas commeatuum, quæ Puteo-
lis, Auersaq;, cęterisq; circa municipijs, equi-
tatu insessis, furtim quandoq; penetrabãt ad
Regios, copias in campum sub signis edu-
130 cere statuit, non omissurus quamcumque
rei benè gerendæ occasionem, eam certè
nequaquam defuturam; expediendi securi-
ùs commeatus suis, apud quos non eadem
131 licet laboraretur, qua apud Regios penuria,
illa tamen nõ abũdabant copia, vt alẽdę tãtę
multitudinis cura negligi posset; Quam cer-
te non negligebat Agnesius, qui, propositis
pluribus edictis; modò quo pretio, quo lo-
132 co, quo ordine, quibus arbitris; distribui
deberet panis tam militibus, quam pagani-
cis cæteris; modo, vt quem quisque frumẽti
modum habuisset, apud Vincentium de
Andrea, Iurisperitum, summum annonæ
militaris præfectum; profiteretur, certoque
recep-

recepto pretio conferret in publicum, gra-
ui indicta pæna in eos, qui subtraxissent, clã-
uè habuissent; modo permissa, dein repressa
licentia perscrutandi domos: an frumenti
quidpiam in præcepti fraudẽ lateret; mo-
dò vt pistores quoque quodcumque à sum-
mo totius annonæ Pręfecto Rôchę Principe
habuissent frumentum in tabulas publicas
referrent; modò dũ interiori cura ipsis cha-
lendis Decembris, adhibita etiã *Senatus* mi-
litaris auctoritate, cæterorumque Procerũ
Populi tum togatorum;, tum sagatorum,
plura Pistoribus, Ottinarumque Præfectis,
cæterisque de Populo omnibus, pijs etiam
familijs comprehensis; in eadem re enixius
præscribit, Quæ vt fusius prosequi putidum
esset, ità obiter, summatimque significata;
demostrant valdè solicitos etiã Populares fu-
isse; de commeatu, ad quam leuandam soli-
citudinem respiciebat etiam Guisius, copi-
as ciuitate educturus. In exitu igitur No-
uembris iubet ex qualibet Ottinarũ cohor- 133
te, denos expediri milites, omnium selectis-
simos, eosque nomina dare Augustino Lierio
custo-

custodum corporis præfecto, ex quibus cohortem prætoriẽ ipsiusmet ductu militaturã componeret, quorum singulis (vltra ducatos auri duos ante quodcumque munus mutui vocabulo) binos carolenos nummos in diurnum stipendium, & annonę subsidium procederet, (Hoc nouitium militiæ, prætium ætas nostra tulit, non ex belligerantium, vt olim depromptum ærario, nec sublatum ex hostico, sed ab amicis, subiectisque, per summam iniuriam, emunctum, tanta quandoque acerbitate, vt nihil crudeliùs timeatur
134 ab hostibus) Aliũ pręterea militem legi voluit Guisius, ex pagis, ciuitati conterminis; quibus bini pariter, vt Prætorianis preberẽtur ducati præsenti pecunia, in diurnum autem subsisidium carolenus tantummodò vnus procederet singulis, vetitis in horum albo censeri
135 ijs, qui vrbanæ militiæ adscripti essent. Quo delectu, alijsque voluntarijs, peditũ quatuor millia, equites quadringentos duodecimo die mensis Decembris Guisius Ciuitate eduxit; simulatoque Auersam itinere, ad mare flectebat; intercipiendę per proditionem Baianę arcis

nç arcis intentus, vt securam aduenienti 136
Gallicæ classi præoccuparet in Baiano sinu stationem; sed proditione, per aulicum ipsius puerum; patefacta, punitaque dum irriti
conatus dolorem, qua nam debeat solari ex- 137
peditione deliberat: tumultuario prælio, ad Sanctum Iulianum, à Regijs lacessitus, licet numero longè paucioribus, parûm abfuit à summo discrimine, quem aditurus haud du-
biè fuisset, si vniursç ab Auersa copiæ in tem- 138
pore adfuissent. Periculum fuit à Tyrone milite, primo statim congressu, fugam respiciente, vixque retento. *Guisij auctoritate,* ,
præcibus, minis, exprobrantis ferociam verbo- ,
rum, manus stuporem, identidem rogitantis ,
ecquos fugerent, respicerent quot essent, à quibus ,
pellerentur, ab vno decem, vèl nudis ipsorum ,
manibus discerpendos. Pudore tandem potius, ,
quam virtute constitit acies eò perseuerantiùs, quò remissus Regij agere cçperunt, re-
tardati cæde cuiusdam Prçfecti equitũ, alio- 136
rumque promptissimorum vulneribus, ipsius præcipuè Marchionis Sancti Iuliani impigri, & magnæ spei adolescentis, quo sub-

ducto, reliqui etiam prelio cessere, pluribus ex Guisianis interfectis.
138 Ab hoc prælio Guisius Auersam copias ducit, non magis fretus viribus suis, quam hostium imbellicitate; nouerat enim frequentibus inde transfugijs copias ferè omnes à Dynastis adductas dilapsas; domos quasque suas repetijsse, tum stipēdij inopia, tum rerum nouarum siue studio, siue timore, quę proclamante ad libertatem Agnesio; vniuersum peruaserant, & inuoluerant Regnum.
139 Præsidebat Auersæ Tutauillius ipse Magnatibus quidem cũ pluribus, raro tamen adeò milite, vt vix sufficeret ad illius præsidium, nec suffecturus quidem si iusta ingrueret vis. Animos dabat anni tempus expugnandis vrbibus, nequaquam opportunum, nec minus hostium contempus, non ausus tamen egre-
140 di męnibus concessit Guisio, quas vellet, ex agro ducere prædas, qui in conspectu Ciuitatis positis castris, quam vi oppugnare desperabat, verbis aggreditur: petito, obtētoque cum Neapolitanis Proceribus, in vrbe degētibus; colloquio. Data, receptaque fide Dux

Andrię

'Andrię Nobilibus pluribus comitatus vrbe,,
egreditur, cui obuiam factus, cũ paucis Gui-,
sius, post benignissima salutationis officia,, 141
sic orsus dicitur. ,

*Optata diù, Excellentissime Dux, summisq;,
à vobis omnibus, maioribusque vestris expetita,
votis, data tandem facultas eximendi vos ab,
impotenti Hispanorum Dominatu. Sed quid,
facultatem commemoro? iam exempti estis, ni,
in vestrum diutiùs conspiratis seruitium; non,
enim opibus suis, quæ nullæ iam sunt, sed vir-,
tute vestra per suetas artes abutuntur Hispa-,
ni, vt deploratas res suas vtcumque sustineãt,,
habituri solatio: Regnum delectibus exhaustũ,,
rapinis vastatum, oneribus pressum, quod re,
tinere non possunt; cædibus proscriptionibusque,
totius nobilitatis, funestari. à sæuo illo Hæbreo-,
rum Tyranno deprompto consilio, qui vt lu-,
ctuosum vel inuitis obitum faceret suum; cæde,
natorum totius Gentis Principum: celebrari,
iussit exequias suas. Non ego per prælia, per-,
que rerum discrimina, Excellentiã vestram,,
reliquosque Proceres ad expellendos superbos,
Dominos inuito; sed vt quiescentibus vobis ex-:*

, pelli permittatis; non in partem curarum voco,
, sed ne diutiùs commodis vestris aduersemini;
, nec ad mutandum dominum hortor, sed ad ha-
, bendam quam malueritis Reipublicæ admini-
, strationem, qua nulla deterior est (vt experti
, estis, Neapolitanis) ea, quæ absente Principe,
, per eos regitur; qui potestate non sua; rebus,
, subiectisque abutuntur: tãquam alienis. Quod
, ad me attinet, misertus calamitatum nobilissi-
, mi Regni, Ducisque de Arcos abominatus per-
, fidiam, rogatus adueni; hanc vlturus, leuatu-
, rus illas pro viribus. Quæ vt deficere possunt
, in homine, qui cuiuscumque moræ impatiens
, aduolauit inermis, & imparatus ab omnibus;
, nunquam certè deficiet fides: ex ea nimirũ gen-
, te nato, quæ insidiantibus vitæ suæ parcere po-
, tuit, nè fregisse fidem videretur. Vtimini sa-
, nè, pro vt libet, siue adiutore, siue spectatore;
, uullum namque munus demandabitur excel-
, sum adeò, quo deterrear, nullum adeò humile,
, quod contemnam.

142 Ad quæ Andrius.

, Nullis vnquam votis ipse, maioresuè mei,
, nisi pijs solicitauimus Deum, & qui Regẽ po-
ten-

tenitissimum Religionis, ac pietatis vindicem, & assertorẽ, nobis regẽdis benignissimè concessisset; diutiùs seruaret incolumen; nec tanti vnquam putauimus, Serenissime Princeps Neapolitanam Nobilitatem, durioribus quandoque premi tributis, quæ temporum ratio exigit, vel necessitas bellorum indicit, vt propterea à Regum optimo desciscendum putauerimus. Quinimò ipsis nostris suffragijs nobis vltrò imponimus, vt suscepta potiùs, quam imposita dicenda sint, probèque nouimus quietem Gentium, & quæ quietem sequuntur, pietatem, bonas artes, fælicitatem; nusquam magis inconcussam perducere, quam in magnis Imperijs; quæ in modicis turbata sæpè, solicita est semper: asperiora agnoscimus, & solutiora quãdoque Præfectorũ Regiorũ ingenia, gratiosorũq; hominũ petulantiam, & non rarò rapacitatem; quorum iniurijs exponimur: tardo, ex longinquitate, Principis auxilio. Sed & sæpius grandines, cæliq; inclementia multiplex; atterit fruges, sterilitates indicit: nullus tamen, qui sani capitis sit, sapientissimum Naturæ moderatorem culpat, minusque ab illius regimine subducere se, vel,

optat,

, optat, vel audet. Ausa licet à Rege nostro Plebs
, nostra, quorumdam perditorum audacia: qui-
, bus, vtrum deceat adstipulari Serenitatem ve-
, stram, tantũ Principem, Gente oriũ ea, quã,
, potentissimus Rex noster pluribus sæpè, ijsque
, ingentibus ornauit beneficijs, ipse viderit; me
, verò, ac commilitones meos patiatur; eam ser-
, uare Regi nostro, optimè de nobis merito fidem,
, qua Serenitas tua gloriatur, & meritò, proge-
, nitores suos ijs etiã seruauisse qui vitæ suæ stru-
, xissent insidias. Et demũ intelligat: quã à ma-
, ioribus nostris, per manus traditam, Reipubli-
, cæ habuimus constitutionem; eam ad vltimum
, vsque vitæ spiritum seruaturos; nec vnquam
, à fide Regi nostro debita descituros. Quin si
, (quod abominor) tam malus, vmquã, mise-
, ris nobis contigerit dies; vt ipsi à Rege nostro
, destituamur: sciat Serenitas tua; nunquã nos
, cũ illa Plebeiorum fæce conuenturos. Egonè
, patiar Agnesiũ, nescio quẽ fabrili etiãnum os,
, manusq; aspersum fuligine, ceterosque eiusdẽ
, farinæ terræ filios; æquari mihi? præferri? præ-
, fici? & in illa ciuitate, in qua maiores nostri,
, nobilissimi viri semper, sibiq; debitũ honorem
obti-

*obtinuerũt; ego degener id monstri ferã, vt in- »
ordinem redacta Nobilitas; ludibrijs Plebeio- »
rum exponatur, qui natura hostes, quã fortu- »
nis nostris inhiantes acuunt famem, hausto etiã, »
sanguine expleant? Si hæc est libertas, abnuo, »
detestor libertatem, & quacumque seruitute, »
illorũ etiam qui ad transtra triremiũ addicti »
sunt remo, censeo tristiorem.* »

His perorauit Andrius, cum haud dubia adstantium nobilium approbatione ira successus in Plebem, quæ non ingrata fuit Gui- 143
sio: fundamenta iam sibi Regni iacienti, super hac ordinum dissẽsione quò magis libertati insotiabili, eò aptiore ad struendũ Principatum. Non omninò abs re, sed præposterè: exteris nondum pulsis, qui, tanta mole belli; & consiliorum Dominationi inhærentes, 144
nouanti res longè ante concordibus animis, iunctis viribus expelli debuissent, non discordia interiùs admittendi, retinendiq; tenaciùs. Neq; enim diuidenda sunt spolia ante victoriam, quæ certiùs sæpiùs amittitur parta, præoccupatione prædarum. His animorum motibus diremptum est colloquium; leniẽte 145
Gui-

augendam negligentiam Hispanicę classis disseminatus fuit, quam si ad minuendam confidentiam Neapolitanorum. Quandoquidē citò hæc rediјt, & aucta est: visa classe incolumi; illius nulla iactura, hostibus opportu-
152 nitate non vsis. Classis namque Gallorum, quæ si subito aduentu; hostilem fuisset aggressa, in anchoris stantem, milite vacuam, & ab omnibus imparatam; in potestatem, magna saltem ex nauium parte, redigere potuisset: vbi ad illius conspectum extra teli iactum peruenit, circa meridiem: dimissis velis stetit cunctabunda, quasi consultò tempus terens, vt spatiū esset hostibus; ad se
153 instruendum ad pugnā. Certè in vniuersa hac Neapolitanarū rerum agitatione, si in ancipiti vnquam fuit Imperiū Hispanorū; ad huius classis aduentum maximè fuit: apparuitque ruinæ proximū Proregi, cæterisque Proceribus, præsertim dum primo defuncti,
154 hostium incuria, vtcumque periculo; deliberant dubij.

„ *An, detracto munimentis milite; classem „ firmarent: cuius iactura, omnes vbiq; ipsorum*

res

res affligerentur; an in illis retento, ſimul Spes retinerentur recipiendæ Ciuitatis, & Regni, quas cum milite dilabi neceſſe eſſet longè pauciore, quam qui, ad vtrumque munus ſufficeret: tuendi ſcilicet munitiones, & claſſem; Spes tamen vicit, & in rebus arduis Hiſpanicę Genti inſita vicit perſeuerantia, & animi fortitudo; decretumque ſupplendum militẽ dome- 155
ſticis copijs, conuerſuſque Prorex ad circumfuſam Nobilitatem.

Eia Proceres tempus aduenit, quo iam ſatis probatam Regi veſtram fidem, ità commendetis ad poſteros etiam fortitudinem, vt nulla vnquam deleat obliuio. Vobis aſſumenda eſt defenſio munitionum illarum à Plebis vecordia, tantiſper, dum miles claſſi redditus; hoſtẽ profligat: & iras contra ciues conceptas, honeſtiùs, lætiuſque in illum explet. Erratis, ſi credatis laudem vos defenſarum per paucos dies munitionum tantummodò laturos, laborem potius æſtimantes, quam meritum. Dum corpore inacceſſa illa propugnatis loca, claſſem, ſi neſcitis, quo præſidio ſtat maris Imperium, Regi noſtro; conſeruatis & cum claſſe Ductoris,

, *Austriaci Regis filij decus, & existimationem;*
, *eodemque tempore & Ciuem resipiscere edo-*
, *ctũ cum Patria recipitis, & vlciscimini hostẽ,*
, *qui diffidijs nostris, non sua virtute fretus; no-*
, *bis insultat. Pro quibus meritis, sub ipsius Au-*
, *striaci oculis partis, & à me nunquã non præ-*
, *dicandis; condigna expectate à Regum optimo*
, *præmia, in fidei, & fortitudinis vestræ testimo-*
, *nium sempiternum.*

156 Quibus dictis assentientes magna alacrita-
, te, qui aderant nobiles, *testantur nullum se*
, *laborem in Regia causa, nullũ recusare discri-*
, *men, satisq; præmiorũ fore; vbi doceant: nihil*
, *cariùs Neapolitanis Equitibus, sua erga Re-*
, *gem fide, nihil antiquiùs, quam maiorũ suorũ*
, *exemplo in optima causa agere, & pati fortia.*

157 Nec mora, censentur nobiles cum asseclis ferè ducenti, suppleturi præsidia munitionũ, ex quibus dimidium ferè militum Hispanorũ decedere iussi, classemq; conscendere, accepturi & ipsi supplementũ: mille quingentorũ è lectissimis Ciuium, qui in Regijs partibus erant: tanto omniũ studio, & alacritate, vt, ex Nobilibus plures, Dynastijs insignes, (nõ dedi-

dedignati gregarij militis munia) onerati armis stationes de more subirent, obirentque 158
die, noctuque, & Populariũ longè plurimi; auri purissimi Venetum nummũ recusauerint, quo, in maxima pecuniarũ penuria, quilibet donabatur, classem conscensurus. Firmata milite classe, quæ nauiũ robore, & numero superabat hostilẽ, nõ propterea ad manus ventũ, perseuerante Gallica in suscepta 159
cessatione; nec valente Hispanica altũ petere, reflante vento, nec si valuisset; hostem aggressura: destituta, nimirũ, nauibus Donchercanis, quæ, vt depressiores, expeditioresque; ità aptiores habebantur: ad conferendã pugnã, sed illę ex Baiano sinu; eodem pro- 160
hibente vento, explicare se nõ poterant. Gallicæ classi, viginti octo celsis nauibus constãti, præerat cum sũmo Imperio Dux de Riche- 161
leu, ętatis immaturę; cui regẽdæ additus Bagliuus de Valenzè, ex militari S. Ioannis Religiosa familia pręcipuus; nautica militia clarus; & qui secunda sui fama, diù classis Melitensis summam Præfecturam gessisset. Is, illacessitis hostibus, tertio ab aduentus sui

die,

die, Castrum ad mare versus proras dirigit
162 primoque statim aduentu; Nauem intercipit moliturę frumentorum intentam, Oppidũque terret, magna Hispanorũ solicitudine ob periculũ molarũ frumentariarũ, quibus solis vtebantur, ad quod, quacumque ratione auertendum; cum hoste confligere omnino decernunt; licet namque in Oppido illo firmissimum adesset præsidium, equitatus pręcipuè; quod nullã timeret ex classe militum excensionem; metus nihilominus
163 erat à Polito Pastore, qui ex Popularium Ducibus vnus, tumultuarius ille quidem, sed qui occupato Salerno pluribus circa locis; magnas mouebat Populorum turbas, & in diem terribilior vicinis omnibus imminebat, Castro præsertim ad mare. Cũ igitur rostratarum remulco Donchercanæ tandem naues ex Baiano sinu in altũ eductę essent, coniun-
164 ctis viribus Hispana classis in hostem fertur. Nec Gallus detrectat certamen, quamuis numero, & robore nauium impar, premereturq; ab hoste vento antecapto plenis velis in ipsum tendente; cui tamen cum acie explicata,

ta,

ta, & compoſita occurrere, reflante vento,
non poſſet, ſiniſteriore illius cornu in altum
producto, nauium agilitate, & nautarum pe-
ritia vſus; ab impetu hoſtilis irruentis ſe ſub-
duxit; veliſque omnibus conniſus, ventum
præripere hoſtibus contendit; non dilata in-
terim eminùs pugna, pluribus hinc inde exer-
cita maiorũ tormentorum ictibus. Sed lõgè
maiori ſtrepitu, quam ſucceſſu tot vndique
reboantibus, ex tantis claſſibus bombardarũ
fulminibus, quibus mare cęlo miſceri crede-
retur; ſed innocuus, vel leui iactura lignorũ
potius perforatorum, quam cæſorũ hominũ.
Sed poſtquam Gallicæ claſſis cornu magna
velorum contentione peruenit quo tẽdebat,
ventumque præreptum in commilitium aſ-
ſumpſit, directis in hoſtilem proris; tũc im-
mutata pugnæ facies, dum Hiſpanicarũ na- 165
uium plures eadem ventorũ difficultate ter-
ritæ, qua hoſtiles preſſerant, earum cõgreſ-
ſus vitant, veliſque aliò verſis ad captandum
ventum, ſeu veriùs honeſtum fugę prętextũ,
prælium deſerunt. Conatu alio, & longè di-
uerſo maiores illæ, in quibus totius claſſis vi-

res

res repositas diximus, nec pugnam deserũt;
166 nec spem victoriȩ; quȩ licet à pluribus singulȩ à frõte, à lateribus simul ingruentibus, ignitis vndique omnis generis iaculis incesserentur; imperterritæ repugnabant, id super omnia quȩrentes, vt iactis in hostiles ferreis manibus ad quasi statariam adigerent eas pugnã: quod illæ discrimen pari studio declinant, & maiori agilitate proras circunferentes vitant. Cum tamen prohibere non possent, quin quocũq; verterent immanes moles illas suas, tot simul explosis ingẽtium machinarum ex ære omnium fulminibus, sparso latè terrore, obsistentes omnes dispergerent. Non secus ac sæuus aper, quem siluis eductum plures in campo venatici circunsistunt canes, & latratibus vrgent, nec illum propius aggredi ausi, ignes tamen oculorum aliò auertentẽ morsu certatim petunt, sed refugi, irruentemq; impetiti fuga eludunt, insectantur præteriti. Nõ secus Gallicæ naues Hispanis mole, ac robore nequaquam conferendȩ, nec hostiles quiescere sinebãt, nec sustinebant irruentes, vt difficile discerneres ab aggressore propugnatorem,

torem,

torem, à debiliore Prępualidum. His conatibus pugna vsque in noctem extracta, quā sæua orta tēpestas prima noctis vigilia diremit. Cuius quidem pugnæ euentus: de vtraque classe, conceptum, experimento, anni præteriti ad mare Tyrhenum iudicium; confirmauit. Hispanam nauium, & virium robore, Gallicam celeritate, & nautarum peritia præualere. Vtraque propterea ad se trahebat victoriam huius diei; Gallica quidem, cum 167
ipsa integra duabus absumptis (præter interceptam) hostium nauibus; pręlio excessisset, Hispana probabilius, cum hostili pulsa, mare, locumque obtinuisset. Minor certè interfectorum numerus fuit, quam pro fragore tot vndique reboantium tormentorum, quibus maria longé, latèque toto pugnę tempore sonuere, vt quam paucissimi ex Hispanis desiderati fuerint, nisi pluriū desideria ęquasse ducendus sit Senatorius Sophiæ, ex Sāctiori 168
collaterali Senatu, filius, impiger adolescens globo maioris tormenti; incerto, & fortuito ictu interēpti: Occultior fuit quā tulerint cladē Galli, qui post pugnā nusquā apparuere; in

Prouiucia reuersi; vt non immeritò, mirum
videri possit; tantam classem, magna pecu-
niarum profusione, aduerso anni tempore
instructam, Regioque iussu immissam: ad
169 Neapolitanam, nuper ortam Rempublicam
aduersus dominatum Hispanorum stabilien-
dam vix hoste viso, ac lacessito recessisse,
nullo penitus subsidio adiutis socijs tot viri-
bus terra, marique pressis, quorum patroci-
niũ Rex ipse publicatis per Italiã libellis susce-
pisset. Sed valentior erat in Guisio Regni cu-
pido, quam Reipublicæ Neapolitanę amor,
vel ab Hispanis timor, nihilque rebus suis mi-
nus conuenire putabat, quam in cõmilitium
170 assumere Gallorum agmina, quæ horrebat
vt æmulos; satis igitur ratus pręsidij in Nea-
politanis ad pellẽdos Hispanos; neglexit Gui-
sius Gallorũ copias, tamquã Regno sibi pa-
rando importunas; nec institere Galli, inter
nimiã confidentiã ferocientis Populi positi,
& tantę classis Hispanicæ vires; satius propte-
rea visum; tempori cedere, & postquam sa-
171 tis consultum Regiæ existimationi esset, illa
virium ostentatione; expectare: vt, siue pulsis
His-

Hiſpanis; diſcordia domeſtica, ſiue ab ijſdem
periculum, vel metus indigos faceret Neapo-
litanos, & Guiſium externę opis. Quã ſu- 172
peruacaneã adeò ducebat Guiſius, vt affirma-
re poſſim toto illo tẽpore, quo is rebus Nea-
politanis præfuit, quod ſanè pluriũ menſium
fuit, cum eas frequentiſsimè Regi ſuo, Re-
gijſque Proceribus cõmendaret, pecunias sẽ-
per, & ſine fine pecunias, copias nunquam
ne minimas quidem flagitaſſe, ad emendum
nimirum ab amicis Regnum, non ad extor- 173
quendũ ab hoſtibus. Nec hic ſtetit Guiſij er-
ror, qui tanta ſperauerit abſque ſuorum ope
in terra aliena nullis proprijs viribus fultus.
Tunc conſiliũ omne ſtolidiſſimè abieciſſe vi-
deri poſsit, dum apertas contra Agneſium
ſuſcepit inimicitias, quicũ, velis omnibus, to- 174
tum ſe ferendum aurę populari dediſſet, vires
ipſe ſuas diſsipauit, & fregit impatientia ſiue
æmuli, ſiue morę, ſiue vtriuſque. Magna
ſanè agebat arrogantia Agneſius, quã cum in
rem ſuam trahere potuiſſet, ei acceptiſsimus,
Guiſius, ferre non potuit, & licet amaret in 175
eo odiũ contra Hiſpanos, & erga Gallos pro-

pensionem, oderat imbibitũ libertatis studiũ, quod altiores, in dies, dimittebat in honestiorũ populariũ animos radices, quã affectãti Regnum expediret. Suboffensus igitur Guisius: Agnesiũ, se penitus incõsulto, Landum quẽ-
176 dam militum Tribunũ, qui suæ suberat potestati in carceres trudi mãdasse, illius arrogantiã carpere palam cępit, eamque obstare criminabatur, ne Nobilitas etiã vna cum Populo in omniũ libertatem conspiraret. Et facilè ei fuit, Colloquium ad Auersam, paucis arbitris, cũ Andrio habitum; ad vnã hanc trahe-
177 re dissidiorũ causam. Cumque traxisset in partes tenuiores ferè omnes, eosdemque arma tenentes, cũ Ducibus suis, apud vulgũ gratiosissimis, Matheo quodam Amoreo, Carolo Longobardo; Onuphrio Pisacane, Francisco Battinello, alijsque, quos consilijs suis magis senserat opportunos, tertio à recessu Gallicæ classis die, ijs adnitentibus, acclamatio-
178 ne multitudinis Dux Neapolitanę Reipublicæ sũmo cũ Imperio renunciatur. Abdicato Agnesio, cui in solatiũ demptæ potestatis, reseruatus, in designandis mox Magistratibus, locus

locus suus, inter primos; malè concredita interim ei, tanta contumelia prouocato; custodia Maioris ad Mercatū Turris, cum suo milite, quibus nempè, aliquando, ad vlciscendā iniuriam vteretur. Quare Agnesius tanta potentia deiectus multa animo voluens, assumptisque in Societatem Consiliorum Vincentio de Andrea, Onuphrio Pagano, Vincentio Iacobo Roscio, alijsq; honestioribus de Populo increpare Guisij conatus vrgentes 179
haud dubiè ad inuadendam Tyrannidē, monereque identidem anteuertendos, præoccupandosq; imminentemque perniciem, quocumque Hispanorū dominatu teteriorē, omni ratione amouendam, vel ferro depellendā, statimq; sæua verba, sæuiora facta subsequuta sunt; sed cum insidiæ, in ipsius Guisij caput, 180
parum processissent, detectis, punitisq; auctoribus, & inter præcipuos cognato quodā Vincētij de Andrea: palam hominem aggredi placuit, & suis ipsum viribus Guisium oppugnare: multitudinem scilicet; apud quam, ex Oraculo Patauino: nihil minus est populare, quam Regnum. Cum enim Guisius, spe-

ſpecioſiſſimo Ducis,& defenſoris Neapolita-
næ Reipublicæ nomine; cũcta moderaretur,
& ad libitum regeret, tenuiorum armis ſuſ-
fultus; lactabat honeſtiores, ſępius promiſſa
Senatus lectione. Quo publico conſilio Reſ-
181 publica liberis ſuffragijs adminiſtraretur, ſed
ſine fine differebat. Quando, ex inopinato,
die quadam: Agneſius, Onuphrius Paganus,
pluresque ex primoribus alij, magna comitã-
te togatorum caterua, in publicum prodeun-
tes, magnis vocibus; acclamare cæperunt Se-
182 natui, Populoq; Neapolitano, nec dubius erat
meliorum aſſenſus, & cum eo Guiſij pericu-
lum. Quod ille pręſentiens; audacia diſcuſſit:
immiſſis Piſacano, & Amoreo cum cohorti-
bus plebeiorum, qui frequenti ſcloporum ex-
183 ploſione in Agneſium ipſum, & ſocios do-
cuere: inanes eſſe inermium voces obſiſten-
tibus armis, fruſtraq; rationem obtendi vi in-
gruente. Nudatis odijs; iam partes erant;
Agneſio fauebant togati ferè omnes, & ho-
neſtiſſimus quiſque; ſtabant pro Guiſio ar-
mata Plebs, & Licẽtiæ auida multitudo, qui-
bus nulla honeſti cura. In mutuam perniciẽ

rui-

ruiturus continuit ab Hispanis metus. Con- 184
ditionibus igitur, si non sedatæ, sopitæ fuere
controuersiæ. Permisit Agnesius: vt in Ma-
iorem ad Mercatum Turrim; ęquale cũ suo
militum præsidium à Guisio imponeretur. 185
Representauit Guisius lectionem Senatus,
quem tamen non Ciuium suffragijs, quod in-
situm Libertati, sed ipsius arbitrio legit, quod
proximum seruitio est, non vt esset nobilissi-
mum Reipublicæ membrum, sed splendidũ, 186
vt alias Dominationis instrumentum, Retẽ-
tis quę sub Hispano Prorege vigebant, digni-
tatum vocabulis, parumq; immutatis mune-
ribus, quorum nomina Typis edita referre
possem, sed vt parum profutura, minimumq;
duratura volens prætereo. Pro certo affir-
mare non possum huiusce cõcordiæ auctorẽ.
Reperio tamen Vincentium de Andrea Iu- 187
risperitũ magna semper versutia inter om-
nes has turbas versatum; qui licet cũ Agne-
sio coniunctissimè viueret, eademque cum
eo de Republica sentiret, numquam tamen
à Guisij gratia, excidit, in amplissimo semper
munere summi curatoris annonæ militaris

re-

retentus, & cum partibus fidus in primis haberetur, & in eas desperatè adeò se coniecisse iactaret, vt per Mercatum incedens concionabundus laqueum manu tenens, Plebique ostentans, profiteretur in lucubrationibus suis omnibus nulla alia reperijsse se, Hispanos semel læsos venia donasse quemquam, nisi fœdissimo illo mortis apparatu; nihilo secius tamen: adeò se animis Regiorum insinuauerat, vt nulla valẽtior structa per eos fuerit machina, ad popularium animos expurgandos; quę per Vincentiũ de Andrea admota non fuerit. Hinc adducor, vt facilè credam; dum certior non apparet huius inter Agnelium, & Guisium concordię auctor, Vincentium de Andrea, vtrimque acceptum; conditionibus, vtcumque, cõposuisse illorum res; vt suas magis, atque magis stabiliret. Cui tamen rei ex ingenio suo quisque demat, vel addat fidem,
188 per me licet. Illud certum: nec per Gallicæ classis recessum, nec per discordiã hanc (quæ Populi partes demum perdidit) alleuatas fuisse Regiorum res, quinimo nunquam magis deploratas, his ipsis temporibus apparuisse.

Seges

Seges malorum omnium ab infęlici illo prouenit consilio, quo iussis in Campaniam cõfluere copijs omnibus; sincero nimirum, vitalique sanguine; cætera vastissimi Regni mẽbra; purulento, qui superfuerat exundante humore, putruere. Vix animo concipere quisquam potest, ne dũ oratione complecti: quot, quantasque turbas excitauerint edicta Agnesij primum, exinde Guisij apud Regni- 189
colas omnes. excusso vectigalium iugo feroces; sentientes se hinc à Prorege cędibus, & incendijs ad pęnam, & vetus seruitium, inde ab Agnesio, Guisioque vltionis, ac prædarum lenocinio ad Libertatem vocari, eo præsertim tẽpore, quo nullus reliquus erat apud eos legum respectus, nulla Imperij, Magistratuumuè veneratio, nullus à milite me- 190
tus; quinimò ipsi arma tenentes cõtra leges, contraque Magistratus omnes concessa vltrò licentia incitarentur. Ausim dicere conuulsa populorum defectionibus omnia, cædibusq;, & rapinis repleta omnia, & si vnam, vel alteram Ciuitatem Puteolos, & Cossentiã sem- 191
per fidas excipiamus, quasdamque alias, quę

Vvv siue

siue arcibus, siue præsidijs Hispanorum, nobiliumuè tenebantur Caietam, Piscariã, Barlettum, Tarentum, Manfredoniam, Castrũ ad mare, & his obscuriores quasdam, pulso per Regnum vniuersum Hispanorum dominatu, popularem licentiam occupasse omnia.
192 Tanta facilitate, vt apud Montefusculũ Principatus vlterioris, Regij Tribunalis sedem, Petrus quidam Crescentius parandæ Cretæ sordido ministerio assuetus ausus fuerit vno, vel altero associatus eiusdem sortis, & cognationis, emisso proclamante; edicere; vt se Populi Ducem, denegato Præsidi obsequio, omnes sequerentur, tantęq; vilissimi capitis audaciæ promptius cuncti succubuerint, quam si legitima potestate, rebus in alta pace compositis; vsus fuisset. Qua in Prouincia opportunissimè inter Neapolim, & Neapolitanum Horreum Apuliam sita; manifestiùs apparuit, quantum peccatum fuerit ad rerum summã
193 in deducendis è Regni Prouincijs Dynastarũ Præsidijs. Quandòquidem, post illorum discessum, Petrus quidam Blasij Neapolitanus, Populi Partes in Ciuitate Ariani professus;
Ducem

Ducem se discissentibus præbuit, coactaque, & stipendijs aucta, non modica equitum, peditumq; manu, magnaq; vsus in obsistentes sæuitia; vniuersæ Prouinciæ imminebat; qui licet ab Arianẽsibus, sæuitiã hominis perosis; 194
Ciuitate pulsus, & in Apuliam cum suo milite tendens ab Conuersani Comite, illac fortè transeunte, cæsus, deletusq; fuerit; non propterea quies Prouinciæ reddita, nam plu- 195
res, pro vno Petro, tamquam ex Hydræ sãguine; emersere, & quouis Petro seuior Paulus quidam, de Neapoli (intra paucos dies iussu Guisij ob sæuitiam interficiendus) qui, magno rerum omnium motu, ad defectionẽ trahunt Sanctam Seuerinam, Montorium, Auelinum, Padulum, cęteraque omnia pręter Arianum circumiacentia loca; indeque 196
in propinquiores Prouincias transgressi; pręter ignobiliora oppida Luceriam, Troiam, & Foggiam demum occupant; & cum eis tribus potiti Præfecturis, ab Neapoli Manfredoniã vsque; cuncta breui redigunt in Populi Nea- 197
politani potestatem, inter quæ rem frumentariam, quæ supra Prefecturas omnes erat;

 expe-

expediuerunt: quam tutissimam Neapolita-
198 nis, præstitere, post Aniani expugnationem,
in faucibus Apuliæ siti, in quam Ciuitatem
Salsę Dux Prouinciæ Pręses confisus, muni-
tione loci, & Ciuium fide se receperat, euo-
catis in præsidium cum suorum manu Mar-
199 chionibus Sancti Marci, Bonalberghi, & Bo-
nitti, qui ex Dynastis in Prouincia manserãt.
Nam Guisius post interfectum Paulum: mis-
so Duce Gallo, Villapruna nomine cum ma-
gna Prouincialium manu, eorum præsertim,
qui inclusis Marchionibus subiectione obno-
xij, erant infensissimi; intra quintum diem
expugnauit, interfectis Præside, Marchioni-
busque Bonalberghi, & Bottini, captoque
200 Marchione Sancti Marci, qui ad arcis custo-
diam positus, dum Ciuitas expugnatur, ho-
nestis conditionibus pacta sua, suorumque sa-
lute; victori Gallo se dederat. Nec segniùs
201 eodem tempore in Prouincijs alijs, alij tumul-
tuarij Populi Duces, res ad defectionem tra-
202 hebant. In Salernitana Politus Pastina, in
Lucania vulgò Basilicata quidam Marotta, in
203 Apulia Salatus Pastorius, & alij alibi; sed eò

per-

perseuerantiùs in Hydruntina, quò nobiliores erant Duces Comes Valij, & Mathias 204
Christiani, qui magna tumultuantium populorum coacta manu in Basilicatæ, & Barensem Prouinciam incumbentes pluribus
occupatis locis Altamura, Grauina, Pallegiano, Pallegianello, Tarento ipsi imminent. 205
Vbi Ioannes Dominicus Altamura, vocata 206
ad defectionem Ciuitate, arcem etiam promittebat, & præstitisset promissa, ni Martinę Dux à Salernitana Prouincia profugus cũ Salandrę Duce, alijsque Nobilibus Villafrãchæ receptus; cum ea, quam secum adduxerat, quamque cogebat militũ manu, iunctis viribus cum Hydruntinę Prouincię Prę- 207
side, per arcem in Ciuitatem irrumpens; eam, interfecto Altamura, cũ furoris socijs, in Regis obsequio retinuisset Ciuitatē. Qui quidem Martinę Dux de Gente Carraciola, eadem semper vsus virtute, sed varia fortuna Regias fouit partes. Euocatus namque 208
Pincerno, ditionis suæ oppido, per certum à Prorege nũcium Auersam, Francisco fratre, & Marchione Grottulæ, alijsque No-
bilibus

209 bilibus comitatus,cum turma equitum quinquaginta, & frequenti peditũ manipulo; inter primos accurrit, impositusque præsidio
210 ad Turrim, quæ à Græco nomen habet, nedum eam strenuè tuetur à Popularibus, sed
211 insuper Nobilibus ad summam laborantibus, opem in tempore tulit, destinatusque præsidio Salernitanis, enixè flagitantibus, à Polito Pastina pressis, in Præsidem, cum summa armorum Præfectura Prouinciarum Basilicatæ, & Principatus citerioris; assumitur: & seruasset haud dubiè Salernum, inter ancipitia versantem, cuius iactura parũ abfuit, quin Castrũ ad mare, & ibi excubantẽ Nobilitatem, Regiarum partium columen; secum traheret, si per præposteros aulæ mores non stetisset. Prçerat Salerni militaribus viris Carolus Franciscus Comes Zerbellonius Mediolanensis, sortitus in coniugem nobilem quamdam, & specie insignem Puellam, Marani Principissam Regijs amoribus celeberrimam: à quibus nomen traxerat Reginellæ. Hæc magnæ in aula potentiæ: ne splendida illa dimoueretur, cum existimatio-

nis

nis iactura, coniux Pręfectura: cum prudentissimis Senatus Collateralis decretis anteire non posset: vsa Summi Recognitoris industria, de cuius leuitate sæpius meminimus, moras nectendo rei conficiendę; (retardato pręcipuè militū quingentorum decreto subsidio) occasiones omnes rei benè gerendæ corrupit; Pastina apud Salernitanos interim pręualente. Dum nouus Præses sine viribus apud Bucinum suę ditionis oppidum, quod solum in totius Prouinciæ defectione non mutauerat fidem; desideret inglorius, quam ignominiā diutiùs non ferens: post firmatū præsidio oppidum, traditumque custodiæ vxori, virilis animi fęminæ; Francauillam se recepit ad copias colligendas, quibus Prouinciam sibi cōmissam obtineret. Vbi, longè maioris rei opportunitate vsus, quingentos pedites ex recenti delectu, equites verò trecentos quinquaginta, pluribus assumptis in cōmilitium Nobilibus Tarentum duxit; vtq; dicebamus per arcem recepit, receptum tutatus est. Meliori fama, quam Æmilij illius; qui: recepisse per arcem Tarentum, ideo dici po-

ci potuit, quia priùs amisisset. Vt ei cauillādo obiecit in Senatu Romano Fabius Maximus. Nec inter maiora Ducis Martinę opera
212 ra silentio prętereundū, & Mathiā Christianum, ex tumultuarijs Ducibus pręcipuum; ad Regis obsequium, Barone Grasani internuntio, reuocasse. Quo remoto: illud incēdiū extinctum est, quod excitasse Christianū in societate Comitis Valij pauló superius cōmemorabam. Nam Comes ipse postquā oppida plura in regionibus illis occupasset Soiā, Castellenetā, Massafram, Zerzam, Grossolā, aliaque plurima, immineretque cęteris Bitū-
213 to, Modunio, Bineto, Casamaximę; ei Conuersani Comes, ex Campania Redux, magna se constantia opposuit, qui Comes postquam copias, quę in Campania, stipendij
214 inopia dilapsæ erant reparasset: Aquauiua potitur, indeque tribus cum tormentis cāpestribus in hostem progressus Casamaximam obtinet, Castellanetam, & Massafram recipit, hostēque Altamurę & Grauinę menibus se tenente; terret; profligaturus; sed
215 à Prorege iussus Apuliam à Popularium manibus

nibus

nibus vindicare, dum iussa fęlicissimè exequitur: Nucis Dux eius filius, impiger adolescens vrgendis cęptis relictus; pari fęlicitate bellum confecerat, captis Matera, Altamura, & demum Grauina, in qua pro victorię
cumulo Vallius ipse necatus est; clarus vter- 216
que Pater, & Filius, rebus foris præclarissimè gestis, longè clariores certè futuri: si domi charitatem inter Patrem, & filium debitam coluissent. Vsque adeò domesticus hostis externo contumacior. Nec minores per eadem tempora populorum motus in
Calabria Citeriori ciebat Marcellus Trusar- 217
dus, qui summo cum armorum Imperio à Guisio in Prouinciam missus; Castrum Sarni, nemine obsistente, primo impetu; capit; cuius iactura nudatis erga Dynastas odijs circumiecta
Castro oppida illico, traxit. Eaque 218
animorum inclinatione vsus Trusardus, au-
ctis copijs; Cassanum occupat; Noyę, & 219
Bonifati Principes, Ducemque Belriguardi pluribus cum Nobilibus; in arcem armis, & cōmeatu satis munitam compulit, & decimo quinto demum die, de fide propugnantium

Xxx diffi-

220 diffisos; cogit ad deditionem. Coriolanum inde transgressus: arcem frustra tentauit obsistente Augustino Salutio conciue nostro,
221 impigro adolescente loci Dynasta: oppido tamen potitus, statiuis Marottam quemdam, cum duobus millibus Epyratarũ peditibus ad occupandam Sancti Marci Ciuitatem immisit: plura tentaturus, nisi furenti se opposuissent magna virtute Ioãnes Baptista Monfor-
222 tius Prouincię Præses, Dux Lauriti, & cum eo Franciscus Morellus, cui secundæ à Præside Partes commissę erant: inde muneri nomen inditum summi Commissarij, Cossentiæ ille, Chatanzarij hic degentes; sed parum valuisset horum virtus, licet præclara, ni Cos-
223 sentinorum erga Regem fides, supra omnes Regni Neapolitani Populos claruisset: eò cõspectior, quò; nullo amore partiũ earumdẽ (integris nimirũ cum cæteris populis erga Nobilitatem suã odijs) flecti ad deteriora potuerint. Ex Cossentini igitur Populi, Pagorumque circumiacentiũ delectu, in duo supra viginti, veluti corpora, distributi sunt, Pagi illi, Bagliuas dicunt, denis constantia;

octo

octo peditum millia confecta; centum, &
quinquaginta equites, hos ductabant Lucius 224
Calà ex præcipua Nobilitate Populo, inter
paucos, acceptus: illius Caroli Calà germa-
nus frater, cuius adolescentis in enodãdo iu-
re controuerso peritiã, & magni ingenij se-
mina miratur modo Neapolis, maioris pru-
dentiæ mox susceptura fructus vberiores. His
copijs Monfortius cũ moueret in hostem: ad
Amantheã, accipit Marchionem Fuscaldi ap- 225
pulisse successorem; dimissis propterea copijs
nè alienã Prouinciam attrectare videretur;
Cossentiam redit, de nulla alia re magis soli-
citus, quam de tradenda successori Prouin- 226
cia. Sed Populus Cossentinus, qui Fuscaldũ
supra cæteros nobiles oderat, præcipua etiã
æmulatione: ex iure, quod, ille sibi vendica-
bat, contradicente Populo; bellici in illa Re-
gione Ducis; instare Monfortio. *Nè Rem-* , 227
publicam desereret, nè inutili cessatione Regias ,
partes perditas vellet: instante à Luzzo, vix de- ,
cem dissito à Cossentia miliaribus; Fuscaldo , ,
cuius ferociam frangi oporteret, antequam vni- ,
uersa Prouincia, veluti seductori permissa; eũ ,

, sequeretur. Renuentem Monfortium; illicitũ-
, que sibi, indecorum successori, Prouinciam in-
, gresso; tantam rem aggredi prædicantem.

228 Ille præterea tacitus pungebat stimulus, ex æmulatione; fuisse se in ipso gerendarum rerum articulo Fuscaldo posthabitum à Prore-
229 ge. Circumsistunt Morellus, & Calà monent, obtestantur, rogant.

, Nè tantam opportunitatem rei benè geren-
, dæ labi sineret, nèuè tantum Populi Cossentini
, ardorem frigescere, frustra expectaturum Mõ-
, fortium ex Amanthea successorem, si Populus,
, (qua est leuitate) inter odium erga Fuscaldũ,
, uniuersamq; Nobilitatem ingenitum, & amo-
, rem libertatis à Trusardo ostentatæ positus;
, sperni se à Monfortio interpretatus, ad res no-
, uas respexisset: amissa semel Cossentia actum
, perpetuò de uniuersa Prouincia.

His victus Monfortius tandẽ cessit, quingẽtisque supra duobus millibus peditum, turmaque equitum, quæ à Calà ducebatur Luz-
230 zum oppugnat: Tum Luzzenses timore direptionis, si pertinacius obsisterent; Trusardum obtruncant. Nec propterea direptio-

nem

nem vitauere. Nec, ſimul cum Truſardo; extincta Populorũ defectio; quinimò ad Rẽdam, quatuor tantum à Coſſentia miliaribus diſtantem; frequentes conueniunt minarum pleni: expugnatiſque Caſtelfranco, Cindano, & Morano, eoque octingentorum epiratarum pręſidio munito; contumaciſſimè agũt. 231
Dum Fuſcaldus, lenitis Coſsentinorum animis, abdicatione odioſiſſimę Præfecturę; & ad Prouinciæ adminiſtrationem tandem admiſſus: audacia maiori, quam conſilio Rendam populariter aggreſſus, non tam hoſtiũ virtute, quam ſuorum imperitia caſtris exuitur. 232 233

Difficilis ſanè, & tardior eſſet ad res Neapolitanas reditus, ſi diligentiùs recenſendum eſſet quicquid detrimenti Regijs partibus attulit in vnaquaque ex Regni Prouincijs, quas ferè perdidit; Proregis iuſſus Nobilitatem in Campaniam euocantis, Limitanæ tamen nõ ſunt prætereundę, è quibus vt maius periculum, ità ſolicitior cura. Apprutium certè Pignatelli Pręſidis cognita virtus; continere in fide non potuit: conſpirantibus, vt dictum 234

eſt,

eſt, cum Populo contra Regem Nobilibus.
235 Nec defuere ex primoribus furoris Duces
Marchio Palumbariæ palam; per ſummam
verò diſſimulationẽ Dux Caſtri noui, & Iu-
236 liani Baro; qui cum cæteris Auerſæ fuerant,
& cum eis Alexãder Vrſinus Amatricis Dy-
237 naſta, qui vaniſſimè Reipublicæ Neapolita-
næ tormentorum Præfecturam ab Oratore
Gallo Romæ obtinuerat; & licet Pignatellus,
miſſis Auerſam militibus exarmatus, & pe-
cunijs vacuus, quas è publico, & à ſemetipſo
corraſis; efflagitanti Proregi tranſmiſerat, cũ
238 imminentem tempeſtatem perſentiens ſum-
ma ageret vigilantia, Aquilæque vbi ſuſpicio-
ſiora omnia faciebant ciuium ingenia, fixis
239 ſedibus: arcem illam ſua impenſa munitioni-
bus auxiſſet, aliaſque opportuniores Prouin-
ciæ arces Pręſidijs firmaſſet; diffiſus tamen
tantam rerum molem ſine militaribus copijs
240 ſuſtinere, non modò Proregem, in quo pa-
rum ſpei habebat, ſed Comitem de Ognatte
241 Regium apud S. Pontificem Oratorem de
Prouinciæ periculo diligentiſſimè certiorem
facit, petitiſq; ſubſidijs ſimul admonet. Vrſinã

Gen-

Gentem; in Chietensi Ciuitate opibus validam; compertum sibi consilia de Republica Romæ cum Gallis miscere; certis insuper literis Cardinalem Montaltum monet. Ce- 242
lanum ditionis suæ Oppidum, Regione in illa opportunissimũ; infirmo contra cupidos rerũ nouarum obtineri prę sidio; & ni diligẽtiùs muniatur; in magno versari periculo. Sed Prorex, grauioribus curis implicitus, tamquã leuiora negligebat; quæ de Apprutio nunciarentur, nec accuratiùs Cardinalis eadem facilitate, qua crediderat Abbati Piccolomineo nuncianti: Celani, vbi rector is erat, omnia tuta esse, id ipsum pro præsidio asseuerauit vanissimè Pignatello. Ognatus verò, qua erat 243
prudentia; cognito Prouinciæ periculo, quãtique momenti esset eam tueri, vtpotè agro Romano conterminam: Capelletum quemdam Tergestinum, & Nicolaum Vãderpellerium misit, pecunia instructos; qui in se receperant mille quingentos pedites mercede in subsidiũ cõducturos. Sed vanitas verborũ Cardinalis statim apparuit, cum aduenientem Quinctium Aquilanum, cum parua armato-

rum

244 rum manu; Piccolomineus, nulla tentata defeſione; intra Celani muros admiſit, cuius oppidi iacturam, vniuerſa ditio Conteſta-
245 bilis Columnenſis ſubſequuta eſt: indutis Neapolitanæ Reipublicę partibus: Nec fructuoſiores fuere deſtinati Mercenarij, quo-
246 rum lectio oppido tarda, & incerta, nunquã ad trecentorum nũmerum, & numerum veriùs, quã vires; peruenit. Ruere propte-
247 rea Prouinciæ res. Carolus Sangrius Sulmonam intercipit, Dux Caſtri Noui, Vrſinis tradentibus, Chietenſem Ciuitatem, & poſt
248 eam Campiſtranum, & Antredoceum cũ arcibus: Hiſpano licet milite firmatis; ad deditionem coactis. His iunctę Ciuitates Du-
249 calis, Regaliſque cum Regionibus omnibus circumiacentibus. Quibus iacturis veritus Pręſes ne Aquilæ moratus diutiùs, abſque aliquo fructu, citeriore etiam Apprutio intercluderetur, magno cum periculo Arcis
250 Piſcariæ: Regni totius, ad mare ſupremum; propugnaculum Aquilæ, arce valido firmata Præſidio; Tarentum citerioris Apprutij, propè Piſcariam ſitum; ad pereclitantis ar-

cis

cis tutelam ruentiſque Prouincię, ſe recepit. 251
His triſtiores, etiam, ſucceſſus erant, qui
æquè ad Regni limites, ſed ad inferum mare
contigere, Fũdos, & cum eis Sperlingam cũ
vniuerſis circumiacentibus oppidis Domini- 252
cus quidam Aloyſij vulgò Peponus, & Io-
ſephus de Aretio tumultuarij Duces occupa-
uere. Quibus in tẽpore affuit Ioannes Bap- 253
tiſta Laſcarus, eques, vetus miles, quique in-
conſultas, & ſtolidas populorum illorum vi-
res, non parum, conſilio iuuit; Fundanam
inſuper dedente turpiter arcẽ Franciſco Ma-
gleſio, obtinuerunt. Meruerat Laſcarus is,
& ordines duxerat in Regijs exercitibus, du-
bię tamen fidei ſemper habitus, quem prop-
terea Ioannes Podericus, longa militia clarus,
dum Mediolano Neapolim accitu Proregis
properat, in via caſu obuium interpellat, ten-
tatumque ſermonibus: haud obſcurè depre-
hendit, cupiditate rerum nouarum incenſũ;
magna animo moliri, verbis licet tergiuer-
ſantem. Cumque nec hominem monere
pudor, nec coercere locus pateretur, gnarus
Podericus nihil magis eſſe venale, leuitate ho-

rum ingeniorũ; aperuit illa, inter præsentem Lascarum, & absentem Marcum Antonium Magnum summum legionis instructorẽ Regium; literarum commercia; quibus, ministerio Marci Aurelij Raynerij, ex Corsica Centurionis, Marcique Antonij Cicarij Terracinensis Canonici; omnia denique ad vetus obsequium restituta fuere; sed hęc postea Ognato moderatore, & auspice contigere. Interea Prouincia illa vniuersa, omnium fæ-
254 licissima à fęcunditate nomen Laboris nacta, Neapolitani Populi furorem sequuta, nemine obsistente; à Rege defecit. Sed iacturam Prouinciarum forsan æquauit, cu-
255 mulauit certè Auersa amissa. Quam tueri non valuere tot arma, tanta cum rerum pernicie vndique corrogata. Præerat, vt diximus, summo cum Imperio Austriaci auspi-
256 cijs, & nomine; Dynastarũ copijs Tutauillius; qui, primis illis sui Imperij diebus, rem strenuè, & fęlicissimè administrauit. Cum enim Nobiles plurimi, non minus indecorum, quã intutum rati Neapoli à Regis obsequio turpiter dęsciscente morari; Castrum ad mare, inter

ter

ter cęteta Amalphitani ſinus;oppida;frequẽtes conuenerant, illamque Ciuitatem, mœnibus licet, initio belli, deſtitutã; ſtrenuè ſæpius, nè dũ à popularibus, ſed à Gallis etiam, ductu Petri Carraphę militum Tribuni, loci Gubernatoris; tutati erant. Sarni inſuper fluenta diuerterant, vt inutilia redderẽt, quibus Populus vtebatur, ad Annunciatæ Turrim Monlendina. Quorum periculo commotus Populus: magnis ſe viribus ad Caſtrũ etiam ad mare oppugnandum parabat: nec ſegniùs Prorex, rei intentus; miſſis in auxiliũ ſex roſtratis nauibus, cũ Duce Montis Leonis; octingentos armatos ex Calabria; iuſſitque Tutauillium, totis viribus, adeſſe; qui mille quingentis equitibus, peditibuſque quã expeditiſſimis quingentis. Statim occurrit, opportuniſsimèq; (inito iam inter illos acri certamine) Populares inopinãtes aggreſſus; magna proſternit clade cæſos ad ſatietatem.

257

Inde Scaffatum, Boſcum, alioſq; circumiacẽtes Pagos capit, captos incendit, magno illato Regiorũ armorũ terrore, quo Salernum; Caua, Nuceria, Mons Corcinus, cęteraq; illius 258 259

Prouinciæ oppida; rediere ad obsequium; sed
ab expeditione illa, magna cũ gloria, reuersus
Auersam Tutauillius; nihil prætereа egit me-
moratu dignum; sed siue retardatus tot circa
260 Populorũ defectionibus: siue destitutus dila-
bentibus passim inopia stipendij militibus; si-
ue territus dubia plurium Dynastarum fide,
& quorumdã cæde, & inter præcipuos, prõ-
ptissimi Ferrãtis Carracioli Ducis Castri *Sã-
grij*, Principisq; Marchiæ Gambacurtij, quo-
261 rum, ille erumpens Nola contra Populares;
strenuè pugnans occiditur: hic, ab Auersanis
rediens castris; iugulatur inglorius: siue his
simul omnibus pressus Tutauillius curis, &
impar cessit, desertaq; Auersa, & quacumq;
Auersa preciosiore; ingenti frumenti copia
262 Capuã se cum omnibus copijs recipit: succe-
dente nulla interposita mora in desertã *Ciui-
tatem* Barone de Modena, Nobile Gallo; qui
263 Guisio acceptissimus copijs omnibus extra
Neapolim impositus erat. Magna Tutauillij
infamia, quam tamen leuasse postea visus; dũ,
dato successore Poderico; vocatus Neapolim,
ad causam dicendam, quasi proditionis reus:
exhi-

exhibitis in Collaterali Senatu authographis literarum; docuit iussu Proregis Auersa cessisse; quasi verò iussa Proregis aliunde pro- 264
cessisse potuerint, quam ab ipsius monitis, promptumq; ad deteriora obsequiũ, quantũ demit, quandoque, de pæna; tantumdem non addat, semper dedecoris. His rerũ conuersionibus extra Ciuitatem veriùs, quã ex- 265
tra propositum; factum: vt curæ Regiorũ, quæ per recessum Gallicæ classis à Neapolitanis littoribus leuari potuissent, longè grauiores, molestioresque adaugerentur, morderentque illorum animos. Quibus accedebat 266
illa omnium maxima, & nulla vi, aut consilio minuenda; cõmeatuum (propè dixerim) defectus. Affirmare possum: Didacũ de Vzeda, summũ ærarij Præfectũ, & Io: Baptistam de Mari conciuem nostrum ex collaterali Sagatorum Senatu; qui iunctim, arctis adeò in rebus, à Prorege commeatui erãt præpositi, 267
quique munus impositum, omnium difficillimium; summa obibant dexteritate, & diligentia. Post sæpius admonitum Proregem de Arcos de commeatuum angustia, tandem

comu-

comunicato consilio eum adiuisse; obnun-
268 ciasseque.

, *Postquam consumptis omnibus tantæ alen-
, dæ multitudini per vnum, vel alterum diem nõ
; supereſſent cibaria: nec, mare ſæuiente; ſpes
, eſſet aliunde importari poſſe, ad ipſorum ſpecta-
, re fidem, Auſtriaco debitam: illius ſublimita-
, tem de tota re facere certiorem, vt ſibi, Regiæq;
, claſſi conſulere poſſet in tempore.*

269 Quos ſpe, & promiſſis alias ſuſtentare ſolitus Prorex, vbi audiuit talia diſſerentes lachrymis obortis.

, *Facerent quod è fide ſua ducerent.*

Reſpondit, ſimulque condicto ab ipſorũ conſpectu, quaſi, deſperatis iam rebus; in in-
270 terius cubiculum ſe ſubduxit. Qua Cataſtraphe commoti illi, & commiſeratione ad infauſta deſtinata tardiores; dum moras nectũt, actuarium commeatus onuſtum, haud ſatis amplum, Caieta, ſæuientes fluctus eluctatũ;
271 ex inſperato aduenit, quo, leuatis in præſens rebus; ſpatium fuit Naui; quę ab Sardinia, poſterodie, maiorem inuexit copiam; & exin-
272 de, poſt aliquot dies, alteri; quæ extinctas

ferè

ſeré ſpes excitauit. Superbiat nũc ſuis viribus 273
humanum ingenium, & inſultet mortalibus
potentia dominantiũ: quandò leuiſſimę quo-
que res, caſuq; cõtingentes, quibus inter nos
diuina ludit prouidẽtia, æquè Regna trãsfer-
re valeant, ac conſeruare, pro vt conſeruauit
haud dubiè fortuitus actuarij illius aduentus
Philippo Regi Neapolitanum Regnum in
receſſu Auſtriaci haud dubiè ruiturum. At 274
verò, ex ancipiti hoc, ac multiplici preſſo diſ-
ficultate Regiorum ſtatu; facilè cognitu eſt;
qua ex aduerſo exultarẽt Populares proſpe-
ritate: libræ lancium ad inſtar, quarum quò
altera depreſſior premitur, ſubliniiùs altera
attollitur. Abundabant ad ſaturitatem com- 275
meatibus, vbertate tot Prouinciarum adiuti,
quæ profeſſæ eaſdem partes, & inani liber-
tatis vocabulo; accenſæ; illorum cauſam vti
communem, fouebant. Abundabant pecu- 276
nia in affluentiſſima Ciuitate, & pacis, ac
pietatis operibus referta diuitijs. Abundabãt 277
armatorum numero, quem ſpes propinquę,
& res vbique fęliciter fluentes; augebat in
dies; Id verò, quod ad ſummã rerum præ- 278
cipuum;

cipuum; Nobilitas ipsa, inuitata sæpius per edicta Agnesij, Guisijque, ad capessendam vna cum Populo Rempublicam, libertatẽque alieno periculo partam, alienis viribus collocatã in tuto; sua auctoritate confirmãdam; & communi consilio stabiliendam; quę sæpiùs spreuerat, tunc, quasi deploratis Regijs partibus; molliora de Populo, Guisioque cogitare, & non pauci præcipuè ex eis, qui in Ciuitate remanserant, propioresque erant spei, metuique, deserta palam Re-
279 gia causa: se Popularibus adiunxere. Inter quos pręcipuus genere, & opibus fuit Ioannes Sanseuerinus, Comes Saponarię, Comitis Claramontis filius, ex Bisiniani Principum familia, qui Guisiũ adiens magna cinctum Nobiliũ Corona sic alloquutus fertur.

„ *Probè sciò, bellicosissimè Princeps, deserto-„rum nomen apud veteres Dominos detestabile, „apud nouos socios suspectum, apud cæteros om-„nes infame esse; Nec ego is sum, qui iure pro-„batæ ab omnibus censuræ; calcùlum detraham „meum; Vbi tamen primum desertorem à de-„serto, suis momentis; distinxèro. Maiores*

nostri

nostri diffidentibus magna contentione inter se, Gallis, Hispanisque, æquis viribus, nec longè, dispari causa; de huiusce Regni nostri possessione, humaniùs à Consaluo habiti, Hispanis frequentiores adhæsere, oneratiq; promissis Ferdinandi primum, exinde Caroli Austriaci; subiere volentes, lætantesq; Principatum; nec vllæ vnquam gentes tanta cupiditate libertatem appetiere, quanta Neapolitani, Carolo regnãte, subiere seruitium, regnantisque iuuere fortunam, & affluentissimi Regni opibus Imperium amplificauere. Aderat ipse Imperator, spectator virtutis, & æstimator nobilitatis omnium, nec minus erant indiscreta præmia, & labores, Italus nè, an Hispanus esset, Germanus, aut Belga perinde habebatur; sed cum omnibus æquè Imperaret Carolus, omnes ex æquo habebat, nec minoribus florebant apud eum honoribus Columnij, Aurij, Gonzagæ quã de Toledo, de Aualos, de Leua; & cum cõmune omnium erga Summum Imperatorem esset obsequium, non minus obuia omnibus erat Imperatoris benignitas, liberalitas, gratia. Verum enimverò, vbi primũ Philippus eius filius apud

*,Hispanòs sedes fixit, & ex Madritto, Castel-
,lani agri, tamquam ex specula quadam; vasto
,adeò, & à se longè dissito leges dare cæpit Impe-
,rio; non secus ac sol, causarũ omnium potentissi-
,ma, vicinos Hispanos, & inter Hispanos vici-
,niores Castellanos fouere cæpit vberiùs nos verò
,remotiores nobilissimã florẽtissimi Imperij par-
,tẽ; benigno aspectu nunquã dignatus, illuuie, &
,gelu deformandos destituit; & cũ omnes claris-
,simæ Austriacæ gentis hæreditas essemus, Ca-
,stellanos solos in Legationibus, solos in honore
,habuit, solisq; Castellanis, vasti adeò Imperij
,administrationẽ concredidit omnẽ. Et licet in
,aula, ad Italicas res, institutus esset Senatus cer-
,tus, cõpositus ille partim ex Castellanis, partim
,ex Italis quidem, sed qui eiurata prius Patria;
,Castellæ placita altiùs imbibissent, quiq; san-
,ctioris Senatus, ex solis Castellanis conflati, qui
,status dicitur, nutibus suppositus non (vt splẽ-
,didum ferebat nomen) fulcrum erat rerum
,Italicarum, sed instrumentum, veriùs: ad-
,dictionis seruitij. Quibus ingens quidem re-
,bus nostris detrimentum illatum, sed remota
,pernicies, dũ Philippus magna vsus prudentia,*

nec

nec diligentia minori; superbissimam, & rapa-,
cissimã gentẽ seueriori disciplina coercuit, & ne,
dum grauioribus in rebus; non rarò etiam ,,
clam submissis cũ summa auctoritate recogni-,
toribus, doctrina, & integritate præcipuis, ma-,
iores ipsos Præsides, malè domitos, iura trans-,
gredi prohibuit, & ad meliores adegit mores,,
sed in leuioribus etiam acerbè monuit in osten-,
tationem non minus diligentiæ, quã seueritatis,,
tamquam non neglecturus impunè grauiora,,
qui talia scrutarentur, nec præteriret. Sed,
defuncto Philippo remansit in Castellanis ho-,
nor idem, non pudor idem, non idem metus,,
& in illorum locum succedente licentia res Ita-,
liæ, ac nostræ præsertim horum libidini, ac su-,
perbiæ expositæ ruere. Non commemoro quæ,
aduersus Italiæ Principes, ab illorum domi-,
natu liberos, petulantia non minori, quam in-,
iustitia gesserint, quæ cum claustra ad omniũ,
libertatem effregerint, propior sum vt amen.,
Regnum certe hoc nostrum, Italiæ florem,,
mundi ocellum prorsus perdidere. Si non opor-,
tet nõ indignor, ad bella, ad prælia vbi animus,
præsens, corporis robur exigitur: quæ nunquam,

„ non exiguntur in Imperio solicitante omnes, so- „ licito omnium Neapolitanos cæteris anteponi. „ Vbi verò in pace, vel post victoriam; de præ- „ mijs, vel honoribus agitur, Hispanis semper „ post haberi quasi vel illi domini, vel nos alieni. „ Non conqueror Hispanos semper superbo cum „ Imperio nobis præesse, locupletia apud nos mi- „ nisteria, & opulentiora Sacerdotia inuadere, „ neminem ex nobis apud eos Reipublicæ quid- „ quā siue sacræ, siue profanæ attingere. Nō de- „ ploro florentissimam hanc olim Ciuitatē, & Re- „ gnum oneribus pressum, delectibus exhaustū, „ iniurijs vexatū, spoliatum rapinis: dentur hæc „ omnia simplicitati maiorū nostrorum, Gentiū „ moribus, calamitati temporum, & ipsiusmet „ dominationis vitio. Illud non præteribo, quod „ me primū à Rege meo destitutum, & quocum- „ que solutum vinculo ab omni perfidia liberat, „ dū consulo mihi ipsi, & Popularibus meis, æquè „ mecum destitutis. Illo enim, quo obstringimur „ subditi iure gētium dominantibus ad obsequiū, „ eodem prorsus, & primæuo iure tenentur sub- „ ditis dominantes; ad patrocinium. Quod qui „ deserunt, cū fidem ipsi primò frāgant, viderint:

qua

qua spe implorare possint illud ipsum Numen, »
quod primi læserunt, & crimen illud vitare, »
quod imponunt desertis à se consulentibus re- »
bus suis, id quod Petellinis Romana seueritas »
Imperij retinentissima, in hac eadem terra, ; »
olim vltrò permisit. Ego certè, sordes turpissi- »
mi criminis, ab hisce meis conatibus eò alienio- »
res duco; quò contestatiùs habeo: fidei vincula à »
Rege meo disrupta esse, & loco protectionis, iu- »
re subiectionis mihi debitæ, perditionem cala- »
mitosiorem representasse, quam quæ ab iurato »
hoste timeri potuisset. Inter arcana, si nescis, »
Serenissime Princeps, Hispanicæ super nos »
Neapolitanos dominationis; illud ab imbecil- »
litate virium, & inscitia dominandi præci- »
puum. Nobilitatem, cuius sudore, & sangui- »
ne partum habent hoc Regnum; perdere, ac »
delere. Quid ni deleant spoliatam opibus, »
exutam dignitate? & quæ prorsus delere »
non possunt dignitatum vocabula, ità vulgare, »
vt plures modo Principes, (rara alias, & »
apud nos splendidissima dignitatis vocabula) in »
vna aliqua ex tenuioribus Prouincijs nuncupẽ- »
tur, quã primis temporibus Dinastæ in Regno »
vni-

,uniuerso celebrarentur , ijs insinuans in forō ,nouis feudorum legibus, vt si rem spectemus; ,non secus ac reliquum patrimonium creditori- ,bus,cæterisque fortunæ casibus ditiones amplis- ,simæ populis frequentissimæ maiorum decora, ,quibus familiarum splendor sustinetur; red- ,dantur obnoxiæ. Nec deleuisse contenti, dele- ,torum reliquias excitatis dissidijs, alitisque in ,mutuam perniciem acuunt, & tandem cala- ,mitatibus omnibus pressos inuidiæ Populariū ,exponunt, vt quos Cælum, terra, mos, lingua, ,sanguis idem naturæ, arctissimo constringit ,vinculo, præpostero regnandi studio segregent, ,& dispergant. Sed tueri hæc possunt notis exē- ,plis, decutientium virga celsiora spicarum, & ,papauerum capita, dum tamen simul fateantur ,Tyrannica prorsus esse. Sed quo demum tue- ,ri poterunt exemplo: nouitia ipsorum exempla, ,quacumque Tyrannide tetriora, & solum ad ,perdendum genus humanum accōmodata; qui- ,bus, gnari meliorū, consultò præteritis aptiori- ,bus, à quibus conscij imbecillitatis virium, Re- ,gno timent; quam ineptissimos rebus imponunt ,Medinios, Monteregiosq; quorū rapacitate, ac

luxu,

luxu, aliorumque parum obsimilium inscitia, odia subiectorum irritent, & nutriant, exulare longius iussa mutua illa inter obsequentes, & imperantes beneuolentia, qua floret humana societas, quasi publicis calamitatibus absurda regnandi arte, securitatem Regni sui captantes: si quos regimini aptiores casus dedit Ossunium, Pastranamq; Duces veriti beneuolentiã, quã benè facta cõciliant; illũ tanquã res nouas tentantem vi, hostilem in morem, proturbãt, hunc, quem innocentia, in literis educata, extra calumniã posuerat, vix agnitũ; specie honoris à cõspectu) ne dicã sinu) euellũt nostro, vt intelligeremus: inauspicatos esse apud teterrimã hanc Gẽtẽ Neapolitanorũ amores sed odia tantũmodò quæri, & odia habeãt, eosq; colligãt fructus, quos seruere: frustra exigentes, fidem qui nullã esse voluerunt, quãq; quò iactantiùs verbis extollũt, eò re viliorẽ habẽt. Ego verò solutum me, ab illa die, quocumque vinculo cènsui, quo habitus à Rege meo tãquam alienus; desertus fui. Nunc primum prouoco ad libertatem, dum inspicio te Serenifs. Princeps, nulla nobis obstrictũ necessitudine; miserorum causã, tãta animi

ma-

› magnitudine, vltrò ſuſcepiſſe. Vtere opera › mea vt lubet: faciam vt intelligas, non vnum › aliquem, ex leuitate ingenij, deſertorem tecum › eſſe; ſed deſertæ, proditæque Reipublicæ vindi- › cem, ſed Tyrannorum oſorem, ſed Tyranni- › dis euerſorem,

Hæc, vel parum abſimilia à Sanſeuerino in eum ſenſum dicta, vt excuſare potius trã-ſitionẽ, viri honeſtam, videretur, quã vt iactaret tamquam partibus profuturã, magna
280 excepere approbatione adſtãtes omnes; Guiſius verò, quanta ſibi fieret in vno illo viro virium acceſsio gnarus, profuſo gaudio hominem excipit, mediumque complexus laudat, quod nulla ſe erga eos fide obſtrictum putaſſet, apud quos nulla fides eſſet; cæterũ vſurũ ſe eius opera ijs tantũ in rebus, quæ pares eſsẽt dignitati, & virtuti nobiliſſimi Principis; cum verò nihil ſplendidius in preſen-
281 tiarum haberet, Vicarias partes ſuas: iure, quo poſſet optimo excellentię ſuæ per omnia demandare. Tanta Præfectura ornato Sanſeuerino, Dynaſtarum omnium, qui partes ſuas induiſſent pręcipuo, cęteros nobi-

les

les non neglexit; sed Thomam Carraciolū, 282
splendore generis prefulgentem, equorum
suorum stabulis præfecit: Quod munus, as-
siduum equitandi apud viros Principes stu-
dium; illustrissimū in aula facit; nec ideò mi-
nus rebus intentus Chiaiæ suburbiū, littoris 283
amęnitate celeberrimum, à Regijs intercipit:
omnesq;, eodē tempore, oppugnare Regias
munitiones; sūma cura, animiq; parat contē-
tione. Parū de his solicito Prorege, firmis vbiq;
præsidijs tuto, qui etiā lucro ducebat: liberatū
se onere illius pręsidij incolarūq; alendorū in
sūma cōmeatuum inopia: parū pręterea cōfi-
sus illi hominū generi: nautis scilicet ferè om- 284
nibus, seu piscatoribus similitudine morum,
sanguinisq; coniūctione Populi partibus ad-
dictis. Sed satis citò apparuit: Proregis, vt in
plerisq; error; laborari namq; ex illo tempore 285
apud Regios cępit etiā pisce, cæterisq; marinis
edulijs, quibus gens, mari assueta, non minus
gaudet in delirijs, quam ad alimentum vtatur.
Vniuersa verò Proregis consilia, vt sępiùs di-
ximus post vim infęlicissimè expertam versa
erant, vt si qua ratione posset, demulcendo;

286 lenitos Plebis animos flecteret ad concordiã: Nec frustra omninò laborauerat, plurimis è Populo, pollicitationibusque ingentibus in partes tractis: cumque intelligeret quanta fidei, ab se læsæ apud omnes laboraret infamia,
287 vt eam si qua ratione posset deleret: præseferebat, non promissis se, vt antea, cum Populo acturum; sed ei rebus satisfacturum. In quam rem, professus nouissimis à Rege mãdatis amplissimam se accepisse potestatem, quam edicto comprehensam publicari iussit,
288 & per eam augustior factus, & quasi alius, quam blandissimis verbis omnes ad suetum Regis obsequium inuitabat: oblata ingentium spe premiorum vltra obliuionem sequutorũ omnium, & vectigalium quorumcumque abolitionem. Ridiculus planè, & meritò cũ
289 edicto suo, & potestate tanta irrisus à Plebe, qui putauisset deceptos in leuioribus fidem habituros in grauibus, fraudator (vt ità dicã) retrogradus corripiendus Oraculo Patauino ore Fabij Maximi in Senatu Romano.

» *Fraus fidem in paruis sibi præstruit, vt*
» *cum operæ pretium sit cum mercede magna*
» *fallat.*

Coa-

Coactus propterea, vt fidem faceret potestatem illam ab Rege amplissimam mentitum non fuisse in beneficium amicorũ vertere, Comitẽque Molę in Senatum Collateralem eligit, & duos eiusdẽ Comitis filios Senatorem alterum, Tribunum militũ alterum creat, & ius indulget togæ deferendæ Petro Moscosio Concilij Sagatorum Pręsidi; non ideò tamen minus negotiũ pacis vrgebat, cũ haberet in partibus quamplurimos Populatium tum eorũ, qui Regionibus Regio pręsidio insessis continebantur, tum etiã ex alijs, qui corpore veriùs quam animo inter desciscentes erant, ex sacris familijs præcipuè, qui ordine audaciores multa, & longè supra vires, polliciti Proregis animum erigebant, ere- 291 ctum spe fouebant. Is verò totus ad facilitatẽ benignitatemque cõpositus, nihil negligens, recusans nihil; leuissimam quamque spem sequi, quæ speciem aliquã concupitæ reconciliationis præse ferret, & ad cuiuscumq; pollicitationem absque vllo rerum, vel personarum examine aures præbere, cuncta factu facilia, & obuia credere, præmia, & gratiam 292

Aaaa 2 inten-

intendere, & non rarò pecuniam ſpargere,
adeò fruſtra, vt odia prorſus exacerbaret, ma-
ioraque adderet ſemper expetitis impedimẽ-
293 ta. Cum Agneſius, ſub ipſa menſis Decem-
bris initia, ſeuerisſimo edicto, propoſita ca-
pitis, & fortunarum pæna; vetuiſſet, ne quiſ-
quam, ne dum de pace cum hoſte fideifrago
294 ineunda, ſed ne de Republica quidem verbis
diſſerere auderet. Nec multò poſt, cum gli-
ſcentibus inter Guiſium, & Agneſium odijs
ſtudia togatorum ferè omnium, meliorum
videlicet ex Populo, cum Agneſio ipſo incli-
narent ad Regios, ſatis conſtare cæpit nihil
295 magis obſtare quietis conſilijs Proregis odio.
, *Proregem fideifragum; periurum Proregẽ*
, *Neapolitani Populi proditorem, hoſtemque pu-*
, *blicum, & calamitatum omnium auctorem,*
, *fabrumque: perdendum prius nefarium homi-*
, *nem, vel in remotiſſimas ablegandum Regiones,*
, *antequam de compoſitione aliqua cum Neapo-*
, *litano Populo agatur, faciliùs Agnos cum Lu-*
, *pis conuenturos, quam Populum Neapolita-*
, *num cum Duce de Arcos.*

Hæ voces pluribus ſimul auctoribus ad
Au-

Auſtriacum perlatę, quas Rochę Princeps, cæterique nobiles in Ciuitate degentes, haud obſcurè confirmabant effecere, vt Auſtriacus 296
de concilij totius ſententia, lætus vnum aliquem offerri ſibi, in quem omnium, & erga omnes odia; exonerari poſſent, ſcripto Proregem in exitu eiuſdem menſis Decembris admonuerit.

Videret quò res deductæ eſſent, non quidem illius culpa, qui omnia induſtriæ, conſilij, fortitudinis documenta in Regia cauſa edidiſſet, ſed fato quodam, & fortuita connexitate cauſarum, & temporum factum, vt illo moderatore, quē odio Populus eò acriore, quo irrationabiliore proſequitur, res cōponi nequeant. An ſatiùs propterea eſſet, & Regi conducibiliùs inuidiæ tantiſper ſuccumbere, & ad tempus Gubernio cedere.

Senſit vetus ſeruiendi laudibus falſis, & quæſtione non dubia, dura obtegi iuſſa: certuſq; nec illa reijcere, hæc verò non interpretari: ad Senatū Collateralē remiſit, profeſſus 297
ſe in illius futurum poteſtate. Gnarus ex Iure conſultorū reſponſis non elicituros Iuris inter-

terpretes, Inconsulto Principe, cedendum cuiquam esse Prouincia. Nec eum sua
298 fefellit opinio. Respondet Senatus.

Non posse Senatum auctorem esse Excellentiæ suæ, vt è commissa decedat Prouincia, nisi prius constito, per huiusmodi decessum; verè Populum ad Regis obsequium rediturum.

Hac arte Prorex artem elusit, discussitque in præsens, speciosa contrasentientis Senatus auctoritate abdicationis mentionem. Cognouit Austriacus, quique ei in consilium aderant subdolam renitentis simulationem, quam cum auctoritate domare non possent; missi ad stabiliendũ nutantem, non ad eijciendum
299 tergiuersantem Proregem; declinare tentant aditum illum perscrutantes. An Prorege ne dum inconsultò, sed inscio, persuaderi posset Agnesio, & Popularibus, vt sublato Guisio, Austriaci ipsius fidei se committerent. Spem faciebat egregia Austriaci indoles, magnaque eiusdem benignitatis expectatio, & ingenitus quidam Neapolitanis erga Regium sanguinem fauor, & veneratio, ab inuidia seiunctis violatæ fidei, & promissorũ;

prę-

præclarum insuper ducentes, & Regio nomini maximè congruũ; Austriacũ ipsũ præ cæteris contumaces auctoritate ad Patris obsequium reuocasse. Omnium, qui apud Austriacum erant, altiùs hæc imbiberat consilia
Carolus Auria Tursi Dux Populo Neapoli- 300
tano acceptissimus, cum multos in eo haberet suo nomini addictissimos, tum ex suis, paternisq; amplissimis ditionibus oriundos; non eadem asperitate, ac reliquos à Dynastis indigenis habitos, tũ & longè plures ex nautica turba, quibus inter nauigandum assueuerat, popularis aliàs, & profusa liberalitate gratissimus.

Plura hic, & apud plures mouebat agmina consiliorum, nullis parcens laboribus omnia pollicitus, vt assequeretur destinata; & quo
facilior erat ad credendũ ob ingenij bonitatẽ, 301
eò ad pericula incautior, quibus tandẽ succubuit. Die quodã (erat quartus Ianuarij ineuntis anni à redẽpta mortaliũ omniũ captiuitate Millesimo sexcentesimo quadragesimo octauo) dũ ad Chiaiã (non dũ scilicet à Popula-
ribus interceptã) in sacris ædibus nouissimè 302

à sacra

à sacra Lucensium familia constructis, cęptis insistens Internuncio Pontificio coram rem vrgeret, admissis in colloquium tribus è populo Sobrino Agnesij ex eis præcipuo, inter loquendum, vt fit, ædibus illis exit, cum nepote Carolo vix pueritiã egresso, & Prospero Suardo Duce Castri Arioli, longiusq;
303 progessus in insidias præcipitat; Circumuẽtusque globo popularium capitur, trahiturque, magna proditorum exultatione, in Ciuitatem stupente ad rei nouitatem Internũcio, Tursij facilitate decepto, putanteque simulatam capturã illam esse, & vltrò Tursiũ in potestatem Popularium concessisse ad eas exercendas apud capiẽtes artes captiuum,
304 quas Aurij à Cæsarianis Ducibus nauali pręlio supra Neapolim olim cęptis, magno ipsorum beneficio didicjssent. Id quod initio Prorex habuit pro comperto, iniquissimè ferens ipso, qui rebus prçerat, inconsulto;
305 talia attentari; Sed exitus omnes erudijt: illustrium virorum facta, & pœtarum insignium carmina eadem sorte componi, vt quæ prçter rationem dicuntur, vel fiunt inter-

terpretum libidine, misterijs inuoluta, arcano aliquo imputentur consilio. Arcta cu- 306
stodia habitus Tursius, cum nepote, domi primum Marchionis Terracusij omni prohibitus sermonũ commercio, arctiore postmodum apud Marcum Marescham ad Sellariam, non sine vitæ discrimine. frementibus pluribus, litandum hac victima præcipuo seruitutis Neapolitanorum instrumento inuocatæ libertati. Apparuit hominem 307
nimia lapsum facilitate se, domumque suam à Nepote pendentem, & Austriacum ipsum, cuius adolescentiæ consilio regendæ additus fuerat, in præceps dedisse, illorum nixum fide, qui fidem omnem abiurauerant desciscẽtes à Rege suo. Salutem attulit Guisius, seù veriùs Guisij càutio illa, suggerente Cardi- 308
nali viri calamitate commoto, seruandum vtrumque ad belli casus, neminem dignitate, & pretio non æquaturum in permutationibus captiuorum. Tursij infortunio vehemẽter perculsus Austriacus literas ad Cardinalem Archiepiscopum dat plenas humanitatis, laudibus cumulatum eorum, quæ

toto turbarum tempore in Regia causa pe-
309 regisset, precibus aggreditur, & fatigat.

, *Quà equestris ordinis vir, quà Regis ac-*
, *ceptissimus Cliens, omnem interponeret cum*
, *Guisio gratiam auctoritatem, ut optimus ille*
, *senex pacis, & cōcordiæ semper auctor, Tur-*
, *sius videlicet, nulla lege belli sed fraude inter-*
, *ceptus sibi remitteretur; cuius consilio iuuari*
, *posset, quando per summam rerum iniquitatē*
, *prohiberetur, auctorem rerum omnium agen-*
, *darum habere Eminentiam suam.*

310 Rescripsit ad eas literas Cardinalis ea om-
nia abundè pollicitus, quæ ex munere, ex
natalibus, ex ingenita animi propensione à
fide præcipuè erga Regem, & Austriacum
ipsum debebantur, subiecit.

, *Fusis piè precibus imploraturum se Diuinā*
, *Bonitatem, ut pacis consilia, quæ cordi esse Se-*
, *renitati suæ magno cū gaudio intelligebat æquè*
, *ab omnibus probarentur, & adnisurum totis*
, *viribus, quòd sæpè aliàs ut probentur, cū præ-*
, *ter hanc nullam spem salutis videat reliquam,*
, *eò semper remotiorem futuram; quò prompti*
, *ad atrocia propiores rebus administrādis fuis-*
sent;

sent; enixius propterea Tursio affuturum se, „
quem intelligeret celebrari à Serenitate sua „
pacis auctorem. „

Intellexit Austriacus his dictis Proregem obliquè præstringi, & eius gesta notari; accuratiùs propterea obfirmatum eius in retinenda Prouincia animum aggreditur cogni- 311
toque eum auctoritate Senatus Collateralis nixum inexpugnabilem esse, vtrumque ex æquo terret caussatus.

Satis præsidij, ad præsentium rerum tutel- „
lam in milite, firmissimas obtinente munitiones „
esse, desperatumque iamdiù, his copijs, oppri- „
mi desciscentes, sed expectandam famem, vel „
aliam inclusorum necessitatem. Inter has mo- „
ras, tantam classem nulli vsui esse, diù luctatā „
aperto mare cum hyemis fluctibus vndique fa- „
tiscentem trahentemque carinam; Transmit- „
tere propterea in animo esse reficiendam ad mi- „
norem Balearem, Hispaniæ propinquam, „
abundè cuncta præbituræ, Messana omissa, „
quam censuerat Senatus, maxima tunc labo- „
rante commeatuum, ac rerum omnium ino- „
pia. „

Cognoſcebat Prorex, & cum Prorege co- gnoſcebant Senatores,& Regij omnes abſceſ- ſu claſsis, cuius fama, & viribus vix labentes res ſuſtinebant ſuas; prorſus ruituras, expertique quantæ molis fuiſſet ab Hiſpaniæ, & Balearum littoribus eam attrahere, deſperabant, illa ſemel abſcedente; vnquam ſe tot preſſos anguſtijs Neapolim reduces reuiſuros. Rumore inſuper abſterriti, quo percrebuerat: Nauarcos plures, ſupellectili Neapolitana ditatos; nihil magis, quam patriam cogitare: dilapſuros haud dubiè à claſſe, vbi primum amica maria attigiſſent. Conſultus igitur Senatus iterum, circa medium eiuſdem menſis Ianuarij, vincente metu adulationem
„ tandem cenſuit. *E Republica videri Proregē*
312 „ *de Arcos abdicare, claſſem autem cum Au-*
„ *ſtriaco permanere*. Nec Dux, tanto conſenſui impar, diutius reſiſtere auſus, profeſſuſq; per ſe non ſtare; quo minus, ſi vt Ionas alter tantam ipſe excitaſſet tempeſtatem; mari mergeretur.

313 „ *Monere tamen ſe Auſtriacum, monere*
„ *Senatum, cæteroſque Regi fidos Proceres: ne*

leui-

leuitati Populi fiderent, ad ea progreſſi, à quibus non niſi per vim, perque ſeueritatem receptus eſſet. In vno Turſio erudirentur omnes. In ea ſe etiam aliquando fuiſſe ſententia, lenitate ægris rebus ſubueniendum, experientia edoctum cognouiſſe: nullam artem medicam ſalubriorem, Hiſpanica ſuorum eſſe, qua non niſi impuro omni egeſto ſanguine, accerſitur ſalus ægroto.

Et quamuis oſtentata verbis abdicatione
mox mox futura, id ipsũ mẽtibus omniũ,
factis etiam ſtuderet aſtruere, (pręmiſſa
vxore cum vniuerſo ginecæo Caietam)
plurimiſque alijs ad diſceſſum prouiſis, re
tamen protrahebat: ea lactatus ſpe, poſſe 314
interim ab Hiſpania iuſſa aliqua ad ſe deferri,
quibus (vt facillimum erat rebus in arduis)
ſi non cauſa, occaſio ſaltem aliqua præberetur
recedendi non magis à Prouincia, quã
ab promiſſis. Cum verò, poſt duodecim
dierum moram; nihil ab Hiſpania appareret,
vulgatoque diſceſſu, vt neceſſe erat, decreſ- 315
ceret quotidiè magis auctoritas, & aulæ veneratio;
ceſſit tandem cum illo ſuo ſummo

reco-

Recognitore inuitus, vigesimo sexto die Ianuarij inclinato in vesperam die, inuisus omnibus, plurimorum imprecationibus deuotus, magnisque publicæ lætitiæ significatio-
516 nibus, apud populares etiam: celebrante Agnesio deuoti capitis discessum pluribus è maiori ad mercatum Turri maiorum tormentorum explosionibus.

Hunc exitum habuit Ducis de Arcos vices Regias in Neapolitano Regno administrantis Præfectura, ineuntis presagijs respõdentem, vt quem repugnantibus mare, cæloque accepit Prouincia moderatorem, eũdem suis hostibus infestum, infensumque eijceret perturbatorem. Pluribus ille quidẽ virtutibus commendabilis, rebus semper attẽtus, quique negotia pro solatijs ducens nec obiter tractaret, nec conficeret temerè, animi verò moderatione, & abstinentia (rara in eiusdem fastigij iuris apud Neapolitanos aui) insignis, iustitiæ verò cultor accerrimus, nec in ea ab alijs exigenda minor, si per suorum aliquos, quibus nimium credebat ei licuisset; sed qui prudentiam omnem

in cautione reponeret, nihil non timens in aduersis, nihil satis tutum ducens in prosperis. Hinc in illis alieno semper vsus consilio; in his nunquã fisus, nisi suo. Hinc in vtrisq; indiscreta lenitas, & sæuitia, & ad posteros fama, parumque culta promissorum, & iuramentorum religio. Et hinc in eis, quæ foris illius auspicijs, sed aliorum ductu gesta sunt, fælicissimus: in gestis verò suo ipsius ductu, calamitosissimus. Et qui rebus tranquillimis Proregũ clarissimus fuisset, ijs turbatis euasit infelicissimus. Tanti refert in quę quisque tempora inciderit.

RECEPTA

RECEPTA CIVITATE NEAPOLI ad priſtinum cuncta redeunt obſequium.

LIBER SEXTVS.

1 SVb diſceſſum Ducis de Arcos, quaſi malo abacto Genio, Auſtriacus ſecūdiſſimis auſpicijs vtroque approbante Collaterali Senatu, Præfectiſque Ciuitatis omnibus cæpit rerum adminiſtrationem, & Februario ineunte, magno comitatus Procerũ,
2 & Nobiliũ numero ſublimis in equo per eas Ciuitatis regiones proceſsit, quę Regijs tenebantur præſidijs, & cum eſſet in ipſo ætatis flore vigeſimum ętatis annum vix attingẽs, ſummaque præditus benignitate, animique magnitudine, & facies faceret fidem viriliter venuſta, mixtaque grauitate hilaris, ingenti
3 omnium excipitur applauſu, à Populo Neapolitano præſertim, qui eius ductu fauſta omnia, fęlicia omnia tacito quodã animorũ impulſu ominabãtur. Quem fauorem mirũ
4 quantum intenderit duplici publicato edicto quorũ priore præfatus, *Nulla*

Nulla alia de causa volentiùs, cupidiùsue rerum curam suscepisse, nisi vt subleuaret tot calamitatibus pressum fidissimum Populum Neapolitanum, subtraheretque à lōgè grauioribus, quæ imminebant; inuitabat propterea verbis quam blandissimis omnes ad suetum, debitumque Regis obsequium, oblata cum plena, & absque vlla exceptione abolitione sequutorum immunitate à vectigalibus illis omnibus, quibus erant obnoxij commeatus.

In posterioribus verò pleniùs vectigalia 5
quęcumque, & cuiuscumque generis antiquabantur, id quod ingratissimum accidit vniuersæ Nobilitati, quæ Austriaco aderat, nec tacita tulit, sed per Ioannem Baptistam
Carraciolum equitem Hierosolimitanum 6
apud eumdem Austriacum conqueritur, posteriori illo decreto neruos omnes fortunarum suarum incidi, quorum indignatio-
nē Austriacus veritus accersito Carraciolo 7
factum excusat.

Fraude quorumdam plus scriptum, quam dictatum, corrigenda haud dubiè omnia, formulamque emendationis concinnari.

Crimini dabatur Onuphrio Palmæ, &
Aloyſio Capaccio Iuriſperito edictis compo-
8 nendis, imprimendiſque præpoſitis. Regia-
rum illi quidẽ partiũ, ſed qui inter rerũ capita
olim apud tumultuantes fuiſſent, quiq; cũ ſe
in intimã familiaritatem Gregorij de Leguia
9 Auſtriaco à ſecretis inſinuaſſent, Nobilitati
infeſti fraudem feciſſent; ego verò, vt cõper-
tum habeo Capacciũ ex iuris peritia dictãdis
decretis adhibitum, inde facilè adducor, vt
credam nullis potius verbis eum peperciſſe
ad rem ſibi gratiſſimam exequendam, quam
10 rem tantam ſuo Marte auſum. Affirmare
poſſum vidiſſe me exemplaria codicillorũ ab
eodemmet Gregorio cõpoſitorum ad Vin-
centium de Andrea, ſub die vigeſima octaua
Iunij per plures dies antequam plublicaren-
tur edicta, quibus Auſtriaci nomine, inter
alia, ad excitandos animos inuitamen-
ta diſertis verbis ne dum commeatuũ, ſed ve-
ctigalium omniũ proponebatur immunitas.
Vtcumque res ſe habuerit magnũ ſanè fauo-
rẽ Auſtriaco peperere edicta illa ſemper cor-
11 rigenda, nunquam correcta, qui fauor apud
deſci-

deſciſcentes etiam penetrauit, togatos prӕcipuè, quos ſatias iam cæperat affectatæ Libertatis in tenuiorum, audaciſſimorumq; licen- 11
tiam degenerantis,& in Guiſij Tyrannidem ruituram. Fouebat Auſtriacus fauorem cōſilio confidentiam oſtentans erga Cardinalē.
Nouerat ingentia Cardinalis in Regia cauſa 12
merita, nec dubitare poterat de fide, ſed magna erat eiuſdem apud Guiſium gratia inauſpicata illa inauguratione culta, Hiſpanorum omnium celebrata ſermonibus, quam nunquam lacerare deſierat Prorex de Arcos, tāquam altiores radices, excolente Cardinali Barberino, in Gallicam factionē demiſiſſet; certus tamē opera hominis magnӕ apud Populum auctoritatis, vel fidi vti, vel abuti falſi, confidentiaq; deuinctum hominem tardiorem ſaltem facere ad lædendum; humaniſſimis, (capto Turſio vt dicebamus) & honorificentiſſimis literis appellauerat. Tunc verò acrioribus ſtimulis modeſtiam eius vrget, literiſque alijs reddidit certiorem de Proregis 13
exautoratione eius ſapientiſſimis monitis data ad læniendas Plebis iras, rogatque vt rebus

 reſti-

restituendis de more adesse velit, & pro ea, qua cum Guisio vtitur familiaritate, illum

14 etiam, atque etiam moneat.

, *Videret quo pergeret leuissimi Populi leuio-*
, *ri aura elatus contra potentissimum Regem, à*
, *quo maiores illius in rebus arduis magna sem-*
, *per munificentiæ, & potentiæ præsidia retulis-*
, *sent, nec minora ipsi Guisio defutura, si vesti-*
, *gia suorum secutus benemereri de Regia Ma-*
, *iestate in hac tumultuantium Populorum insa-*
, *nia maluisset.*

15 Quibus literis, dum Cardinalis officiosissima responsione (laudato odiosissimi capitis discessu) omnia profusissimè pollicetur, Austriacus siue his acquiescens, siue acquiescenti similis, per alias literas tertio Februarij datas, & ad maiorem existimationis significationem preter morem Italica lingua exaratas, ingentes retulit de promissa opera gratias, vtque eam auctoritate maiori, & fructu præstare posset in communionem vocabat Car-

16 dinalem potestatis eius amplissimæ, quam à Patre nuper acceperat indulgendi cuicumq; absque vlla exceptione beneficia quæcũque.

Nec

Nec aduocasse in partem curarum Cardina-
lem contentus, per se ipsum, & per Grego- 17
rium à secretis plures perduellium allicere,
& inter præcipuos Vincentium de Andrea
dexteritate summa non contemnēdæ, apud
Populum auctoritatis; quin & ipsum malorū
omnium caput Agnesium pluribus proposi-
tis publicè beneficijs, & priuatim pręmijs, si
Guisius natura hostis vel cæderetur, vel qua- 18
uis alia ratione ab ea Tyrannide deiceretur,
quam non iam affectaret, sed exerceret. His
artibus à rerū necessitate exortis, & ab inge-
nita benignitate humaniùs, hilariusque vsus
Austriacus, mirum quantū auxerit, & con- 19
firmarit Regias partes, illorumque togatorū
numerum (haud occultā contra Guisium in
Populo factionem quam commemoraui.

Quibus imprudētissimè Guisius ipse qua- 20
si suppetias ferens vires addebat, tum per sæ-
uitiam pluribus interfectis, siuè verò, siuè fi-
cto proditionis crimine, & inter cęteros ma-
xima cum inuidia Antonio Massello Populi 21
Delegato, nec minus, dum hominem Plebi
gratissimū violare non ausus Principem Ro-

chę

22 chæ summum cõmeatuum Pręfectum accusat apud Cardinalē; quasi is Agnesiū de traddenda Regijs ad Mercatū Arce compellauisset: tum etiã per vanitatem; nam cũ sæpius Regiorum munitionibus inuasis nihil profecisset imperitiã suorum, ignauiamque intelligere nescius, vel agnoscere, impatiens, causatusque eas singulatim oppugnatas inexpugnabiles esse accurrentibus vndique ex vicinis præsidijs ad suppetias ferendas militibus, & cum angusto in loco res gereretur, vbi admodū paucis dabatur pugnãdi spaciū, nil mirum si æquato præliantiū numero potiores
23 loco, non virtute Regij pręualerent. Adornat propterea, condicitque munitionū omniū simul, eodemque tēpore aggressionem, in qua explicatis viribus suis, & hostiū distractis sua sibi multitudo vndique circumfusa vsui ad victoriã esset, paucitasque illorū ob-
24 esset eis in perniciem. Distribuit igitur copias, quas tribus millibus ex campestri exercitu suppleuerat inter militū Tribunos, assignauitque vnicuique locū, in quem accepto pugnę signo impressionem faceret hoc ordine. Ex-

Exteriores Ciuitatis partes in Orientem Solem vergentes, inter quas aliquot continebantur Ciuitatis portæ Regijs pręſidijs in- 25
ſeſſæ; Alexius Compagnus cũ ſexcẽtis armatis ſub ipſas S. Hermetis, Onuphrius Mollus, qui ſecum habebat Garganũ Guiſij Legatum cum magna illorum manu, qui ex Pagis tum Neapolitanis, tũ Salernitanis contracti erant 26
ad Antignanũ occupandas acceſſere portas; Mediniã Caſtrocuchus, Sancti Spiritus Annibal Brancaccius, Sancti Sebaſtiani Landus cum quingentis ſingulis, demandato inſuper 27
negotio ſcalis euadendi ſupra maius propugnaculũ è regione S. Fælicis ſitũ Brancaccio; ſed partes interiores in meridiem verſæ, vbi maius diſcrimẽ attributę ſacræ quidem ędes ad S. Claræ, & Ignatianorũ Tribuno militũ 28
Pucę cũ octingentis, Sãctæ Aluinæ Millonio, & Franciſco Paſſano cũ mille ducentis, Carolo Roſeo Guiſij pariter Legato, & Bran- 29
chino militũ Tribuno iuſſis cũ magna vtrũque manu irrumpere, illũ ex magna ad Portũ 30
munitione, hunc ex maiori Telonio, reſeruauitque ſibi Guiſius cũ ſelectis mille quin- 31
gentis

gentis ex Chiaiæ ſuburbio firmiſſimũ, mũ-
nitiſsimumq; aggerem ad S. Carolum adoriri,
motus crediderim loci omine, quem ipſe; vt
32 diximus, contra Regios obtinuerat, ſecumq;
habebat Paulum de Neapoli plura per Re-
33 gnũ auſum, & Tribunum Perezium traſfu-
gio famoſum. Illuceſcente tandem cõdicto
die, qui fuit decimus quartus Februarij, da-
toque ſigno aliquot radiantium per aera igni-
torum ex conſtipato ſulphureo puluere glo-
bulorum, quibus acceſsit æris campani per
34 vniuerſam Ciuitatem ſtrepitus, ad excitan-
dos propugnatores non minus validus, quam
ad incitandos oppugnatores, breui apparuit
quantum milites differant ab armatis; vbi .n.
ad manus ventum fęx illa Plebeiorum, quæ
præſumpta libertate tumida, licẽtia verò ſto-
lidè ferox verbis ante periculum vorabat cũ
35 præſidiarijs omnibus, munitiones ipſas, &
cum munitionibus arces, poſt primã manua-
lium tormentorum exploſionem incerto, &
irrito plumbearum glandiũ iactu locum non
tenuit; ſed à viris militaribus excepta, qui op-
portunè diſpoſiti collineantes deſtinato ictu

auda-

audaciores transfigebant, terga illicò vertit; nulliſque Centurionum, vel Tribunorum 36
adhortationibus, vel minis in prælium reuocari potuit. Quod flagitiũ leuis apud multitudinẽ auctoritas Præfectorũ inemendabilẽ fecit, longèque turpiùs auxit aliquorũ empta à Regijs fides palam deſciſcentiũ, inter quos 37
manifeſtus Millonius, qui tamen audacia periculũ diſcuſſit interfecto ſtatim eo, à quo proditionis palã arguebatur. Perſeuerãtius aliquã- 38
tò pugnatũ eſt apud Guiſiũ ipſum, cuius audacia imperterrita confidentiores omnes effecerat, & inter primos Perezius, qui cum 39
intelligeret nullã ſibi vti transfugæ niſi in victoria ſalutem eſſe, cum globo ferociſsimorũ iuuenũ ante omnes pugnã ciens prælium trahebat, ſed eo læthali accepto vulnere recedente reliqui non ſtetere, & cum Paulus de 40
Neapoli (expertus quantum eſſet diſcriminis inter Ducem turbarum, & belli agere) trepidaret inter pręcipuos, moneretur que muneris à Guiſio ipſo, auſus fuit petulantiſsimis verbis contumaciam profeſſus Imperium de- 41
trectare, quã impudentiam non multo poſt

capite luit. Repreſſa igitur multo cum ſuo-
rum ſanguine, nullo Regiorum Plebis fero-
42 cia, exploratiſsimũ fuit potuiſſe Regios erũ-
pere, magnãque in tumultuoſiſsimè, & nul-
la diſciplina retrocedentes edere cladem: ſed
43 hæc iactura verius inter Regios poſt fęlicem
rerum ſucceſſum quã cognita in ipſo diſcri-
mine, certum habeo; licèt profuturo men-
dacio vulgatum fuerit, cognitam perſpectãq;
in tempore nec occaſioni defuturos fuiſſe
Guſmanium, Vuatemuillium, cæteroſque
militares viros, ni prohibuiſſet Auſtriacus
tanto ſuorum ſanguini parcens, Ciuitatem
illam recipere cupiens, non delere, quę in
vulgus ſparſa, & in maius aucta miram illi
44 beneuolentiã peperere, nec minorem inter
ipſos deſertores diſcordiam. Quando quidẽ
tunc demum poſt hanc Guiſij in Regia præ-
ſidia infælicisſimã impreſsionem illud conti-
git, quod ſuperiùs commemorabam inter
45 Agneſium cum ſocijs,& Guiſiũ apertum diſ-
ſidium induſtria Vincentij de Andrea malè
ſopitum. Et iam ſimplex non erat inter To-
gatos, & Guiſianos factio; ſed vt Togati ferè
omnes,

omnes, quorum Princeps erat Agneſius Li-
bertatis rapiebantur dulcedine,licet Guiſium 47
peſſimè odiſſent Tyrannidem affectantem,
Gallicum tamen nomen vnicè ſouebant ex
aſſumpto Libertatis Neapolitanę patrocinio,
& habebant in partes plures ex Guiſianis, qui
Guiſiũ ſectabantur non Tyranni ſatellites, 48
ſed propugnatores Ducis ſui, & publicæ Li-
bertatis defenſoris, vt inter diſsidentes longè
maxima illa eſſet factio, quæ nõ minus Gui-
ſium, quam Hiſpanos peroſa, Gallos tamen 49
optaret, cui Guiſius cum ſuis opponebatur
non minus Gallos, quã Hiſpanos auerſatus,
á quibus æquè arceri ſe à concupita domina-
tione intelligebat. Hinc factum vt Gallus ho- 50
mo Gallicas partes profeſſus Gallos ab ea Ci-
uitate, & Regno arceret, qui ſoli ab Hiſpanis
Ciuitati, & Regno timeri poterant; Neapo-
litani verò vnum veriti Gallum in ipſorum
conſtitutum poteſtate tamquam obfuturum
Libertati, exercitus, claſſeſque Gallorum
cuperent, & inuitarent, qui opprimere eam
ſoli poterant,ſeu veriùs ipſo aduentu oppreſ-
ſiſſent. O cęcam planè mortalitatem, & in

consilijs suis inconsultam! Non noto Guisiū iuuenem inexpertum inter iuuentę lubrica fluctuantem; Nō carpo Agnesium ex fabrili ministerio vota metientem; non irrideo cōsiliorum inconstantiam Neapolitanæ Plebis; admiror Hispanorum sagacitatem, & in rebus administrandis prudentiam singularem, seù veriùs requiro, dum eos contemplor in cędem Guisij curas omnes conuertere, meritam illam quidem quasi turbatoris importuni alienæ ditionis, sed cuius vita nulla preciosior ipsis, nec illis ijsdem rebus conducibilior, quæ sola arceret arma illa, à quibus periculum imminebat: consilia minima rebus non magis, quam moribus accommodanda; res enim à moribus, non à rebus mores diriguntur. Hinc non vsquequaque reprehen-
51 dendum foret de eodem Guisio Gallorum consilium, si verū esset Antonium Bassum, Saluatorem de Ianuario, Petrum Odonisum, aliosque conspirationis in Guisium compertos, punitosque Gallico Oratore Romæ degente auctore, siue cōscio tantam rem ausos, quod affirmare non possum, nec reticere debui

bui rem celebrem, & à pluribus traditam.
Hisce animorum flexibus, hisque de causis 52
inclinatis iam ad meliora rebus, ea opportuna
superuenere ab Hispanis iussa, quæ cuncta
fæliciſſimè confecerunt. Cõmitebatur Comiti
de Ognate Regio apud S. Pontificem
Oratori Regni totius pro Rege administratio
& cum Regni administratione summa turbarum
cõponendarum potestas. Non erat hic 53
ille de Ognate Comes, cuius nomen rebus
preclariſſimis in Germania gestis inclaruerat,
vbi vtrumque Ferdinandum Patrem, & filium
difficillimis temporibus ad Imperatoriũ
Culmen vi consiliorum suorum euexerat;
illum vix intra mænia Viennæ tutum, dum
ad Bœmiæ iugum Austriacum excutientis
veluti signum vniuersa Germania aduersus
Austriacum nomen insurgebat; hunc Sueticis
armis obtinentibus omnia, ipsisque Viẽnę
mænibus diffidentem, Grętiumque, &
montosa Stiriæ cum aulicis cogitantem; Sed 54
illius Comitis Filius prudentia par, & vt qui
dempserat ab Hispanica seueritate, & grauitate
fastum, fastique loco non sine quodam
morum

morum lenocinio maxima in pertractandis
rebus super inducta facilitate patrie longè pre-
stantior: Que morum facilitas magno vsui
55 illi Romæ fuerat primo statim ingressu ad
commissi tanti muneris ministerium, aduer-
so sanè Hispanis in aula Romana tempore,
ingruentibus tum maximè Gallicis armis ad
56 Ethruriæ littora, quibus vt diximus Medi-
ceorum fides non restiterat; Innocentij ve-
rò S. Pontificis amor refrigescebat, retrahe-
baturque propensio; quin nec priuatim sa-
tis equus Comiti erat, paternos in eo mores
siue aduersatus, siue suspicatus, à quo olim
57 præposito ad excipiendum, Regni Castelle
nomine, Cardinalem Franciscum Barberi-
num Vrbani patrui S. Pontificis Legatum,
ipsemet Innocentius, qui tunc inter Legati
58 Comites Princeps futuræ amplitudini *fun-*
damenta iaciebat haud satis pro dignitate se
cultum putauerat. Non ignorabat hæc Co-
mes, nec quantos fluctus quælibet leuis aura
excitare soleret in aula illa nouarum semper
59 auida; nihil tamen deterritus amplissimum
munus magno cum splendore obire cæpit,

præ-

præteritis ſumma diſſimulatione non paucis, quæ illud auſpicantem retardare potuiſſent, cum diceret. 60

Vires ſeruandas integras ad ea propugnan- „
da, quæ pretium opere eſſent tranſmiſſis ina- „
nibus. „

His moribus benignèque excipiendis ne- 61
dum aulæ Primoribus, ſed cęteris omnibus iuxta vniuſcuiuſque dignitatem, maximèque erga S. Pontificem obſequio, & veneratione, & in rebus pertractandis dexteritate, paula- 62
tim obtinuit, poſt abſceſſum præſertim ab Hethruria Gallorum, vt & S. Pontifici charus, & aulæ vniuerſæ acceptiſſimus in magna exiſtimatione eſſet; motis verò apud Neapolim rebus, licet cum Prorege illo pri- 63
uatas ob cauſas parum ſibi conueniret, à quo inſuper malignè ea præbebantur, quæ ex Re- 64
gio ærario ad ſplendidè ſuſtinendum munus Oratoris erant attributa; conſilio tamen, pecunia etiã, & milite regiam causã iuuit, firmata inſuper Caieta præſidio. Cum verò plura 65
non probaret, quæ à Prorege abs re in dies gerebantur, de omnibus Regem ſumma cu-

ra,

ra, & fide admonebat, ſpretus primò propter
ſimultates, quas cum Prorege exercebat, lo-
66 qui creditus, nec minus ob Aulę fauorem,
quo Prorex Comitem longè anteiebat; nun-
quam deſtitit tamen Comes, ſed pro vt ma-
gis ſemper, atque magis ingraueſcebant mala
eadem diligentia, & fide deſterebat ad Regẽ
67 cuncta, quibus tandem fauor ceſſit; ſed non
adeò ceſſit, quin aula Comitem de Monte-
rei ſuper omnes attolleret, deſtinaretq; Du-
68 ci de Arcos ſucceſſorẽ, dediſſetque ni con-
ſciùs ille quã malè animati erga ipſum eſſent
Neapolitani, apud quos miſeriarum omniũ
ipſe ſemina ſparſerat, ſiuè longè iucundiùs
duxerit ſecure frui, qua magna erat apud Re-
69 gem potentia Prouinciam recuſauit, quæ re-
cuſante illlo ſummo Reipublicę, & Regis bo-
no, Comiti de Ognate demandata fuit, nec
demandatam fuiſſe ſatis fuit; receptis nãque
Regijs mandatis Comes promptus obſequio
Roma mouens Caietam peruenit, ibique
moras ſedulò trahens pretextu (vt alias di-
cebamus) recipiendi à perduellibus Fũdos,
70 mentem Auſtriaci, qui Prouinciam abſceſſu

Ducis

Ducis de Arcos vacuam obtinebat; exquirebat, nec satis expediebat variantibus ijs, qui 71
circa illum erant indignũ plerisque ducẽtibus *Regis filium rerum necessitate coactum, minorem tanto fastigio dignitatem semel assumptam cedere Comiti ex subiectorũ numero inani illo prætextu mandatorum Regis præsentiũ, ignari*. Et licet non deesset, qui cessante necessitate qua Prouinciæ Rectore vacuæ in tãta rerum agitatione extremis remedijs subueniendum erat extollerent Regia iussa; res exitum non inueniebat, inter quæ Comes moras pertæsus Baias vsque processit, ibique 72
responsum ab Austriaco per Tabellarium accepit, quo benignissimis, & honorificentissimis verbis inuitabatur Neapolim ad res administrandas, non adeò tamen explicatis, vt intelligi posset, qui locus in ijs administrandis permitteretur, explicatiores erant literæ Gregorij à Secretis, quibus significabatur. 73

Consilio & auctoritate excellentiæ suæ omnia dirigenda, è dignitate tamen Austriaci non videri eum Rege inconsulto abdicare se Præfectura.

Eeee Qui-

74 Quibus illicò retulit comes.

, *Paratum se Austriaci dignitati, & volun-*
, *tati omnia sua post habere, cæptumq; iter pro-*
, *sequuturum Neapolim vsque ad exhibendum,*
, *præstãdumque sublimitati suæ debitũ obsequiũ*
, *cæterum reuersurum se statim Romam admu-*
, *nus Oratoris obeundum, cum iussis Regijs sa-*
, *tisfacere se non posse putaret, si quæ suo potissi-*
, *mum consilio administranda mandabantur*
, *subijceret alieno, minusque existimationi suæ*
, *videri consultum, si ad rationem reddendam*
, *obstringeretur, quæ ab alieno penderent arbi-*
, *trio.*

75 Ad quæ enixiùs, reuerentiùsque Austriaco insinuanda Antonium de Cabrera sibi à secretis fidum hominem, & magna in rebus peragendis dexteritate Neapolim ablegat, qui cum Gregorio de Legnia cõgressus facilè obtinuit, vt inuitaretur Comes ad ineundam Præfecturam in posterum diem, quam Au-
76 striacus vltrò deseruisset. Quo argumento Antonius obfirmatam iam sentẽtiam discusserit incompertum. Crediderim inter administros quibus arcana dominationis commit-

mittuntur facilè conueniſſe.

Haud ſatis conducere rebus Adoleſcentem, Regium ſumma poteſtate augere apud Gentem nouis rebus lætam tũc maxime inter obſequiũ, & contumaciam fluctuantem. Vtcumq; præterita excuſari neceſſitatis prætextu, inſtantia certè parum à crimine abeſſe interuerſis Regijs mandatis.

Hoc, ſeu veriùs alio Gregorium vicerit argumento Antonius, certè vicit, nec ab illo congreſſu vllum vlteriùs impedimentũ fuit, quo minus abſtinente Auſtriaco vices Regias Comes de Ognates, & Villæ Medianę appro- 77
bante collaterali Senatu ſubiret mẽſis Martij die ſecunda, poſtero ſcilicet ab illo die, quo ſumma Regiorum omnium gratulatione cũ triremibus quinque apud S. Vincentij Turrim Comes appulit ad Ciuitatem, hoſtiliter à maiore ad Mercatum Turri impetitus ma- 78
ioribus tormentis, ex quorum ictibus vnus Triremem non leuiter læſit aliquot remigibus vulneratis.

79 Prima cura poſt adeptam ſummam poteſtatem Militum fuit; quorum ſanguine, &

laboribus rés vſque in illum diem perdurauerant, quos menſtruo ſtipēdio ſolatus eſt Prorex ex pecunia illa, quam Roma ſecum adduxerat ſua ipſius oppignorata fide, cum publica iamdiù deſijſſet, & Regiorum omnium,
80 nulla eſſet, quam magna diligentia conquiſitam vſque in ſummam centū octoginta millia ducatorum confecerat; & ſanè clara ſemper ab antiquis temporibus fuit Hiſpanorum militia Punicis, Romaniſque armis exculta, clariorque effulſit noſtra, Patrumq; noſtrorum memoria pręclaris in Germania, Italiaque editis tum fortitudinis, tum patientiæ documentis; ſed nullo vnquam ſplendidiùs fulſit, quam in hac obſtinatiſſima Neapolitanæ Plebis defectione, quo tempore per plures, ac plures menſes ea fortiter geſſit, fortiùſque perpeſſa eſt, quam quæ gerere, aut pati humana corpora poſſe vix quiſquam credat, niſi vtraque horum militum ſectarentur exempla, quibus dies, noctéſque ſæpius laceſſitis ab hoſte in munitionibus verſari, & in eis cibum, ſomnumque capere familiare erat; (ſed quę dormiendi facultas, vel cibi ca-

piendi

piendi daretur hoste semper instante) Commeatu verò nunquã non deficiente, qui malignè adeò quandoque præbebatur, vt nautici panis vncias duodecim in singulos dies vix acciperent, milites singuli; inopia verò stipendij, quo per totum illud tempus caruere, eò ventum, vt consumptis omnibus ferè vestibus non alio magis amictu, quam armis tegerent nuditatem, & cum die, noctuque sub dio agerent sæuiente hyeme, benignissimo licet sub Neapolitano Cęlo, astricta frigore membra vno laxabant sole. Videre erat ad primos orti benefici syderis radios certatim milites ad illos toto corpore excipiendos conglobari in illis munitionũ partibus, quæ primæ omnium benigno fouebantur aspectu, vt referre viderentur impios illorum ritus, qui pulcherrimo, beneficentissimoque in vniuersa rerum natura opificio honores illos mortalium stolidissimi tribuunt, qui Opifici summo suo iure debentur. Cum verò tot malis facilè (& ferè dixerim sine dedecore) dicam non sine præmio liberare se possent, irridẽte é proximo hoste nuditatem, & famem, &

pro

pro ijs commeatum, pecuniam, vestem largiora stipendia pollicendo, ostentandoque; disciplinę nihilominus, & fidei semper retinentissimi nullum vnquã edidere impatientiæ argumentum, quin inter maiores ærumnas magnis vocibus, sed animo longè maiori Regio plaudebãt nomini, quasi constantiæ, fideique erga Regem suę illa professione verborum nubes omnes foras propellerent impatientiæ, quas angoribus compressa exhalarent illorum corda inter Tantali tormenta læti. Nec mirum cum scelus non exigeret ab inuitis, sed virtus condiret volentiũ; Tã
81 benemerito igitur militi Ognatus mensis vnius numerari iussit stipendium, longè plura deberi professus, quæ cum rerum angustię repræsentari non permitterent, expectarent cumulatissimè ab illa Regia Liberalitate, quę militibus suis nunquam putat stipendijs satisfactum, nisi insuper præmijs pro vniuscu-
82 iusque virtute cumulatis: re, verbisque erecto milite ad summam Reipublicæ conuersus Prorex cognoscit Populariũ capita Agne-
83 sium, Vincentium de Andrea, aliosque siuè falsò,

falsò, siuè verè Regis obsequium Austriaco
professos, odia certè in Guisium non finge-
re; non negligēda propterea ea, quæ de trad-
denda Regijs ad Mercatum Turri, deque
Guisio ipso interficiendo ab illis mota erant 84
consilia: inter quæ à Vincentio de Andrea
missi ad Austriacum aduenere Ianuarius Pin-
to & Nicolaus Secca cum absurdissimis po-
stulatis, inter quę nè dum ea erant, quæ cum
Duce de Arcos olim conuenerant, sed ijs ab- 85
surdiora non pauca, Nimirum.

Turres omnes ad firmanda mænia Ciuitatis excitatæ, & cum Turribus vna ex tribus, arcibus petebatur milite, & Ducibus Popularibus custodienda sub vno omnium Præfecto, Agnesio, cui suus honos seruaretur, sua procederent stipendia, Proregeque excepto, & cũ, Prorege arcium Præfectis munia omnia tum, Ciuilia, tũ militaria Neapolitanis demandarentur; ius præterea Populo esset decem deducendi, alendique triremes, mittendiq;, & habendi Oratoris è suo corpore tum in Hispanias ad Regem, tum Romam ad Summum, Pontificem, legendiquę Magistratum quatuor, *viro-*

*„ virorum, è Populo, & Nobilitate binos, qui-
„ bus cum suo Præside alternatim in triremium
„ ab ordinibus pariter eligendo summa esset po-
„ testas sine prouocatione ad sarta tecta seruanda
„ omnia, quæ hisce conditionibus comprehende-
„ rentur. Demum ad maiorem firmitatem, &
„ robur eorum, quæ concessisset Austriacus tan-
„ ta præditus à Rege potestate, confirmarentur
„ eadem ab Archiepiscopo Cardinali, ac etiam à
„ Summo Pontifice per duos à Latere Legatos,
„ quorum ministerio, qua summus sacrorum ar-
„ biter sacris, qua supremus Regni Neapolitani
„ Dominus Regno mulctaret quemcumque vio-
„ lare fidem ausum.*

Hos igitur cum postulatis suis Austriacus ad Ognatum ablegat, vt is pro potestate cuncta disponeret; qui ne obsequio Regio sanguini debito deesset, statim eosdem secũ trahens ad Austriacum se contulit, professus nihil se absque illius auctoritate deliberaturum. Memoranda sane, posterisque non negligẽda, & Austriaci erga Ognatum reuerentia, & huius erga Austriacum obsequio, qui cum omnia sibi à Rege demandata solus posset,

Au-

Austriaco tamen cuncta vsque adeo referebat; vt suo præterito, Austriaci nomine omnia geri, & palam edici sustinuerit: Austriacus verò honore contentus sibi vt Regis filio debito, rerum arbitria Ognato permiserit. Admoniti forte Germanici, & Pisonis exemplo, Principis ille filij, Administratorum hic præcipui, qui ad componendas res Orientis, simul à Tiberio delecti, nihil sibi inuicē concedentes infæliciſſimum vterque exitum habuere. In hoc congressu introspexit statim, Ognatus, Austriacum, cæterosque qui Austriaco aderant, spes omnes in conditionibus cum Populo stabiliendis repositas habere, auramque quamcūque, vndecumque afflantē sequi, quæ duceret ad optata. Ab Vincentio de Andrea præsertim, quem inter turbarum concitatores olim præcipuū in partes meliores attraxerat tum Reipublicę in libertate cōstituendæ aduersantibus Gallis desperatio; tū Cocurulli cuiusdam (cui maximè fidebat) prædictio, ex astrorū aspectu prænunciantis, exeunte demū mense Martio Hyspanorum Res potiores fore. Quibus animorum incli-

nationibus ęgre consentiebat Ognatus, apud quem, & plurimorũ dubia fides esset, & eis quibus constaret plus animi quãm virium inesse suspicaretur: gnarus non eadem facilitate reuocari actos in præceps, qua quis egisset; infidamq; ad res pie gerendas potestatis mẽsuram esse, quęab impie gestis desumeretur. Propterea statim ab inita Præfectura, vt secũ ipse cõstituerat, ita per literas exquisiuerat à Philippo Marchione Spinula Genuæ degente (indeque tanquã è specula quadã rebus in Italia Hyspanicis magna apud omnes auctoritate, nec minore prudentiæ fama imminebat, ad quem nulli licèt Prouincię præcipuè addictum, in arduis Principatus curis referabatur ab omnibus) Anne satius esset conditionibus non procedẽtibus armorum prę-sidio rem committere: nihilominus ne concupita ab alijs, solus ipse spernere videretur, spemue vllam abijcere conciliandæ, si qua ratione posset concordię Austriaco coram, eoque cum suis assentiente, rescribens.

86 Nihil ex his postulatis admittebat, nihilq; reiciebat, sed cum sigillatim capitibus singulis respon-

refponderet, alia cōcedebat quidem, fed immutatis non minus verbis, quam fententia; quædam verò ea addita exceptione, quę pręter verborum fonum nihil reliquum faceret, ambiguis aliquando verbis, & in vtramque partem facilè trahendis aflentiebatur, non rarò quafi conceflurus negabat id è Populi effe, in aliquibus etiam moras nectebat, vel operam fuam apud Regem enixiùs promittebat; ad ea verò abfque vllis ambagibus ref-
pondebat Auftriacus, in quibus Populi com- 87
moda repofita effe videri poterant.

Vt rata effet obliuio fequutorum omnium, & plena impunitas admiffforum; vt abrogata intelligerentur vectigalia quæcumque ab obitu Caroli Cæfaris indicta, exceptis Carolenis quīdecim poft res motas à Populo indictis; vt ius fuffragiorum par vtrifque effet tam Popularibus, quam Nobilibus; vt incendio læfi folum verterent.

Concinnata refponfa hęc, & ab Auftriaco fuo ipfius fubfignato nomine roborata, die feptima Menfis Martij Genaro Pinto tra-
duntur perferenda Vincentio de Andrea, 88

& cũ reſpõſis humaniſſimæ literę ad Agne-
ſium ipſum, quibus ab Auſtriaco magnis lau-
dibus efferebantur cæpta quietis cõſilia, ma-
ioribusque propoſitis præmijs exigebantur
promiſſa; admonentur præterea cum No-
bilibus illis communicare cõſilia, qui adhuc
89 reliqui in Ciuitate Regias ſequebantur par-
tes, & inter præcipuos cum Principe Ro-
chę, cum quo Auſtriacus poteſtatem, quã
ab Rege habuerat maximam pro ſedãdis tur-
bis communicauerat. Erat Princeps Rochę
90 de Gẽte Philomarina Populo acceptiſſimus,
& qui nunquam (quietis etiam tum rebus)
ullius ſeruilis ſententiæ apud ſuos auctor,
fauctorue fuiſſet, quique quantum auctori-
tate, & conſilio valuerat ſemper pro Patriæ,
Populique cõmodis ſtetiſſet; primis propte-
rea turbarum diebus renuente etiam, atque
91 etiam Cornelio Spinula ſummam Cõmea-
tuum Præfecturam magno ſtudio, magniſ-
que omniũ acclamationibus vocatus ad am-
pliſſimum illud munus à Populo fuerat ap-
probante Prorege, qui de viri erga Regem
fide confiſus ad illud ſubeundũ quamuis re-
luctan-

luctantem adegerat, nec vnquam ſpem de ſe
conceptam feſellerat; Nam & concreditum 92
munus difficillimis temporibus, tum ob cō-
meatuum quandoque penuriam, tum ob li-
centiam, & contumaciam Plebis magna pru-
dentiæ fama, nec minori fructu adminiſtra-
uit, fidemque erga Regem ſemper profeſſus,
apud furentes adeò non diſſimulanter, vt ſę- 93
piùs ſingulos de obſequio palam admone-
ret, Regiaſque partes quantum conſilio, &
monitis valuit iuuit ſemper, Toralto in ſer-
uanda Regi fide ſtudio quam ſimillimus, cō- 94
ſilio tamē longè potior, à nulla re magis alie-
nus quam ne latum quidem vnguem in Re-
giarum partiū gratiam recederet ab illo mu-
nere, quod ad procuranda Populi cōmoda
ſemel in ſe ſuſcepiſſet; vnde immeritò quiſ-
quam arguat inſignium horum virorum lō-
gè diſparem exitum.

Sed ad inſtitutum ſermonem redeamus. 95
Vincentius de Andrea receptis cum reſpon-
ſis illis Auſtriaci literis ſatis iam ipſe Regius
vel rei honeſtate, vel præmiorum ſpe labo-
rabat ſolummodò de attrahendis in ſuam ſē-

tentiam

tentiam pluribus, & ſuper omnes Agneſio.

„ *Vt deſperatis auerſa Nobilitate ſpecioſis de*
„ libertate nominibus propiores ſequerentur ſpes
„ ab Hiſpanis, experti in claſſe tandiù fruſtra
„ expectata apud Gallos virium imbecillitatem,
„ quorum Imperium, moreſque iamdiù erant
„ exoſi.

Sed tardiorem ad ſaniora cõſilia experiebatur Agneſium, commotum licet Guiſij
96 odio, preſenti tamen fortunæ tenaciùs inhęrentem, quam faciliùs tueri ſe poſſe ſperaret Gallorum armis, quam Hiſpanorum promiſſis; Et cum ipſius auctoritas apud Populares ſuos ea non eſſet, quam iactabat apud Auſtriacum, oblata Principis Rochæ con-
97 ſcientia lętus, cum quo quam plures togatorum ſentire non ignorabat, eam etiam ſpem ſequutus ſibi facilè imputari poſſe palam, quæ Nobilis homo inter Populariũ ſuorũ Proceres clam cęteris mouiſſet, Principem adit, cum quo ob eamdem commeatuum curam non obſeruatus ſermo, minuſque ſuſpectus congreſſus erat, rem totam
98 confert.

Admit-

Admittenda in interiora Ciuitatis Regis ar- ,
ma, tradendam maiorem ad Mercatũ Tur- ,
rim, pellendum Guisium assentiente Agnesio ,
cum togatis omnibus arma sumpturis, cuncta- ,
que ad Regis obsequium reuocanda ijs condi- ,
tionibus, quas Austriacus ad meliorum preces ,
iam dedisset. ,

Simul exemplar promissorum tradebat, vrgebatque Excellentiam suam, vt qua auctoritate apud omnes, & supra omnes pollebat optimè cogitata pari fælicitate conficeret. 99
Nouerat Princeps magna Vincentiũ, sociosque (vltra tamen vires) moliri, sed vbi audiuit, & Agnesium in partes isse, qua de re fidem faciebant tum Austriaci rescripta, tum animorũ, consiliorumque inter illos coniũctio, confidentior factus, hominemq; ad spes nouas vela omnia expandentem, magnis laudibus, maioribusque pręmiorum pollicitationibus ex ea, quã ab Austriaco habuerat potestate implet, operamq; suam largè pollicetur; nec ad rem segnior, conuocatis in amplo ædium suarum conclaui pluribus Populi 100
Proceribus, qui vel secum apertè sentiebant,

vel

vel inter spem, metumque hærebant ambigui, Vincentio corã, Austriaci rescripta manu tenens, in hanc eos ferè sententiam alloquutus dicitur.

Decimus voluitur mensis, Ciues optimi, ex , quo Ciuitas hæc nostra, & ad illius exemplũ , Regnum vniuersum à Rege desciuit suo, pudeat licet (necesse habeo hoc verbo vti) quando , speciosa velamenta omnia tuendorum Patriæ , iurium pellendorumque à rerum administratione perditorũ, furiosum Agnesij sustulit edi-, ctum, quo eiurato Philippo Rege inani Liberta-, tis pretextu assumptum est sub Gallo Duce , Gallicum patrocinium, mox in seruitium de-, generaturum. Quodnam ob Regis maleficiũ, , amabo vos, tanta ei clades illata est? Dura fa-, teor indicta sunt tributa, & exacta asperè eò , grauiora, quò salubriori Maiorum nostrorũ , cura à Carolo Austriaco beneficentissimo Cæ-, sare pactam habebamus eorumdem immunita-, tem. Sed quis vnquam adeò futurorum pru-, dens, vt statuere possit magnis Imperijs impen-, sarum modum? Quis adeò solers, vt emergẽ-, tibus semper nouarum expensarum nouis cau-

sis

sis aliundè pecuniam, quam ex nouis pariter, indictionibus publicè eliciat? Genuenses nè, (vt Gallos taceam, Germanosque, aliasque gentes, quæ sub vnius quiescunt Imperio) Genuenses inquã, Veneti, Lucenses, & nouissimi omniũ, qui ad libertatẽ emerserunt Bataui leuioribus premuntur tributis, quã nos Neapolitani, apud quos pars libertatis fuit nobismet ipsis, nostrisque suffragijs ea imposuisse, quos tãtum abest iure conqueri propterea posse læsa esse, quæ Carolus Cæsar indulsisset, quin verius eo ipso illæsa probentur, cum non nisi flagitantibus nobis à Rege fuerint diminuta. Ipsius igitur humanæ societatis vincula dissoluit, qui tributa detrectat, sine quibus Respublica stare non potest. Qua ruente, piget referre, quo futuræ sint loco res singulorum, nec necesse habeo, cum vos intueor inter Ciues omnes præcipuos, immunes licet à vectigalibus omnibus, tot pressos iniquitatibus, vt pecuniarũ cõtributio quibuscũq; vectigalibus grauior ad nutriendã horũ turbam quocumque, Lazaro mendiciorẽ inter leuiora præsentiũ mala reputetur, inter leuissima verò præ imminen-

„tium atrocitate. Nulla permittit ratio, (mi-„hi credite Ciues) nulla non reijcit posse nos „diutiùs in hoc rerum statu, licet infælicissimo, „perseuerare. Duæ potentissimæ in terris Gentes „Galli, Hispanique de nobis inter se totis viri-„bus digladiantur, speciem illi alienæ libertatis „prætexentes, hi iure dominationis innixi, no-„bis inter vtrumq: medijs vel in vindicta liber-„tatis perituris, vel futuris prædæ victori His-„pano, Galloq; æquè inuisis, illi vetusto odio, huic „recenti ira. Quid moramur adhuc, quid spera-„mus? Gallos nè tot bellis exhaustos, & implici-„tos in Hispania Taraconensi, in Belgio, in Ger-„mania, in Cisalpina Gallia tutellam tantarum „rerũ tanto apparatu susceptarũ asserendæ alie-„næ libertati posthabituros? Nã à Plebe nostra „contra nos tantummodo feroci, eiusdemque sto-„lido Duce quid expectandum sit proximorum „dierum experimento cognouistis, nec minori „documento vagatũ per Regnũ Populorũ incen-„dium, quod perseuerante cum Arcibus Nobi-„litate in Regis obsequio, vt aridarum per agros „stipularum, post breuem flammam euane-„scit in fumum. Sed demus Gallos neglecto

sua-

ſuarum rerum præſidio veſtras propugnatum ,
frequentes venturos; demus ijs venturos vi- ,
ribus, quibus (non vt paucis retrò menſibus) ,
dum ad primum cum Auſtriaca claſſe con- ,
greſſum, ſe turpem in fugam conijcere cogan- ,
tur; demus portus aliquos eos inſidere, arces ,
aliquas capere, Prouincias nonnullas inuade- ,
re, id quod in hanc diem poſt tot minas, poſt ,
tot ſparſos per Italiam glorioſè libellos non- ,
dum obtinuerunt. Quid tum? Hiſpani, qui ,
totis Imperij ſui viribus connißi hyeme ſæui- ,
ente omnia perpeßi (obſeßi nè veriùs, an obſi- ,
dentes incertum) tutellæ rerum ſuarum mor- ,
dicus adhæſerunt. Vere iam apparente, quo ,
liber dabitur excurſus ab Sicilia, Sardinia, ,
Balearibus, Hiſpania, reliquaq; Italia ad ma- ,
ria hæc noſtra tanta claſſe inſeſſa, tot Portu- ,
bus, & Arcibus tuta, tot præſidijs munita, ,
cum omnis generis commeatibus, pecunijs, & ,
militum ſupplementis, deſerent nè hæc omnia, ,
& cum eis Regis filium, Imperiumque, quod ,
per centum quinquaginta ferè annos in Ita- ,
lia magna potiti ſunt gloria? quod Imperium ,
à conſeruatione huius Ciuitatis pẽdere nemo nõ ,

„videt? Deserent citiùs alia Regna, Madrittum
„ipsum tanti Imperij culmen; nec deserturos eos
„Galli ipsi putant (mihi credite:) nullā propterea
„spem fouent ne dū vos pertrahendi in libertatē
„vestram; sed ne in seruitiū quidem suum; falsi
„in amore, vno generis humani odio vbique se-
„rentes hostilia. Quæ mira licet in tantis cona-
„tibus videantur vos ignorare non patiar. Non
„iniuria septem viri Treuirensis iussu Impera-
„toris pro potestate coerciti (vt credi voluere Gal-
„li) illa induit contra Austriacos arma, quæ
„lōgè ante magna exercuerant contētione, sed in-
„gentia beneficia, post interemptū Henricum il-
„lorū Regē, à Rege nostro recepta indignissima
„retributione pluribus compensant maleficijs. Re-
„gem puerum incertæ successionis sub extranea,
„& muliebri tutella in Regno pluribus internis
„motibus fluctuantem pace illacessita Rex noster
„regnare permisit, geminoq; cōiugio adultū cōfir-
„mauit, consilio deniq; opibusq; iuuit grandiorē
„ad domandos perduelles suos specie Religio-
„nis contumaces, excindendamq; natam olim,
„alitamque, & per vniuersum ferè Regnum
„propagatam Ruppellensem pseudo Rempublicā.

Quan-

*Quãdo Ruppella ipſa clauſtra licet Gallici Oc- „
ceani obtinens inacceſſa, pluribuſque propugna- „
culis inexpugnabilis ad obſequiũ recepta, mini- „
ma pars illius victoriæ fuerit, quam Antemo- „
narchicũ quamplurimorum, & fortiſſimorũ, „
hominum per vniuerſam Galliam cætũ diſcuſ- „
ſit, & ſuſtulit. Pro his meritis Batauis deſer- „
toribus duabus integris legionibus, & quingẽto- „
rũ equitũ ala ſuo milite, & ſtipendio cõtra Re- „
gem noſtrũ ſemper affuere, ruentẽ ad arma le- „
uiſſima de cauſa Sabaudiæ Ducem impulerũt, „
Venetos obiecto Vulturenæ Vallis legitimum „
ſacrorum cultum repetentis, vano terrore ad „
ſaga compulerunt, Duciſque Mantuæ aduer- „
ſus Imperatorem Dominũ ſuum contumaciam „
obfirmarunt, probataq; Boemorum defectione „
Principem Onalthinum, Ducem Vuertember- „
ghium, Palatinũ Septemuirum, Caſſelium Dy- „
naſtam, Comitem Olachium, (vt de minori- „
bus taceã Turriano, Albertatenſi, Mãsfeldio,) „
contra Auſtriacos inſtruunt, quos omnes cum „
fortunæ, virtutique Auſtriacorum ceſſiſſe, „
viderent, ab vltimis vſque terrarum oris, „
vltraque Oceanũ infeſta, funeſtaq; Europæis „
omni-*

, omnibus Vuandalorum, & Gothorum agmi-, na cum infestiore illorum Rege Gustauo elicue-, re, arctissimoque sibi iunxere fædere; Hæc ve-, rò omnia non alia, nec atrociori prouocati, iniuria, quam recordatione beneficiorum, qui-, bus impares se esse nossent, nõ religionis amore, , quam sociatis cum illius hostibus armis per-, ditum ibant, non demũ vt aperto Marte alie-, nis inuasis, occupatisque latiùs imperarent ipsi, , (id quod iure quodam gentium tueri possent) , sed ne potentia optimo iure quæsita. cuius opem, presẽtissimam ipsi senserant, fuerentur Au-, striaci, quacumque meretrice Salomonia ma-, ligniores. Hinc prætextus alienæ libertatis, per Italiam, perque Germaniam vniuersam, , si iustè æstimetur, odium humani generis, , est, vt quæ ipsi iure habere, vel virtute cõsequi, prorsus desperant, excitandis, fouendisque, inter coniunctissimos dissidijs, ne possideant Au-, striaci peiùs perdant.

, Nec aliter, né erretis, nostris abutuntur dis-, sensionibus, abusuri & sãguine, lucro ducentes, quæcumq; aduersa nobis contigerint; magnũq; , fructũ ex leuitate nostra reportaturos se puta-

bunt,

bunt, dum quacumque tandem ratione opulentissimum hoc regnum, cuius vires sæpiùs senserunt, inutile reddant, & infrugiferum Regi nostro: visi putatis misso ad nos stolido, & inermi Duce, ostentataq; infirmissima classe, & promissis inanibus, posse eos ad illã adducere, nos libertatem, in eaque eductos cõseruare, quã nondum habemus, & iam laceramus dissidijs. Meliora Ciues, & miserti tãdem Patriæ, miserti nostri ad antiquũ per tot ætates fælicissimè expertum redeamus obsequium. Ecce Austriacus Regis filius, quem inter munitiones illas hostiliter impugnamus nostrum omnium amãtissimus, & salutis auidus, qui sæuũ fœdifragũq; Proregẽ, vt nos vlcisceretur exauctoratũ, ignominiosissimè Præfectura dimouit, & oppugnatus licet restitisse contẽtus victoriã, quã præ manibus habebat, vt sanguini nostrorum parceret, abiecit. Ecce codicillis hisce benignissimè inuitat, & cum cogere possit, rogare sustinet, vt salui omnes esse velimus, oblatis cum plena admissorum omnium impunitate, immunitate vectigalium, perditorum exilio, pari Populo cum Nobilitate potestate, ijsque

omni-

, omnibus, quæ siue iure, siue iniuria quietem
, turbauere. Accedit S. Pontificis, cui feudali
, nexu Regnum hoc obstrictum est summa aucto-
, ritas, qua sub interminatione eijciendi è cætu
, fidelium refractarios quoscumq; omnia sancire
, non dedignabitur, ab Vincentio hoc de Andrea
, Ciuiū optimo accuratè descripta, & ab Au-
, striaco ipso augustissimo suo nomine roborata,
, quæ hic vobis recognoscenda propono. Quid
, expectatis? Iam Agnesius ipse partium vindex
, Arcis ad Mercatum portas Hispanis aperit,
, iam meliores omnes nobis consentiunt. In no-
, stra, ò Ciues repositum est potestate nos omnes,
, patriamque nostram è calamitatum omnium
, ergastulo ad culmen fælicitatis euehere, ni ho-
, diè sapitis, post hac frustra sapituri.

101 , His magna animi, verborumque conten-
, tione perorante Rochæ Principe quot quot
, aderant assensere, & ni terror ab egenis illis
, arma tenentibus, quos non frustrà Lazaros
, appellauerat, (quorum ex contemptu appel-
, latio vt alij in Belgio Gheusij vulgo inualuit)
, irrupissent extemplo ad Guisium expellen-
, dum; consultiùs tamen visum, Hispanorum
manus

manus præstolari, & ipsos interim arma parare quam occultissimè; dato Vincentio de 102
Andrea negotio diem, tempusque cũ Agnesio rei conficiendæ statuendi; qui cũ Agnesio, paucisque alijs consilij auctoribus congressus, examinatisq; accuratiùs singulis Austriaci responsis facilé cognitũ quæ verè permitterentur, quæuè per ambages blandissimorum verborũ denegarentur, & siuè om- 103
nium arrogantia altiùs imbibita, siuè Agnesij, à quo omnia pendebant, ambitione nullam spem tuendæ dignitatis nisi in Gallorum armis reponentis, quique illorum classem firmissimam diù non abfuturam, ad optata facilis, habebat pro indubitato. Rescribere 104
placuit, enixiusque eadem ferè iterare postulata, quæ negabantur, mollita tamen nõ parum, verbisque lenita precatorijs, remisso eodem Pinto, & cum eo Ianuario ipsius Vin- 105
centij fratre obsidum loco remansuris pęnes Regios, si postulata permitterentur, cũ quibus Prorex ipse seriò colloquutus castigata verbis grauissimis hominum peruicacia, tandem auctoritate Austriaci accedente consi-

lio Melchionis de Borgia, & Gregorijà secretis hac adhibita moderatione consensit postulatis.

106 , *Turrium custodia omnium præter Arcem , permissa Populo vsque ad quietem Ciuitati re-, stitutam, hac tamen lege, vt miles legeretur à , Prorege, regereturque ab eo, vt summo in bello , Duce.*

107 , *Arbitrio Populi remouẽdos in præsens Ma-, gistratus omnes, qui non essent indigenæ excepto , Prorege, & Arcium Præfectis, denegatum , tamen imposterum vt petebatur, sed edictum , à Carolo Cæsare conditum seruandum esse, tũ , in tanti nominis venerationem, tum vsu postu-, lante in arduis magni ponderis inter indigenas , quæstionibus exteros adesse, in quibus silerent , de eiusdem sanguinis hominibus suspiciones.*

, Concessum alere posse continuò Procuratores , Romæ, pariter & in Hispanijs (cum omissa , Oratorum mentione residentes postulassent.)

108 , *Damnata Ducis de Arcos, &* Ioannis *Cia-, chonij Pontij de Leono summi Recognitoris me-, moria, cautumque ne horum quisquã vel Cia-, chonij posteri, filijuè Ducis munus aliquod in*

Ciui-

Ciuitate, & Regno Neapolitano vnquam administrarent, (cum de posteris omnibus Ducis de Arcos postulatum fuisset) in cuius odia consensum adeò, vt cum gesta olim per eum approbarentur deletum fuerit illius nomen tamquam infaustum, nullaque ratione cõmemorandum. Robur deuique, quod ab auctori- 109 *tate Pontificia Legatorum ministerio petebatur, eo verborum circuitu concedebatur, vt multũ in potestate, quam Legatus habiturus erat, nõ parum in ea, quæ peti poterat, si opus fuisset à Regijs, hoc est in potestate Austriaci reponeretur.*

Subueritus autem Ognatus fraudem, ne sub speciem agendi de conditionibus consultò traheretur tempus in Gallicæ classis aduẽtum accersitis ijsdem Ianuario Pinto, & Nicolao Secca, edicit aprobantibus ipsis; ea lege quæ indulgebantur sancta fore, si intra octiduum populus pollicita compleuisset, eo vero transacto irrita fore.

Sed quoniam sæpiùs de Summo Romano 110
Pontifice meminimus, deque iure beneficiario, quo Regnum Neapolitanum Sãcta Ro-

mana Sedes habet obnoxium, vnde pars nõ modica turbarum Neapolitanarum ad eum etiã pertinebat, eò minus prętermittendum est quonam erga illas esset animo Innocentius Summus Pontifex, quo certiùs idem Regnum (quiesceret licet) plurium Summorũ Pontificum cupiditates sollicitasse, nonnullorum etiam studia intendisse rerum in Italia retroactis temporibus gestarum pręclara ingeniorum monumenta testantur. Ad primum seditionis, & Masanellicę vecordiæ nũcium introspexit Innocentius id, quod nec intimi consiliorum tacebant, & res loquebatur ipsa de re sua agi, ne dum ex celebri poetę censura ardente vicino pariete, sed propiùs ex dominationis suę iure, cuius læsio à beneficiarij læsione vix quidem seiungi poterat; & quo certiùs intelligebat latum sibi aperiri cãpum ab alijs Summis Pontificibus expetitum reuocandi beneficium illud causis non deficientibus, seu causarum imaginibus, & iungendi cum inani ferè Dominationis vocabulo opulentissimarum ditionum fructus, eò diligentiùs cauit nè tantę rei quantumuis le-

uis

uis aliquã de ſe ſuſpicio apud Hiſpanos orire-tur. Erat Innocentius natura cautus admodum, & cũctator vix eas res aggrediens, quas longè antè perſpectas, & pertentatas ſe aſſequi poſſe ſpei proximus eſſet; & cum auctoritate in terris maxima ſe prædítum ſciret, tunc ea maximè potiturum tutò putabat, ſi quam parciſſimè vteretur, ratus ineptiſſimũ eſſe periclitari de re illa, quæ abſque vllo diſcrimine, vel labore vltrò defertur, & cum nemo in Catholicorum cętu primas ei dignitatis, & auctoritatis partes non tribuat, eas moroſiùs intentando ad contemptum exponere; nil propterea magis abhorrebat Innocentij animus quam res nouas, eas pręſertim, quę ſecum ferrent pecuniarum iacturam, tenacior alias nonnullis viſus, quam tantũ Principem deceret. Quam tamen famam re ſatis redarguere videbatur, dum hęc commemoro, ſuſcepto, confectoq; contra Farneſium bello, quod nè dum Vrbani fiſcum exhauſit, ſed ſanctius ęrarium in Sancti Angeli arce ad extremà repoſitum non parum imminuit: nec conſanguineos circa ſe habebat, quorum

ſtimulis

ſtimulis ſenior ipſe ad conſilia audaciora caṗeſſenda adigeretur; quando Camillum ex vniuerſa familia vnum ex fratre nepotem ob nuptias cum Duciſſa Roſſani Aldobrandina Cardinalitia exutum purpura domo eiјeciſſet, eiectum in nullo haberet pretio, vel nō habere credi vellet, Hiſpanos inſuper mores lōgè habebat perſpectos diù inter eos verſatus, cum Neapoli, tum in ipſa Madriti Regia vtrobiq; Internuncij munere functus ſub Vrbano Pontifice, eiſdemq; benigniſſimus erat publicis, priuatiſq; de cauſis; facilis propterea, pronuſque quacumque ratione commodè poſſet eis ad res Neapolitanas componendas adeſſe; ſuper omnia tamen cauebat nè ſuſpicaciſſimæ Gentis mentem ad ſiniſtras de ſe ſuſpiciones excitaret; nihil propterea mouit cunctabundus aliàs, & tempori plus æquò tribuens; ſors cōſilium iuuit initis intra paucos dies cum Maſanello conditionibus, quibus licet appareret res componi haudquaquā poſſe, Dux tamen de Arcos cum ſatis præſidij ad res componendas, ſequuta pręſertim Maſanelli cæde duceret in Regijs viribus, nihil

hil deteriùs rebus ſaluis contingere poſſe putabat, quam clientelare obſequium profiteri, & pati de Regno illo, ad quod in fide continẽdum ope eguiſſet Patroni; nihil prorſus à Sũmo Pontifice petebat, Ognato pręſertim Regio Oratore, per quem res erat expediẽda, cum quo diffidebat non minus conſilijs, quam voluntate. Inter quæ inexpectato nũciatur Ognato conſternatio Cenamiana per Centurionem à Caietæ Gubernatore ad idipſum nunciandum ſumma miſſum feſtinatione augeſcente (vt fit in talibus) ſine fine diſcrimen.

Populum acriùs, valentiuſq; coortum, tormentis muralibus potitum, Caſtri noui arcem quatere, facilè expugnaturum commeatu, ſulphureo nitrato puluere, cæteroque militari apparatu haud ſatis inſtructam.

Rei atrocitate commotus Ognates ſtatim ad Summum Pontificem inuolat, (dies erat Dominicus vigeſima quinta Auguſti) rem quanta poteſt maxima cum lamentatione exponit, rogat, deprecatur.

Qua omnium Patrem, nè filium obſequentiſſi-

„*ssimum Catholicæ Religionis propugnatorem;*
„*priuatimque de Sanctitate sua optimè meritum*
„*dejerat, qua Principem ne beneficiarium suum*
„*sub tutella Sanctitatis suæ quiescentem spoliari*
„*beneficio suo per summam iniuriam, & commune dedecus ab insana multitudine pateretur.*
„*Legatum saltem summa cum potestate ad res*
„*componendas, asserendaque tum Regis, tum*
„*Sanctæ Sedis iura nè differret.*

Composito ad mæstitiam vultu Innocentius (fortasse tacitus lętabatur domitam tandem Proregis arrogantiam, de qua ab Alterio Internũcio certior fiebat in dies) solatur mętentem, nec se alienum à mittendo Legato significat; rogat tamen ecquid sentiat Prorex de Legato.

„ *Respondet illico Ognatus nullas se recipisse*
„*à Prorege literas, non dubitandum tamen de*
„*illius desiderio eo in discrimine versantis. Pro*
„*certo habendum eum ingentis beneficij loco habiturum opem quamcumq; laborantibus rebus,*
„*& ferè perditis à Pontificia benignitate profectam. Cæterum cum ipse Regis apud Sanctitatem suam Orator, Hispanique Cardinales*
„*omnes,*

omnes, cæterique Regis patrocinio adhærentes, in aula commorantes idem sentirent, supplere, haud dubiè per eos posse vnius absentis Proregis assensum.

Quibus non contradixit S. Pontifex, tamen deliberandum super tanta re dixit, diligentiùsque animaduertendum ad plura, & inter potiora, quibusnā animis Populus Legatum esset excepturus, frustraque conatus Ognatus cunctationem ingenitam tanta Maiestate tardiorem expugnare, cum idētidem diceret.

Arcis amittendæ periculum præsens omnes respuere consultationum moras, vulgato Saguntiexcidio vulgatiori dicto, benignè tunc dimittitur. Post diem tertiū monetur, Decresse S. Pontificem binas Neapolim breuioris formæ, propinquo Sabbati die transmittere literas, alteras ad Proregem, ad Populum alteras, quibus commemoratis, ærumnis Ciuitatis illius, communiter admonerentur omnes, excitarenturque ad concordiam, pro qua ineunda si profutura videretur auctoritas Pontificia, defutura non esset, misso etiam in re præsenti Legato.

Prudenti ſanè, & inter patris charitatem, & Principis Maieſtatem ſaluberrimo temperamento, quo abſque vlla inuidia, vel inuidiæ ſuſpicione, abſque vlla dignitatis iactura, vel iacturę periculo, nec admittentibus deerat charitas Pontificia, nec recuſantibus lædebatur Maieſtas, ſed in Maieſtate ſemper emicuiſſet enixa charitas, & in charitate illęſa Maieſtas. Dum verò ſtato Sabbati die literæ illæ iam conſignatæ tradendæ erant tabellario perferendæ, ab Oratore veniunt codicilli nunciantes.

„ *Lætiora Neapoli omnia ad concordiam in-*
„ *clinare.*

Id quod libenti animo acceptũ, & pleniùs creditum ab Innocentio qui propterea iuſſit literas illas retineri, & quas Orator renunciata animorum procliuitate ad eoſdem magis impellendos celeriùs, conſtantiùſque eliciturum ſe ſperauerat procedentes inhibuit. Vt poſt hac mirari deſinamus pharmacum idẽ ſanitatem alijs accelerare, cum non minùs referat quo quiſque ſtomacho illud recipiat, quam in rerum gerendarum cenſura noſſe

quo

quo eã dirigantur conſilio. Rem ipſam æſtimauerat Ognatus, quę faciliorem, certioremque exitum haud dubiè promittebat: ad arrogantiam Proregis reſpiciebat Innocentius eò promptiorem ad aliorum contemptũ, quò propiorem in viribus ſuis ſpem haberet. Exitus docuit Innocẽtium magna vſum prudentia; nam inſcius Orator commutatum de literis conſilium de omnibus Proregem reddiderat certiorem, quantaque Regiorum omniùm Romæ degentium approbatione, & conatu ſpes haud dubiè à S. Pontifice affulgeret Legati mittendi, cuius auctoritate Populus confidentior effectus quietem mallet. Quibus Prorex repetitis iam conditionibus ferocior reſpondet.

Nulla iam externa auctoritate opus eſſe; compoſitis per ſe rebus, præterquamquod Regio iuſſu non interueniẽte nunquam ſe commiſſurum, vt in tanta Neapolitanorum omnium, & Regnicolarum ſuſpenſione animorũ Summi Pontificis oſtentetur Maieſtas, in ſe procul dubio omnium oculos, animoſque conuerſura.

Quorum non ignarus ſummus Pontifex

in suscepto consilio magis semper, ac magis confirmabatur, spectatorque euadebat illius fabulæ, cui primæ actoris partes debebãtur, plausus quidẽ nõ recepturus, quos expectare potuisset Pontificię dignitatis Vindex, & in Regno Neapolitano contra rebelles non minus, quam supra Beneficiarios potestatis Assertor; sed quiete illa fruiturus, qua super omnia lætabatur, cui grauiores pro rerum exigentia curę exilium indixissent. Sed post Hispanicæ classis cum Austiraco in Neapolitanum sinum aduentum, & post auctam tantarum virium accessione Proregis confidentiam, quæ tandem naufragium fecerunt inter Sirtes despectissimæ plebeculæ atrocitate iniurię in rabiem actæ vsque ad implorandum Gallicum patrocinium; tum verò Ognatus, purpuratique Hispani quot quot erant in aula Summum Pontificem circumstare, orare seriò, ac deprecari nè res communes ad vltimã necessitatem redactas desereret.

Cum verò notissimus esset eius ab mouendis armis abhorrens animus, Vrbani tem-

pora

pora deteſtari propterea ſolitus, & ipſi ſatis armorum ducerent in accenſa erga Regias partes Nobilitate Neapolitana Legatum depoſcunt, gnarique Proregis nomen non vna de cauſa odioſum eſſe, eum affirmant à Prouinciȩ adminiſtratione omninò amouendũ, & nè promiſſorum inanium pretium prȩſẽs aucupare viderentur, quibus ſi vllus vnquã, minimè Innocentius capiebatur, hac lege petierunt, obtinueruntque non moturum ab Roma Legatum, niſi poſt Ducis de Arcos ab Neapoli diſceſſum. Placuit interim literas olim decretas mittere Alterio Internuncio per eum appoſitè reddendas commutato in Auſtriacum Prorege, quæ licet acceleratæ per expeditiſſimum Tabellarium, penetrare tamen ad Internuncium non potuere ante diem decimam tertiam mẽſis Nouembris circa meridiem, cum decima intendentibus ſe tenebris Roma miſſæ fuiſſent. Ijs receptis Alterius poſt impetratam ægrè armorũ ceſſationem quam breuiſſimam, ex adminiſtris ſuis præcipuum, qui à cauſis audiendis nomẽ habet, cũ honeſto comitatu allegat ad Agne-

ſium

ſium rogatum, vt horam, locumque condiceret, quibus Internuncius ipſe quæ habebat à Summo Pontifice mandata ederet, redderetque literas Populo datas. Ad quæ Agneſius non obſcurè increpita officij tarditate relaturum ſe ad Concilium reſpondet, deque communi omnium ſententia Internuncio reſponſurum. Vix ea protulerat cum duo deſpectiſſimæ conditionis armati, qui non magis corporibus veſtes, quam animis verecundiam omnem exuerant Agneſium interfati, non ſine minis, obiurgant recipere auſum pacis nuncios; inde ad Auditorem conuerſi in ipſum Summum Pontificem ſumma arrogantia inuehuntur, tamquam plus æquo Hiſpanis addictum, & in illorum gratiam ne preces quidem, quas Deus ipſe non reſpuit, audire voluiſſe ſubditorum Sanctæ Romanæ Eccleſię à periuris fideifragis oppreſſorum. Nec tota ex vano hęc quærimonia erat, ſed adeò certum non admiſſos à S. Pontifice eos, qui poſt Proregis hoſtilem inuaſionem à Populo miſſi fuerant, vt factum excuſent Aulici Pontificij hac narratione.

Exe-

Exeunti Cardinali Pancirolio consiliorum intimo nocte intempesta ex interiori S. Pontificis cubiculo, quem cubantem, cibũque de more appetentem reliquisset, transeuntique per aulam illam latiorem, quæ ab honoratioribus excubitoribus munus in ea obeuntibus nomen accipit, quod illi, quasi exautorati habent ab hastis infractis, obuium habuisse ex militibus illis quemdam monstrantem digito virum illic nobilem nuper ab Neapoli perhibentem, conuento sibi opus esse Summo Pontifice, Cardinalem verò pertęsum tum horæ, tum hominis importunitatem nihil moratum tacitum pertransisse.

Nec magis motũ eadem denunciatione mensę Pontificiæ Magistrum paulò post ingressum ad præbendum summo Pontifici ex munere cibum inscio sequutorum omnium, & cuiuscumque à Populo Neapolitano nũcij; Quæ tamen narratio nimis beneuolum requirit Auditorem, qui credat in aula omnium gnara, & nihil reticente sub Principe talium auidissimo nullam tantæ rei notitiam ad Summum Pontificem peruenisse, simul-

que

que virum illum ab Neapoli in id ipſum miſſum importunum adeò, & loquacem, vt nocte concubia cum excubitoribus de obtinendo ad S. Pontificem aditu ageret, nocte illa transacta vel obmutuiſſe, vel euanuiſſe. Verosimiliùs eſt S. Pontificem Innocentiũ certum aliorum aduerſa in ſui commodum non trahere, minus ſolicitum fuiſſe in incertum caſum auctoritatem Pontificiam dare ijs cõponendis cum aliorum lucro; non admiſiſſe propterea hominem, cuius poſtulata, ſiue probata, ſiue reiecta, ſiue dilata non niſi inuidiæ ipſum exponere poterãt vel Hiſpanorum, vel Populi Neapolitani, vel aulicorum, vel omnium, nec defuiſſe artes, quibus vel incuſſo ab Hiſpanis metu, qui clerico Luſitano non pepercisſent, vel oſtentata à Gallis propinquiore ſpe, qui occaſioni non erant defuturi, vel iactata Pontificia mora improuidus alias, auliciſque artibus inſuetus ab inſtituto deijceretur. Vt vt hæc ſe habuerint, circa quæ liberum ſit vnicuique pro vt libuerit opinari, certum eſt querela hac humuncionum illorũ diſcuſſos primos Internuncij co-

natus,

tus, qui non propterea deſtitit à mãdatis, ſed & Auſtriaco curauit Põtificias reddi per certum hominem literas, & per alium quemdã ex religioſa familia Populo ſuas, has non niſi ea receptas lege, nè Populus niſi volens ad aliquam reſponſionem reddendam intelligeretur obnoxius. Inter quæ Guiſius, qui nõ niſi tertio à tranſmiſſis illis literis die Romã diſceſſerat Neapolim appulit, cuius aduentus lætitia omne diſcuſſit literarum Pontificiarum negotium, deleuitque memoriam. Hinc factum (vt ad ea redeamus, à quibus diſceſſimus) vt cum longè ante perſpecta Regijs eſſet S. Pontificis voluntas, animiq; propenſio de Legato, certiuſq; cõfirmata Ognato ſucceſſore in illius ex Vrbe diſceſſu, vt eis liceret tanta auctoritate, licet aliena, ad ſui commodum pro libito vti, non vſuro tamen 111
Ognato, qui cum perſona ſtudia etiam Proregis induiſset, niſi quatenus neceſſitas exigiſſet. Ad quæ reſpiciebant verborum ambages relatæ, quibus confirmatio conuentorum ab Pontificia auctoritate Legati miniſterio concedebatur. Ad quod quidem mu- 112

nus pro dignitate obeundum destinatũ fuisse Bernardinum Cardinalem Spadam aula loquebatur, siue inter purpuratos Patres prudentia pręcipuum à S. Pontifice reuera delectum, seu veriùs tanto negotio parem, nec Hispanis ingratum, destinatum à fama, quæ
113 rarò errat dum eligit; sed nihil ęquè profuit Regię causę (vt exitus docuit) quã Ognati cautio in concessorum omnium calce rotundis expressa verbis, qua Austriacus promittebat quidem ipsa die decima sexta Martij seruaturum se illa omnia, hac tamen lege; si à
114 Populo vbi primum commodè posset eadem admitterentur, infraque illud tempus duodecim dies non excessurum, quo Roma Legatus aduenirit; iniquissimam enim putabat Ognatus Regiorum cõditionem, si Austriaco tãtis promissis obstricto liberum esset Po-
115 pulo differre sine fine promissum obsequiũ, & noua interim superaddere postulata transactorum securo. His igitur stabilitis, obsignatisque remittitur ad Populum Nicolaus Zecca retentis obsidibus, datisque ab Austriaco ipso humanissimis, & honorificentissimis

ſimis ad Vincentium, & Agneſium literis
pollicitationum plenis, quorum omniũ tan- 116
ta erat amplitudo, & beneficiẽtia, vt ijs obru-
tus Agneſius ipſe non haberet (qua erat in-
genij tarditate, ſtolida tantummodo ferocia
inſignis) quid ampliùs poſtularet; vrgenti-
bus præſertim Vincentio, cæteriſque, inter
quos præcipua erat opera Peppi Palũbi iam- 117
diù à Regijs empti; certus tamen ſe, ſpeſque
ſuas non concredere Hiſpanis, remque illam
omninò diſcutere in ſpeciem tãtiſper differt,
tempus petens ad ſtruendos modos traden-
dę Arcis, ſed (clam cæteris) per fidum ſibi
hominem ad Guiſium rem totam defert, qui 118
ea ſocordia agebat, vt cum de tanta re tracta-
retur, eaque iam in ore omnium eſſet, agita-
ta nimirũ inter plures conſcios, & ſuper qua
ierant ſępiùs, redierantque nuntij, datique
fuerant obſides, interque quãplurimos Prin- 119
ceps Rochæ palam concionatus fuiſſet, ipſe
nihil reſciuerit niſi ab Agneſio monitus; tũc
verò inopinato nuncio perculſus magis, quã
territus per Regiones Plebeiorum diſcurrẽs, 120
alta voce proditionem ſępiùs inclamans ma-

gna comitante armatorum caterua ad Mer-
catum vadit, ibique ſremente multitudine
rem totam aperit, à qua tum obtinuit, quod
antea dicebamus, vt vltra cohortem, quę ſub
121 Agneſio in Turri ad Mercatum excubabat,
alia adderetur Popularium dietim per ipſum
legenda, mutandaq; Pateſacta hac, & diſcuſ-
ſa coniuratione, non ſine ingenti plurium
122 periculo, Vincentij de Andrea inter primos,
quem poſtulatum ſępius ad necem latebræ
texere, haudquaquam fæliciorem exitum ha-
buere inſidiæ, quas ſauente Auſtriaco Dux
123 Montis Siluani cum Nobilibus pluribus, ijſdē
Pinto, & Vincentio adiutoribus in ipsū Gui-
ſium tamquam Tyrannidis manifeſtum ten-
debant, ipſo die Sanctiſſimę Nunciatæ ſacro,
magnaque celebritate feſtiuo in Eccleſia toto
ſpectante Populo perpetrandæ; nam rem
odoratus Guiſius iam cautior, capto, ſubdi-
124 toque tormentis Franciſco de Regina Cen-
turione, qui ducatorum ſex millium merce-
de facinus in ſe ſuſceperat, cuncta cognouit,
interque conſcios Marchionem de Monte
Siluano, Vincentium, & Pintum, quibus ad
Re-

Regios refugium fuit, licet Vincentius, dum 125
fugam cautiùs adornat, eiusque veniam ab
Austriaco quærit, & obtinet, in Ciuitate permanserit vsque ad ingressum armatorum, curare iussus ea, quæ in rem essent, vt mox
exponemus. Secum attulerat Ianuarius Pin- 126
tum, qui primus ad Regios transfugerat à
Principe Rochæ, Vincentio, cęterisque Regi apud Populum operam professis, vt cum
parum insidię procederent, aperta ageretur
vi, dimissoque nocte intempesta per S. Her- 127
metis Arcem milite, cicumductoq; ad Oriẽtaliorem Ciuitatis partem, Angelorum, &
S. Antonij inuaderentur suburbia aggressoribus obuia, habitata nimirum ab honestissimis
Popularium, qui ad primum Regiorum mi- 128
litum aduentum cum eis arma essent consociaturi, quibus iunctis facilè fore portam Sã- 129
cti Ianuarij obtinere negligentiùs custoditam,
veluti periculo remotissimam, per quam ex
Sancti Anielli area post expugnatam Albæ 130
portam ad interiora Ciuitatis, Mercatumq;
ipsum nullis munitionibus intersepta pateret 131
accessus, nec dubiã fore victoriam ingruenti- 132
bus

133 bus ex condicto eodem tẽpore Rochæ Principe, Vincentio Palumbo, cæterisque partibus fidis elatis Regijs vexillis, & pluribus simul partibus Regium inuocantibus nomen. In eas angustias coniectas res esse plurium
134 imprudentia cognoscebat Ognatus, vt in manifestum ruituræ essent exitium, ni eis audaci aliquo subueniretur facinore; nam super detrimenta, quę terra attulerant infæliciſsi-
135 ma Ducis de Arcos consilia, mari etiam Frãciscus Diazius Pimienta celsarum Hispanicarum nauium Summus Præfectus, in quibus vires quodammodò omnes totius classis repositæ erant, retineri vlla ratione non potuerat; ea erat facilitate Austriacus, quominus deserta cætera classe rebus Neapolitanis desperatis vela in Hyspanias daret, Ognatum aduentantem fugiens, cuius imperium horrebat; nec minori rebus in angustis iactura Io-
136 anettinus Auria Neapolitanarum triremiũ Propræfectus Prætoriam triremem rostratarum omniũ celeritate, & robore præstãtissimã turpiter amiserat, dum parũ monitus tristi aliorũ exemplo exscensione in terram

apud

apud Puteolos facta cum prõptissimis militũ, nautarũque; locũ, tempusq; prebuisset remigibus opitulantibus, ex fæce nautarũ quibusdã disrũpendi vincula, & ad libertatem pleniũs consequendam triremem ipsam ad littora infessa à Popularibus immittendi, perfrigendique. Infaustus sanè Regiarum Prætorianarum Ductor, cũ ante paucos annos Prętoriam aliam eius classis, quæ sub Patris Prę-fectura Genuæ hibernare solebat omnium, quæ tunc temporis in mari essent, firmissimam, instructissimãque maiori infortunio, nec minori imprudentia amisisset, dum ad littora Barchinonæ tẽpestate vexatus remos ineptissimè in mare proijci iussisset, coactus exinde desæuiente tempestate, vt euitaret naufragium vltrò se, Prætoriamque tradere Gallis. Quibus detrimentis attenuatæ adeò 137
vires Regiorum maritimę apud Neapolim erant, vt aduenienti è Gallia iustæ classi nulla ratione resisti posset. Nec spes maior in 138
diuturniore contrahendę hostilis classis mora poterat collocari, cum interim cępto iam uere expectari in horas possent expeditissimæ

mę è Prouincia Narbonẽsi Triremes; qui-
bus interclusò facillimè (quo solo vtebantur
ad commeatum Regii) mari fame cogeren-
tur ad deditionem; Nihil tamen in allatis per
139 Pintum temerè agendum ratus Ognatus as-
sumptis in Societatem Carolo Gatteo, &
Barone Vuattemuilio militaribus viris, cũ
Castrorũ summus Magister Dionisius Gus-
manius debilis pedibus labori tanto par non
esset, lustrauit, inspexitque diligentissimè
140 loca omnia, per quę si decerneretur expedi-
tio illa miles ducendus foret, omnibusque
exactissimè examinatis cognouit plurium
horarum itinere ante hostiũ stationes opus
omnino esse per aspera plerũque loca, ante-
quã ad destinata perueniri posset, quibus spa-
cium fore Popularibus insidendi ex eis op-
portuniora, intellectoque hostium consilio
longè faciliùs eis futurũ firmiori prępsidio mu-
141 nita Sancti Ianuarij porta quoscumque elu-
dere Regiorũ ab ea parte conatus; nec mino-
ra impedimenta in interioribus obuersaban-
tur, Portam Albam munitã per se munitissi-
mã esse, hinc Turri Antonij de Angelis non
longè

longè ſita, cui lorica iungebatur, inde munimentis ad S. Sebaſtiani, quorum expugnatio abſque muralibus præſertim machinis ferè impoſſibilis videbatur.

Sed quoniam de hiſce locis ſępiùs eſt facta, & iterum accuratior facienda eſt mentio, cũ hac parte potiſſimum, qua Præſidia Popularium firmiora erant, Ciuitas recepta ſit, nõ ingratum, credo, lectori erit, dicendis certè magnum lumen adijciet quampauciſſimis locorum illorum ſitus diligentiùs enarrare, quibuſuè vnũquodque ex eis teneretur præſidijs ſiue Popularium, ſiue Regiorum. Ciuitas vniuerſa (vt iam diximus) in duas diuiſa erat partes, ducta quadam ab Oriente in Occidentem Solem veluti linea, ità vt pars maior, & quæ plures, planioreſque occupat regiones in meridiem, & ad mare verſa à Plebe obtineretur, alia verò minor, & montoſior, quæ Aquilonaria ſpectat, in qua Palatium, & Arces Caſtri noui, & S. Hermetis ſunt à Regijs teneretur.

Partem vtramque mænia cingunt pluribus per interualla portis de more peruia,

 quas

nij, & Angelorũ præcipua ab honestissimis popularium habitata; intus verò nobilissimę panduntur vię splendidissimis ędibus frequẽtes portis ipsis cognomines. Sed & inter Cõstantinopolitanam, & S. Ianuarij opportunitate celebris est area satis patens, & elatior propè męnia ipsa, quæ à sacris ædibus Sancto Aniello dicatis nomen habet, planioraque, & frequentiora Vrbis loca sub iactum habet, ceruicibusque quodammodo imminet incolentium. Nec minus frequens ędibus splendidissimis pars illa est agri, quam inter Cõstãtinopolitanam, & S. Spiritus portas mænia excludunt, quandoquidem parte illa męnia nec rectà, nec arcuatim (vt muniendi ratio exigit, vel species postulat) portas illas iungunt, sed post S. Spiritus portam ab Aquilone in Austrum, tamquam Ciuitatem interseratura tendunt, & post non breuem tractũ, quasi pæniteret incæpti renouato ab Occidẽte in Orientẽ Solẽ cursu Cõstãtinopolitanę iungũtur. Hoc igitur agri triãgularis spatiũ mænibus exclusum fęlicissimi, & fertilissimi soli pecuniosi plures, ex ijs præcipuè, qui

nouis ex rebus aucti nouas figentes Neapoli sedes, parum de interioribus Ciuitatis vetustate conspectioribus erant soliciti splendidissimis ędibus, hortisque frequentauere, eò libentiùs, quò commodior inde ad Arcem S. Hermetis, & amęniora extra Ciuitatem loca, & liberior esset excursus, & facilior aditus; illud tamen habebant incommodi, vt inde in Palatium, seù Vicariam, aliaque celebriora Ciuitatis loca perueniri curru non posset, nisi longo per Cōstantinopolitanam portam capto circuitu. Cui quidem incōmodo subuenit Dux Albanus aperta de nouo porta in medio fermè męnium tractu illo, quo renouatum ab occasu in ortum solem cursum ab eis diximus, ex qua porta ad Ciuitatis interiora, & ferè dixerim medullam ipsam quam breuissimus patebat accessus, eamque portam Albam à suo nomine dixit. Hanc verò mænium partem, & cum męnibus portas omnes (dempta ea, quæ S. Spiritus dicitur firmo Hispanorum pręsidio insessa) Populares obtinebant, custodiebantq; negligentiùs fortasse cætera, quæ ab hoste remotiora videri pote-

poterant extra periculum, sed intensissima cura portam Albam, qua Ciuitati intima, & hosti proxima aduersus Regios conatus omnes, tamquã propugnaculo vtebantur, eamque nè dum firmauerant magno armatorũ, armorumque missilium omnis generis numero; sed insuper pluribus munitionibus, & quasi Castellis vndique sepserant, quæ portę ipsi tamquam arci loricatis aggeribus ad danda, recipiendaque commeantium auxiliorum subsidia aptissimis adiunxerant hac vsi locorum opportunitate; cum enim in illo ipso męnium tractu, in cuius medio sitã diximus portam Albam, ab Orientaliori sui parte frumenti horrea firmissimi operis antiquitùs structa essent, ab Occidentaliori verò horrea pariter oleorum, hęc intra; sed vtraque mænibus ipsis adherentia, vtraque pariter Castellorum in modum firmo armatorũ munierant pręsidio, sed omnium firmissimo meridiem versus vtebantur propugnaculo sacris Monialiũ ædibus S. Sebastiani, ex quibus vti vicinioribus Ignatianis ab Regijs, vt diximus, firmissimo insessis præsidio propiùs

erat

erat periculum. Has igitur ſacras ædes ſatis per ſe amplas, firmiſſimique operis pluribus additis munitionibus firmiores in caſtelli modum erexerant, portæque iunxerant ducto per earumdem viridarium aggere loricato: nec à Borea munimento carebat Porta Alba, quin occupata cum ampliſſimis ędibus excelſa Turri Antonij de Angelis non longè diſſita, eademque vallo, foſſaque munita, & portę iuncta, ne dum à quacũque ingruentiũ vi, & ab ea parte protegebatur, ſed pluribus collocatis in Turri maioribus ſclopetarijs Hiſpanorũ ſtàtionẽ in S. Spiritus porta propiùs ſita continenti ignitarũ pilarũ emiſſione infeſtam adeò proſtratis quãpluribus faciebãt, & infælicem, vulgò inter Regios milites ſtatio illa mortis ſtatio haberetur, & diceretur.

142 Quibus diligenter inſpectis facilè cognouit Ognatus ſi tempus daretur Guiſio ſupplendi ſubſidijs munitionum pręſidia, armatorũque acies inſtruendi, tum in S. Anielli Area, tum opportunioribus alijs in locis, quod tẽpus, & quidem commodiſſimum dandum erat circumducto ad oppugnationem per

aperta

aperta milite, deſperatã operam eſſe. Certus tamen tentare omnia, vtque ad Spinulã, præſcripſerat, non niſi accinctum & pugnãtem, tantam hoſti cedere Ciuitatem; poſtero die ijſdem comitatus militaribus viris, recognoſcit luſtratque oculis loca omnia hoſti viciniora, per quę pręcipue cuniculi in hoſtes agebantur oportunitate aquæ ductus, qui vniuerſam vt dicebamus permeat Ciuitatem; cognoſcitq; per vnum ex eis facili opere penetrari poſſe intra ſepta cænobij S. Sebaſtiani, ab hoſtibus inſeſſi, nec maiori impedimẽto ex horreis oleorum, quæ obtinebant Hiſpani milites duplicem aperiri poſſe aditum, per quos ne dum equitatus, ſed currulia etiã tormenta immitti poſſent in eiuſdem Cęnobij hortum, ad mænia vſque Ciuitatis pertinentem. Ratus propterea, licèt per hortũ illum firmiſſimum duxiſſent hoſtes aggerem 143
lorica & foſſa munitũ ſi ſubita, & valida impreſſione ea inuaderetur hoſtis parte, qua minùs timeret, ocupatiſque primo impetu ab interiori Ciuitatis parte munitionibus ad S. Sebaſtiani, poſſe priùs portam Albanã, & Con-

Constantinopolitanã expugnari, quàm hostis præsentiret, structaque facilè, & nemine obsistente ex veterano milite in S. Anielli Area firma acie, vniuersam inde obtineri Vrbem fauentibus cum Principe Rochæ, reliquisque Nobilibus togatorum turba, quorum armis, ut parum fidendum, ità profutura erant quamplurimum studia, nè posset
144 Plebs armata ad pertinaciùs repugnandum conglobari. Re secũ constituta ad Austriacũ se confert, & quæ vidisset, quęque statuisset aperit, facilèque assentientem ob animi magnitudinem ad ardua quæque gloriæ cu-
145 pidine. Tũ Ognatus; quem rumor de triremiũ Gallicarũ aduentu sollicitũ habebat, ne insessis ab hoste littoribus Ciuitati proximis, difficilior esset mari, quo solo vtebatur ad subuectiones cõmeatuũ, statueratq; propterea Nisitam præsidio aduersus aduenientes firmare per occasionem illã sententias militariũ virorũ de impressione per ipsum decreta audire voluit: dũque triremi ad Insulã vehitur, accersitis Melchiorre Borgia, Dionisio Guzmanio, Barone Vuattenuillio,

Carolo

Carolo Gatteo Marchione de Oliuito, Duce Saxi, Martino Galeano cum Lequia à secretis consilium aperit, sententias exquirit.
Cognoscunt omnes, fatenturque quanto in 146
periculo res versarentur, & ni ante Gallicarum triremium aduentũ subueniretur, (quas non absuturas diutiùs, & fama loquebatur, & suadebat ratio) res perditas haud dubiè esse; tantulis tamen viribus tantam rem aggredi dementiæ proximum, ea præsertim non negligenda cura quid facturi essent Populares intra Regiorum munimenta inclusi, vbi cognouissent misso in expeditionem milite præsidia munitionum longè imminuta, cũ apud eos serpere latiùs cæpisset cum rerum præsentium tędio libertatis dulce nomen.
Solus Guzmanius Summus Castrorum Magister Ognati sententiam amplexus est, cum 147
diceret.

Rebus in omnibus, arduis præsertim, optimum consilium esse, quod vnum, nec ad momenta rationum reuocanda, quæ necessitas cogit. Quas alias expectari copias, vel vnde? his ipsis vel recipiendum Regnum, vel deserendum,

, dum, satis multos fore si vincant, opidò paucos
, si vincantur. Nondum post tot experimenta
, didicimus ingentia prælia paruis manibus con-
, fici, magnorumq; exercituum victorias pauco-
, rum pugnantium virtutem esse. Difficilè est,
, fateor, arduas ad S. Sebastiani munitiones, &
, ad portam Albã propugnacula armatis insessa
, superscandere. Vbi sunt illæ nostrorum ma-
, nus non alio, quam pedum remigio per mare,
, nauibus etiam infidum in hostium Insulas bel-
, lum importantes, quæ nulla exigente necessita-
, te, solaque Martialis animi ostentatione traie-
, cto quatuor milliarium freto hostili classe inses-
, so, armis ferè vacuæ, superextantes aggeres ve-
, terano firmatos milite ex instabili, cæcoq; solo
, aquis obruto aggredi potuere? obruendæ omni-
, nò ipsæ ni citiùs tot simul mortis imagines su-
, perassent? Quam vereor, nè pulsa per nos om-
, ni apparatu bellico instructissimos semisomni,
, & imbelli plebecula ab mutationibus illis, ea-
, dem ipsa minuantur ad amoliendum victoriæ
, decus, quæ nunc ad illud impediendum extol-
148 *, luntur.*

Vuattenuillius ex aduerso, cui post Guz-
manium

manium magna erat intet militares auctoritas, non repugnabat ille quidem posse veteranorum virtute simul incumbentium Albanã, Constantinopolitanamque portas occupari, insiderique S. Anielli aream, sed in vlteriora progredi armatis plena, experientia edoctus temerarium ducebat, nullaque ratione ijs viribus assequenda. Marchio verò de Oliuito 149
omnium proximus Guzmanio adhærebat, ità tamen, vt non vltra limites Vuattenuillianos procedendum putaret: quorum sententias nihil moratus Ognatus consilium retinuit suum Guzmanij auctoritate confirmatus, quem longa militia clarum, & canitie ve- 150
nerandum audaciora prçferre cautis non ex vano colligebat, pluriumq; non semper meliorem eandem esse sententiam: constitutis igitur ad Nisitam rebus, firmatisque præsidio aduersus Gallicam triremium classem, nè sinus ille incustoditus securam præberet aduenienti stationem, prçcipuumque iecit, licet imprudens, futuræ fęlicitati fundamentum. O Fortuna quam meritò te Deam fa- 151
cimus, assiduisque sollicitamus votis, ni stulti

à Dei prouidētia ieiungamus! Armauit fruſtrà Niſitam contra Gallos Ognatus non aggreſſuros. Armata Niſita nihil tale cogitante Ognato magno cum fructu exarmat Neapolim, vt quam armatam Ognatus expugnare parabat, inermem prȩberet obtinendã fortuna. Quamobrē nec virtute minor Ognatus cōtra pugnaciſſimos tantũ facinus ſuſcepturus, nec minus Deo carus, quod omnia in virtute collocauiſſet; rarò namque ſoccordi-
152 bus fortuna fauit; cumque nullũ maiùs, nec præſentiùs horreret periculum, quam quod ex inutili paucorum dierũ mora imminebat, impreſſionem ad ſextã diem cæpti iam men-
153 ſis Aprilis decernit ante lucē, & quam maximis potuit copijs, dummodo præſidió non
154 nudarentur Caieta,& Caſtrum ad Mare, accerſitis ſuppleuit Vrbanas. Nobilitatemque præmonuit, vt cũ clientibus ſuis eſſent in procinctu, nec minori cura ea quȩ opus futura erant parando, parata recognoſcendo, locaq;
155 ſæpiùs ipſa, qua irrumpendũ erat inſpiciēdo; illud cauebat imprimis, nè in illa ante lucana
156 concurſatione, quã præ oculis, vti præſentem

tem

rem, semper habebat, sui sibi ipsis impedimento ad res gerendas essent, sed explicatis, pro vt locorũ angustiæ patiebantur, ordinibus, demãdata quisque munia suis fidens viribus, subsidijsq; aptè dispositis securiùs exequeretur; nec degentiũ in Ciuitate apud Populum neglecta est opera sępius per eos ipsos dies pollicitationibus excitata, Vincentij de 157
Andreis præsertim, cui eadẽ die quarta Aprilis literę dantur ab Austriaco, ab Ognato, ab Gregorio à secretis laudibus plenę testãtes in illius prudentia, virtute & erga Regem fide 158
omnia reposita esse, & cum literis commentariũ à Prorege eorum, quæ administranda ab omnibus essent, à Vincentio pręcipuè, cui in Austriaci etiã literis fusius iniunctum erat, 159
vt accepta ab arce maioris tormenti explosione tessera, quæ Regium militem iam ingressum hostilia munimenta esse sciret, conscenso equo cũ suis omnibus, quos ante mediam noctem cogere iubebatur rectà ad Vicariam 160
pergeret, eaque potitus, firmataque pręsidio per S. Laurentij viã Albanam portam versus venturo occurreret Turreculio, elatoque 161
vexillo

vexillo omniũ acclamatione concordi pacẽ, Regiſque nomen celebraret, nec ſecus vectigalia omnia, Galloſque deteſtaretur, ſed ad primum rei motũ tribus ignitis globulis per aera indicandum iubebantur habitatores ſuburbij Angelorum portam S. Ianuarij,ſubur-
162 bij Antoniani portam Capuanam occupare, portiſque præſidio firmatis aciem vtrique ex militari diſciplina explicare, illi aduerſus Cõſtantinopolitanam certiora expectaturi iuſſa Proregis, ante ipſam portã Capuanã;hi inhibituri Lauinarienſes, nè Guiſio addictiſſimi opem ferre poſſent, cæterarum Regionũ inquilini S. Euphemiæ, Vicarię Forcellæ, Cõciariæ, Mercati, Loreti, quibus parum fide-
163 bant Regij;iuſſi arma capere illi quidẽ, ſed ſua tueri, hoſtileſque aliorum conatus, & coitiones impedire, ijſdemque omnes acclamationibus pacem, Regiumque nomen frequentiſſimè celebrare, Proregem ipſum ex area S. Anielli præſtò fore omnibus laborantibus auxiliũ in tempore allaturũ; ſed præcipua demandabatur apud Populũ cura Carolo Con-
164 ſalonario ſacræ adſcripto Hieroſolimitanæ

familiæ

familię ad primum ignitorũ globulorũ signũ
accedendi propiùs cum suis ad Albanã portã,
continendique illius pręsidiarios, tum con-
clamando Pacis dulcissimum nomen, tum
seriò affirmando amica esse, quæ ingruerẽt
arma. Sed parum ad rerum summam hæc 165
iussa profuere, vel quia minùs virium, ani-
morumque esset inclusis ad ea perpetranda,
que iubebantur, vel quia non satis temporis
Ognatus cuiuscumque morę impatiens in-
dulsisset, vel quauis alia de causa, certum
est nulla popularium arma destinatis affuisse:
Nec intra illorum cessationem detrimentũ 166
stetit, perniciem rebus procedentibus ferè
attulit notitia ad rebelles perlata de impressio-
ne nocte instãtis diei dominicę ad Albę por-
tam per Regios facienda; quam propterea
portam adiecto trecentorum armatorum
pręsidio sub Carolo Lõgobardo, & Onuphrio 167
Pisacane accerrimis Guisij sectatoribus dili-
gentiùs firmauerunt; fama fuit Vincentium
de Andrea, qui Guisij vero odio amorem
Hispanicarum partium fingebat, quas non
minus odisset desiderio somniatæ libertatis,

rem

168 rem Popularibus suis aperuisse, cui famæ vt
adhærere non ausim nullo mihi certiori te-
stimonio comprobatæ, ità detrahere non
debeo moribus versutissimi capitis admodũ
consentaneæ; quorum omnium siue ignarus,
siue contemptor Ognatus cæpta acriùs vrge-
bat, & inclinato iam ad vesperam eodem
Dominico die, intendentibusque iam se illi-
169 us noctis tenebris, quibus nulla ei vnquam
clarior illuxit dies, cuncta longè ante proui-
170 sa lustrabat ipse, exigebatque ad iussa. Nec
vana fuit hominis diligentia, cum enim illa
apud omnes percrebuisset opinio, rem nimiã
agi nullius successus spe, & supra omnes ipso-
rum vires, negligentiùs cuncta administrata
reperit; inter præcipua verò, id quod illius
animum altè pupugit, cum per duas noctes
171 ante Emmanuelem Caraffam speculatum
misisset, cognoscendumque propiùs aggeris
ad S. Sebastiani altitudinem, qua ipsimet Em-
manueli peruadendum erat, ad cuius men-
suram scalas confici per otium iusserat, nec
scalę in promptu erant, nec plura alia, quæ
leuia licet, rebus perficiẽdis necessaria vices
induunt

induunt maximarum ; increpita igitur absq; 172
vlla acerbitate quorumdam negligentia, scalas illico ex vicinioribus ędibus afferri cum iussisset, ad altitudinem aggeris detruncari mandauit, cauitque diligentiùs pluribus datis exactoribus, vt cætera omnia quanto citiùs pararentur, regressusque in Palatiũ ęgrè ferens ab ijs, qui apud Austriacum erant sua consilia non probari ab eo precibus obtinuit, vt à cæna in illius interiori cubiculo accersitis denuò in concilium selectioribus ex integro de impressione decreta referretur, conuocatisque cũ Ognato ipso Borgia, Guzma- 173
nio, Vuattenuillio, Gregorioque à secretis, cum non deesset qui diceret eò res progressas, vt frustra iam de receptu ageretur, con- 174
tradixit.

Ognatus professus. In rebus serijs, magnique ponderis non magis inspiciendum esse quò, progressum sit, quam quò perueniendum, & satius longè esse malè cæpta consilia aliqua sistere cum iactura, quam inani perdere pertinacia.

Aggressus indè de tota re disserere inter 175
vltimã necessitatem, & proximam spem col-

Nnnn locatas

locatas res, adeò disertè ante omniũ oculos posuit, vt nullus illius terrori, huius fiduciæ
176 omnia cõmittenda non duceret, & Vuattenuillius ipse manus daret, eatenus dissentiens, vt censeret obtentis Albana, & Constantinopolitana portis in S. Anielli area sistenda arma, ex qua commodiùs data occasione ad in-
177 teriora sensim promouerentur, nam cũcta simul eodem amplecti tempore pluribus adductis rationibus opidò putabat temerariũ, dissentiente ab hac potissimũ posteriori parte
178 Ognato testato, nisi spe omnia simul consequendi quicquã se motorũ, cum valdè anceps consiliũ esset, an post insessa loca illa præsidijs essent retinenda, quibus modicę adeò copię dispergerentur, & ad aliud nihil essent profutura, nisi ad plures dubię fidei Populares continendos, alendosque in magna com-
179 meatuũ penuria. Dissentientes concordauit Ognatus ipse professus se statim post primam aciem in loco affuturũ, opportuniùsq; capturum in arena consiliũ. Qua ratione cunctorum suffragijs, & summa omniũ alacritate re constituta ad sua regreditur Ognatus, Neapoli-

politanosque Proceres reperit prestolantes, 180
quos euocauerat, eosque quam paucissimis, & grauissimis verbis hortatur.

Vt tot per eos in Regia causa exantlatis la-,
boribus, illa demum nocte Coronidem impone-,
rent, meminissentque in ipsorum manibus posi-,
tum esse Patriam ab impotenti Tirannide libe-,
randi, reddendique ei se, cæterosque Nobiles,
tandiù indignissimè extorres. Illa potissimum,
nocte virtute agendum, non nisi post hac de,
præmijs, deque honoribus pro vniuscuiusque,
merito repartiendis, se præsentem non defutu-,
rum beneuolum virtutis æstimatorem, anni-,
surumque, qua apud Regem pollebat auctori-,
tate, vt nullus desideraret munificentissimum,
meritorum quorumcumque retributorem; Vt,
verò re ipsa testaretur quantum ipse tribueret,
eorum fidei, virtutique statutum sibi inter eos,
in acie locum capere, eisdemq; præclarè de,
more Neapolitanæ Nobilitatis se gerentibus ne,
dum consilio, & auctoritate, sed manu etiam,
adesse.,

His, alijsque animatos dictis alacres ab se dimittit assignato inter Ignatianas ædes, & S.

Spiritus portam loco, in quo frequentes acie
cum clientibus ſuis inſtructa ipſum operirẽ-
tur, & ad reliqua conuerſus, quæ iuſſerat ni-
181 hil per ſe ipſum non recognouit, nihil non
inſpexit, ſed his peragendis (quod ei ingra-
182 tiſſimum accidit) plus temporis impenſum,
quam voluiſſet, vt quã paulò poſt noctis me-
dium decreuerat aggreſſionem, vix ea cæpe-
rit Cælo iam albeſcente, ingenti ſanè, & ſu-
pra quodcumque aliud fortunæ beneficio.
Quando quidem Niſitæ munimenta cæptis
valdè ſauiſſe obſeruauimus ſupra, & mox fu-
ſiùs dicemus, non caruere tamen Ognati in-
duſtria, qui volens, & prudens vtcumque
meruerit. Sed mora hæc paucarum horarũ
contra omnem illius voluntatem, & ſtudiũ
ſinum planè ipſum aperuit rei fęliciſſimè cõ-
183 ficiendæ; nam Pizacanius, Longobarduſque,
& qui cum eo ierant ad portam Albanam
vanam rati ſuſpicionem, qua inſomnes per
totam fere noctem in armis excubaſſent, lu-
ce appetente vigilia penè cõfecti domos quiſ-
que ſuas dilabuntur, eodem errore, nec me-
liore diſciplina imbutis ſtationarijs omnibus
ijſdem

ijſdem munitionibus addictis. Inde factum 184
vt arduæ, dubijque euentus concertationis ſi
tempore ſuo proceſſiſſent deſtinata, mora il-
la, ingrata licet, omnia complanauerit. Ag- 185
greſſionem de Guzmanij conſilio ſic ordina-
uit Ognatus. Primum agmen trecentorũ,
& octuaginta ſelectorum militum mixtim
Hiſpanorum, Italorum, & Belgarum ad ex-
citãdam æmulatione virtutem ducebat Em- 186
manuel Caraffa Tribunus militum, qui per-
foratis horreis olearijs, qua intra Ciuitatem
ad Regios ſpectant, illac irrueret in S. Seba-
ſtiani viridarium, ſuperatoque, & diſcuſſo
aggere ex ea parte vbi minus timebatur Alba-
nam portam adoriretur, eaque capta, firma-
taque præſidio areolam propè ſitam, in ca-
pite viæ Conſtantinopolitanæ, vbi antiquitus
res ad nauticam pertinentes adminiſtraban-
tur, nomenque Admirantatus adhuc retinẽ-
tem obtineret; eodemque tempore Marcus 187
Antonius Ianuarius, & ipſe militũ Tribunus
trecentis nonaginta eiuſdem generis militi-
bus paulò inferiùs Ignatianorum murũ per-
fringeret è regione S. Sebaſtiani, munitio-
neſque

nesque illas inuaderet, quibus superatis, firmatisque præsidio, complanatoque viridarij aggere per sacras illas ædes, angustumque vicum eis proximum ad eamdem areolam Admirantatus ascenderet, indèque ad insidendã
188 S. Anielli aream se conferret. Post Emmanuellem Caraffam ire iussus Didacus de Portugallia Gottifredo Castellerio comitãte Tribuni militum ambo, hic tamen munere functus. qui cum trecentis Hispanis vestigia Caraffæ legerent, & per Albæ portam, Areolamque Admirantatus, portamque Constãtinopolitanam, & S. Anielli Areã capto cir-
189 cuitu Guisianas ędes inuaderent, Guisio ipso vel capto, vel interempto, prosequentibus Turauillio equitatus Propræfecto cũ equiti-
190 bus centum vsque ad Guisij ędes, tum Nicolao de Bargas Legato summi Castrorum Magistri iusso ex areola Admirantatus cum Hispanis quinquaginta ad liberandum Ducẽ
191 Tursi, & Principem Auelli peruadere, Tum & Marchione Turrecusio, cum sua extraordinaria cohorte, & quinquaginta Hispanis Prouincia erat Vicariam occupare, occupatam

tam firmare præſidio, attributa etiam ſubſidiaria Neapolitanorum cohorte, quam Dux Siani ducebat, ſuccedente inter poſtremos 192
militum Tribuno Marchione de Pignaleca, duobus cum agminibus maiorum ſclopetariorũ ad ea prohibenda antecedentium incommoda, quę ex feneſtris, tectiſuè domorum timebantur. Poſtremum agmen claudere iubebatur Aloiſius de Menroi cum ſua Hiſpanorum legione, qui per complanata iã omnia ad S. Anielli aream progreſſus, certio- 193
ra ibi cum reliquis expectaret à Prorege mãdata. Nec plures deerant inter armatorum agmina foſſorum manipuli, qui ligonibus, bipalibuſque, alijſque huiuſce generis inſtru- 194
mentis inſtructi obuia quęque deijcerent, cõplanarentque, & qui omnium poſtremi palis, ſtraminibuſque onuſti ea ferrent ad muniendum opportunè, quæ poſtulaſſet ratio, 195
vel neceſſitas exegiſſet, moniti omnes nè retardarentur ijs, quæ forte ingruerent è feneſtris, tectiſuè, ſed pleno gradu ad ſua quiſque munia pergeret, & ſuper omnia vt non minus prompta manu portarent bel-

lum

196 lum, quam voce pacem, Pacē inclamantes
semper, nominique plaudentes identidem
Regio Hispaniarum cum Gallici nominis,
& vectigalium detestatione; Sed vltra mo-
nita, pæna etiam capitis sancitum est, nè quis
extra ordinem pugnaret, neuè quidpiam,
obuium licet, minimum raperet, nec atro-
197 citati pęnę mitior additus exactor, bini vi-
cenis quibusque militibus præpositi erant,
qui gestorum vniuscuisque testes, & Iudices
præsentem reposcerent à contumacibus pę-
nam; nec ipsi ab ea immunes, si muneri de-
198 essent, iussis maioribus Præfectis eadem se-
ueritate vti aduersus eos, qui demandatam
operam neglexissent. Optauisset Austriacus
pro ingenita benignitate, serioque admone-
bant Regiarū partium Proceres omnes, nō-
dum satis posita desperatione non posse ali-
ter plebem recipi, quam lenimento cōditio-
num: vt vna cum beatę pacis nomine aboli-
tio vectigalium omnium, & quę scripto pol-
licita ab Austriaco fuerant, rata, grataq; pu-
blicarentur ab omnibus: eademque Ioannes
Pinto acrius vrgebat quasi promissa: quibus
obsti-

obstitit magna cōstantia solus Ognatus, peruicitque, ne Regiæ dignitati, auctoritatique tam altum infligeretur vulnus. *Cum publica dicebat & Austriaci fides soluta sit tum præfiniti tēporis lapsu tū certius cessatione plebis, quæ nihil præstitisset eorū, quæ promiserat, longe ac longe satius fore, seruare integra omnia ad captandas rerum occasiones, quas fors tulisset, quam inani ostentatione lenitatis abijcere, nihil profutura si vincimur, multum obfutura si vicerimus.* His ità cōstitutis Ognatus, vt qui non tam suis viribus, quam boni- 199
tate causæ fideret, nec minus pius esset, quā prouidus, vt ostenderet vbi maximè spem tantæ rei conficiendæ repositam haberet, ad Dei numen implorandum primoribus in templum Iesuitarum coactis diuini Spiritus nomine inuocato, sacraque synaxi Christiana pietate celebrata, inde animosior, reique benè gerendę securus arduum supra hominum memoriam facinus aggressus est. Huius namque iussu, ductuque Legionarij mili- 200
tes duo ferè millia vltra quingentos alios ex Neapolitana Nobilitate, eiusdemq; clientibus

per dirutũ, tum ad olearia, tũ ad Ignatianos murũ paulò antè lucem irrupere: Raròaliàs minoribus copijs maiores res gestæ, minoriue prælio parta victoria maior, nec audacioribus cęptis fęlicior vnquam fortuna affulsit.
201 Absque vllo discrimine, aut pugna, absq; vllo ferè sanguine, absq; mora confecta sunt omnia, vt vis omnis tantummodò in speciem adhibita videretur, milesque immissus non ad domandam armis rebellium, perfidiam contumacem, sed ad recipiendum condictũ obsequium pacatorum. Vt facilè intelligamus quam bestijs indiscretam ad omnia Natura indidit vim, pedissequam eamdem, & & subsidiariam rationis, & consiliorum homini esse, brutorumque prorsus more agere eos, qui ex condicto ferro digladiantes inter se exortas dirimunt lites; nec propterea immeritò eadem vtramque armorum vi, sed consilio vsos longè diuerso, Proregem de
202 Arcos infamiam, Proregem verò Ognatum ingentem sibi gloriam comparasse. Captis igitur primo statim impetu, disiectisque aggeribus ad viridarium S. Sebastiani, eadem faci-

facilitate capta Albana porta per Caraffeum, hæc vna cum areola, locisq; adiacentibus ex iniuncto munere præsidio firmantur. Nec diù detinuere pręsidiarij earumdem sacrarũ ædium Ianuarium, loco licet, & numero tu- 203
tiores, cũ & ad beatum Pacis nomen efferatiora etiam corda molirentur, & ingruentibus, veteranis obsistere arduum esset, faciliore, pronioreq; Plebe (quã satietas milita- 204
rium laborum iam cęperat) ad ea splendido pacis nomini tribuenda, quæ timori veriùs intentatæ, & obuersantis antè oculos mortis tribuebat. Iam ad aream S. Anielli peruene- 205
rat Ognatus ipse cũ virium robore, dum Ianuarius sacras illas ædes ad S. Sebastianum firmabat præsidio, iam nunciabantur Gui- 206
sianæ ædes captæ cæsis aliquot Gallis præsidiarijs, nec à Guisio ipso timor vllus, qui aberat apud Pausilippum Nisitę expugnationi intentus. Firmauerat, vt diximus, Ognatus Hispanorum præsidio Nisitã inter alias opportunitates ad prohibendas à littoribus illis Gallorum triremes aptissimam, quod quidẽ Consilium Proregis non minus patuit, quã

res ipsa, quæ in ore totius Ciuitatis gereretur?
Nec dubia fuit ad illud præsidium deijciendũ
expeditio priùs ferè cæpta, quam decreta: die
207 secunda Aprilis muniuerat Ognatus, quarta
currulia tormenta, septem cum octingentis
armatis à Guisio præmittuntur Puteolos;
quinta post meridiem Guisius ipse subsequi-
tur Millonium, quem operi præposuerat, se-
cum ducens cum corporis stipatoribus octo-
ginta ferè, & Gallis ducentis, inter quos plu-
208 res Nobiles censebantur. Vbi ad locum per-
uenit Insulæ imminens Corolium dictũ tria
muralia tormenta Millonij monitu ibi collo-
cari iussit, dieque insequenti munitiones in
Insula Hispanorum verberari, non sine fru-
ctu cęptum disiecto inter cætera, & protur-
bato maiori tormento, quo ad loci defensio-
nem præcipuo vtebantur. Dumq; accersi-
tis ab Chiaia celocibus quindecim cũ Aloisio
209 Campania militum Tribuno, munitoque
scopulo inter continentem, & Insulam sito
Purgatorium appellato, quinquaginta maio-
rum sclopetariorum manipulo exscensionẽ
in Insulam parat, & ad prohibenda susidia
hosti-

hostibus maiora tormenta alia propè littus ad locum vbi dicitur Balineola locat. Certus interim adest nuncius ab Neapoli Hispanos ad 210
Albanam portam impressionem fecisse, quē nihil moratus ex insita audacia remisit iubēs, vt ingruentibus de more resisterent; sed alijs super alijs superuenientibus, qui captam Albanam portam, expugnatas ipsius ædes, Pro- 211
regem ipsum in Mercatu versari nunciabāt; tum demū fracta ferocia fugam respexit. Non sum nescius Millonium iactare solitum apud Hispanos fraude sua tractū Guisiū extra Ciuitatem ad Nisitanam expeditionem eo ipso die, quo præsenserat impressionem armorū per eos faciendam, vt sua in tanto successu merita exageraret; ego verò etiam nolenti gratiam perfidię facio, & quamuis reluctantem innocentem pronuncio redarguente mendacium ipsa temporum ratione. Cæpta 212
erat, nè dum decreta per Guisium Nisitana expeditio, antèquā Ognatus moneret Agnesium de impressione armorum facienda post mediam noctē insequentis diei. Qui igitur Millonius vel præscius futurorū eam potuit,

vel

vel nescius voluit iuuare proditionem? Sed omisso Millonio non semel falsò in obsequiũ,
213 dum Pausilippo Guisius fugit Austriacus cũ præcipua Nobilitate Neapolitana in horto S. Sebastiani aciẽ instruebat: Non enim suorum omnium consilium, & preces, minusque
214 auctoritas Ognati valuere, vt exitum rei Austriacus in Palatio expectaret, infra dignitatem Regij adolescentis ducentes eum tãto discrimini obiectare; Nam licet amicissimis, & honorificentissimis monitis tacitus acquiescere visus esset, tamen vt leonum catuli (exarmati licet vnguibus) cubilia dedignantur audito parentum rugitu ad prædas irruentium, non secus Austriacus indignum ratus se Regis filium domi inglorium desidere, dum pro Regia causa tot manus, & Prorex ipse in apertum adeò discrimen vltrò
216 se darent, per Gregorium à Secretis ab Ognato è Palatio exituro sæpiùs, enixiusque interpellato euicerat, vt in commilitium assumeretur; deductus propterea ab Ognato ad sacras Ignatianas ædes Neapolitana Nobilitate stipatus cunctis interfuit, progressoque ad S. Anielli

S. Anielli Ognato, ipse cum subsidiaria Neapolitanorum acie in horto S. Sebastiani substiterat. Ognatus interea, cui supra vota ipsa fluebãt omnia.quacũque etiã exemptus à Guisio cura, à cuius ferocia plura timebantur incommoda, si viarũ angustias, vt facilè poterat,armatis sepsisset, certus tantæ nõ deesse fortunæ Ianuarium iussit Sedile Nidi, viamq; 216
Reginę pręsidio maiorum sclopetariorum munire, firmissimamq; veteranorũ aciẽ ad S. Aniellũ explicatã paulatim militariter dissolui, & se sequi, Austriacũ verò à Sebastianeo 217
horto ad S. Aniellum succedere, ipse per viã ad S. Iannem in Carbonaria affluentibus passim, tũ ex Nobilitate,tũ ex Popularibus Neapolitanorũ agminibus, sed inermibus, Regi, Pacique faustis acclamationibus benè precantibus, progressus ad S. Ioãnis sacras ædes ob- 218
uiũ habuit Cardinalẽ Archiepiscopũ, quem affirmare possũ honorificentissimè ab Ognato admissum, nec secus ab accurrẽte Austriaco, à quo obuiã progressus Cardinalis dignio- 219
re cultus est loco inter ipsũ, & Ognatũ medius, quem locum memorant ij, quibus talia

curę

220 curæ, Granuellanũ Cardinalem in eadem Ciuitate cessisse olim Io: Austriaco Caroli Cæsaris filio, & Cardinalem Zapattam Philiberto Sabundię Hispanicarũ classiũ in Mediterraneo mari Summo Præfecto. Sed incertus
221 hæreo, an vltroneũ omninò fuerit hoc Cardinalis officium, pro vt liber aduentus, hilaris accessus, honorifica admissio, salutationum hinc indè, verborumque lenocinia vltroneum fuisse significant, & Cardinalis Archiepiscopi dignitas, ingentia eiusdem in Regia causa merita, officiosissimæ, & honorificentissimæ Austriaci ad eum literę promittebãt.
222 Sed Hispani Centurionis cùm maiorũ sclopetariorum manipulo sub primã armorum impressionẽ in Cardinalitias ędes irruptio; eiusdem Centurionis imperiosiores voces, quam rogantis, quibus euocabatur ad Austriacum Cardinalis, morę impatientia, quæ neque currum prędtolari, quo honestiùs veheretur eidem permissum à Centurione fuit; ipse denique Cardinalis pedes in publicũ priuato, ac donastico habitu egressus militũ custodia veriùs, quam comitatu septus, nec

nisi

nisi ad Sanctorum apostolorũ gregario equo à Vincentio Turauillio impositus, (vt acerbiora militum verba prætereã, quæ militari licentiæ facilè imputari possunt) non permittunt veritatem professo pro indubitato asserere, omninò liberum, & volũtarium fuisse Cardinalis ad Regios accessum. Veriùs crediderim perspectam vtique fuisse Austriaco, Ognatoq; Cardinalis virtutem, & in Regia causa constantiam, & merita, nec exiguã in eo collocatam habuisse spem Plebis reducendæ, apud quam plurimũ eũ valere non ignorabant: veruntamen eamdẽ ipsam apud Neapolitanam Plebem Cardinalis auctoritatem amicitiæ coniunctam cũ *Guisio*, factionique Barberinę calumnijs Ducis de Arcos famosis sollicitos eos non parum habuisse. Cumque intelligerent quantũ ponderis in alterutram partem Cardinalis propensio allatura esset, rem tantã in tutò collocare omninò voluisse; eius propterea fidei credidisse quidem, ità tamen, vt ne fallere quidem ille posset, si vellet, nec Cardinalem latuisse vim benigna inuitatione personatam, longè tamen conducibi- 223

 biliùs

liùs duxiſſe rebus ſuis eam diſſimulare, quam experiri. Quæ vbi vera ſint, pro vt tamquã
224 veroſimillima poſteris trado, tã Cardinalis, quam Ognatus vberrimum ſanè fructũ diſsimulationis tulere, hic dum ſub ſpecioſa inuitatione vim ſubſidiariam occultat, ille dum quaſi factorũ non intelligens verba ſectatur. Quandò quidem, & Cardinalis honorificentiſſima admiſſione, vt referebam, inuiolatam conſeruauit, auxitque Cardinalitiam dignitatem, & Ognatus promptiore vſus eſt opera Cardinalis, (vt mox referam) vtroq; nimirũ adnitente, quæ in ſpeciem oſtentauerat certioribus augmentis re cõprobare, Marci Tullij reiecta cenſura in diſputatione de officijs ſimulationem, & diſſimulationem omnem tollentis è vita; nam poſt congreſſum illum ſtatim Ognatus reliqua confecturus Auſtriacũ
225 cũ monuit, vt regreſſus in aream ad S. Aniellum aciei Neapolitanorum, quę ibi tenderat præſſet, ſeque, Regiamq; dignitatem in ſuo capite periclitantem collocaret in tuto, recuſantemq; Auſtriacũ dulcedine victorię captũ, quã fluentibus è ſententia rebus pręmanibus habere

habere ſentiebat, vicit tandem, & cedere loco cõpulit,quã molliſſimis verbis ad Imperiũ, quod à Rege ſummum habebat conuerſus, ſolatus abeuntem promiſſo, vbi primum ſalua ſublimitatis ſuæ dignitate poſſet, euocaturum ad ea peragenda, componendaq; , quæ Regis filium addecerent, Exin properus ad 226
interiora Ciuitatis conuerſus Ognatus Cardinalem vti pacis auctorem, & ſequeſtrẽ ſecum honorificentiſſimè ducẽs ad Guiſianas ædes in eadem vicinia S. Ioannis à Carbonaria ſitas peruenit, quas euerſas ſpoliataſque reperit ab Hiſpanis militibus, e quibus Centurio ſcrinium obtulit, in quo autografa literarum, & libellorum ad Guiſium delata cõtinebantur, quibus plurimorũ fortunę peruerti potuiſſent; ſed omnia Ognatus clariſſimorum virorũ exemplo in bellis Ciuilibus, nec minori conſilio comburi illico iuſſit, & combuſta fuere, ni verius ſit vt fama loquebatur Marchionem Turrecuſiũ ſubtraxiſſe non pauca, & ſeruauiſſe. Indeq; ad Vicariã progreditur, firmatamq; reperit, vt iuſſum fuerat ſuorum præſidio, ibique inter fauſtas

vndique affluentis multitudinis, benèq; precantis acclamationes custodias soluit omnes,
227 & quamuis nondũ veteranorum acies cõuenisset, nec deducere è Vicaria prȩsidium tutum esset ingenti auso viginti, vel paulo amplius
228 pliùs equitibus stipatus ad Mercatũ vadit, cũq; obuia quæcumque pacata offenderet, incidit ad Lauinarium in Populi delegatum, quem supplicem, & ad genua accedẽtem bono animo esse iussit, erectũque, & in equum impo-
229 situm ad maiorem Pacis, & concordiȩ ostentationem secũ esse voluit, tãdemq; prosequẽ-
230 tibus & applaudentibus cunctis in Mercatum peruenit, vbi nihil hostile apparuit præter Agnesium ipsum, & sex maioribus sclopis armatos cum atrocibus mandatis (quæ mox patuere) foribus maioris Turris superstãtes,
231 appellatusque illicò Agnesius de arce tradenda non renuit, sed per speciem stabiliendi ea, quæ ad pacem conducerent petijt, obtinuitq; vt Cardinalis solus arcem ingrederetur; dum
232 verò ille examinandis cum Cardinali conditionibus tradendæ arcis sedulò tempus terit; occasionem captans sæuissimi patrandi facinoris,

noris, Ognatus mora illa opportunissimè vsus Mercati aream structa in ea firmissima veteranorum acie insedit, sacrasq; Carmelitanorum Ædes, quæ ipsi imminent Arci va- 233
lido firmat præsidio. Tum confidentior alta voce interpellato Cardinali edicere iussit 234
Agnesio.

Aduenisse se flexo iam, obfirmatoq; in veniã animo, & sequutorum omnium abolitionem, ea præcipuè spe fretum Agnesium sæpè anteà pollicitum Arcem se vltrò traditurum, reportaturumq; quanta voluisset ob ingens meritum gratiæ, & opum ab Austriaco præmia; Cæterum si differret ille diutiùs, consensuique vniuersi Populi ad Regis obsequiũ redeuntis vnus obstaret, statim sibi, qui partam victoriã mora corrumpere nolit illum vt Regis, & Populi hostem pœnas simul cum Arce daturum.

Quę minæ Cardinalis monitis validiores apud Agnesium fuere, qui tamen vt voluntate, non metu ad officium redigi videretur professus se, Arcemq; in Proregis potestate 235
futurum, mitti tamen voluit priùs in Arcem Carolum Gatteũ inspecturum quãta sibi su-

per-

pereſſent ad repugnandũ ſubſidia, ſi vi agere-
tur; cum verò nec inter tot moras vſquam
appareret Auſtriacus, quem vnum præſtola-
236 batur truculentus Agneſius, venerationem
ſimulans apertè eum deſiderauit, cui decen-
tiùs, & honorificentiùs tamquam Regis filio
traderet Arcem, quæ poſtulata nec Cardina-
lis reijcere vti honeſta potuit, nec valuit O-
gnatus rubore tactus, nè decus illud Domini
filio præripere videretur. Interea, dum ce-
leri Nuncio accerſitus aduenit Auſtriacus, cũ
237 Cardinali Ognatus in Eccleſiã Carmelitano-
rum diuertit Populo refertam Pacem iterũ,
atq; iterum alternis cũ militum acie vocibus
inclamante, plaudenteque Regio Hiſpaniarũ
nomini, nemine penitùs in tanta paulò ante
238 efferatorum rebellium multitudine obſiſtẽ-
te, quam nullæ preces mollire, nullæ vires
frãgere potuiſſent, ſed prudentiſſimũ Ogna-
tis conſilium facili negotio, & molliuit, & fre-
239 git, qui precibus vti inferiùs dignitate Princi-
pis ratus erga ſubiectos, vi autem nimiũ ho-
ſtile, erga ſuos vim, lenitatemq; ſimul oſtẽ-
tauit, alteram omninò habituris ſpe certus
homi-

homines quos furoris, & licentiæ tantæ ſatias iam cæpiſſet, perpeſſarum verò, & imminentium calamitatum intelligentes, ſi optio concederetur haud dubiè quietem cũ ſecuritate, turbis cum periculo prę habituros. Cui 240
conſilio milites nequaquam deſuere, qui eam ſeruarent diſciplinam iuſſis Proregis addicti, vt in tanta rerum agitatione ſęuiendi, rapiendique opportunitate ex vniuerſo Populo nemini vim factam auditum fuerit, vſque adeò, vt cum è feneſtra quadam lineum pannum caſu excidiſſet in publicũ, è pertranſeuntibus 241
militibus vnus terra ſublatum, haſtilique impoſitum quæritanti mulierculæ porrexerit. Sed cur abſtinentiam cõmemoro atrocitate denunciationis exortam ab omnibus, cum vnius iniuſſa manſuetudo militaria facinora omnia, quæ vnquã contigerunt ſuperet vniuerſa. Dum militũ globus Pacem, vt iuſſus 242
erat, inclamans per Ciuitatem ad demandatum properat munus, in cuiuſdam viæ flexu Popularis quidam é porticu domus in prętereuntem Hiſpanum ſigniferum ſclopum intorquet, irrito tamen iactu, ad quem propinquę,

quę, & accerſitæ mortis trepidum conuerſus miles.

; *Quorſum inquit hoſtilia inter amicos, cæ-
, demque moliris importantibus Pacem?*

Mediumque amicè complexus inuiolatũ dimiſit. Quod facinus poſterorum omnium prædicatione digniſſimũ, cui collata vileſcũt, ſiue Cæſariani illius militis, qui truncis ambabus manibus, quibus hoſtilem ſcapham ad terram retinebat morſu apprehendit; ſiue Luſitani, qui deficientibus è plumbo glandibus excuſsis ſibi dentibus, fiſtulęque inſertis eiaculabatur in hoſtem; ſiue Auſtriacorum illorũ, qui nudi gladios ore ferentes, vt Germanorum cateruas obiectu fluminis fretas proſternerent Albin trannarunt; ſiue quęcumque alia maiorem in ſui admirationem rapuerunt antiquos. Illa namq; ex animi ferocia, vel viriũ confidentia inſanus belli eduxit furor, iuuitque fortuna; hoc verò ſola, & ſimpliciſsima, ſibiq; ſufficiens ratio peperit, & quam nè in pace quidem tuliſſet miles prouocationis atrocitatem, nè dum neglexit in ſumma armorum licentia, & vlciſcendi poteſtate,

testate, Sed obuia benignitate rependit, vt optatam à Duce suo, certioremque pararet è pacatis potiùs, quam ab oppressis victoriã. 243
Nec parum contulit ad retinendam in Populo quietem, cui fælicitas exitus haud dubiè debetur Principis Rochæ prouida cautio,qua vt quamplurimorum vitę consuleret ad primum armorum ingressum,per certos homines interfici iussit Matheum Amorosiũ audacia inter omnes Plebis ductores præcipuũ, 244
qui palam induto Hispanorum odio flagrantissimo ferebatur erga Guisium studio, nec dubium erat quin pro auctoritate, qua apud egenam eamdem,& armatam multitudinem pollebat magnas excitaturus esset, & dubij euentus turbas, ni oppressus opportunè fuisset. Aduenit intereà in Mercatum non diù 245
expectatus Austriacus, & ad Carmelitanas sacras ædes ad Ognatu m accessit, in quibus dũ læti de fęlici rerum successu intersunt sacro, trahuntq; cõsulto tempus, dum Agnesius de tradenda Arce deliberat, magnum fructum 246
pietatis tulere. Tergiuersabatur moras nectẽs vafer Agnesius, qui pessimũ facinus (vt po-

ſtea cognitũ eſt)immani animo tegens,id vnũ captabat, vt Auſtriacus, & Ognatus ſimul ad arcem aſcendentes pręberent ſe vnà transfigendos pluribus eodem tẽpore maiorũ ſclopoꝛum ictibus ab inſidẽtibus arcis fores, quibus mandatum fuerat impium miniſterium,
247 quorum interitu haud abſurdè coniectauerat ſceleſtus ille, perituram ſimul Regiam cauſã; Ognatus verò indignè ferens ſe à penè iam capto hoſte diutius ludificari precatus Auſtriacum ne tãtiſper in ſacris illis ædibus morari dedignaretur, Cardinalem vero ſecũ ducens veluti læſę ab Agneſio patientiæ teſtem foribus Arcis admoueri, & figi iuſſit effractoria duo ex ære fuſili mortaria, nuperrimũ in arcium excidium adinuentum, quod flos ille ingeniorum ſtrata Pyloclaſtrũ ſuo iure apellat vulgo petardum, quorum terrore Agneſius patefactis tandem portis fortunæ ceſſit, Arcemque tradidit, benignèque exceptus ab Ognato, & Cardinali ad Auſtriacũ adducit;
248 vbi prouolutus in genua depoſitis ad eius pedes male partæ poteſtatis inſignibus,ſe,arcẽque, & cũ arce cuncta in illius tradidit poteſtatem;

ſtatẽ; quare ingenti perſuſus gaudio Auſtriacus hilari fronte hominem benigniſſimè alleuatum à fide cõmendat, oſtentataque Regis Clementia, & liberalitate benè de ſe ſperare iuſsit. Dum, Ognatus firmiſsimo induƈto 249
Veteranorum Hiſpanorum in arcem preſidio, quo, & arcem ipſam, & illius ex plebe cuſtodes haberet in poteſtate poſtremam ponebat tantę rei manum vix ſibi credens tantam fælicitatem partam, quã longè ante ſpe 250
conceperat. Narrabat mihi Antonius à Cabrera Nobilis Hyſpanus vir non ſolum muneri par, quod geſsiſſe diximus apud Ognatum, ſed longè ſupra qui nunquã à Domini latere, dum hæc agerentur diſceſſerat, ſe rei nouitate attonitum dubitaſſe ſępius an vera eſſent, quę ante oculos habebat, an verius quę vigilans conſiliorum omnium particeps ſpe conceperat dormiens vt ſæpè fit, tamquã geſta ſomniaret; præſertim, dum poſt arcem receptam properare iuſſus in Palatium ad lætos tantæ rei nuncios dimittendos per Semitarum compendia à locorum gnaris duƈtus nihil non hoſtile rerum, & locorum facies

nihil contra non amicum viri, fęminæque; & pueri præseferrent. Viæ omnes, fossis imperuiæ, aggeribusq; obstructæ munitionibus infestæ, vt per eas transeunti sibi ad euadendũ sępius excendendum equo fuerit. Porticus, Atria, fæneſtrę, tecta domorum omnium fustibus, saxis, armis, & missilibus omnis generis instructa parataq; ad omnem propulsandã vim, vel per totius Ciuitatis excidiũ, ad quod expectandum paratos se gerere animos ij Ciues satis docent, qui contra hostiles conatus interiores etiam priuatorum munirẽt Ciuitatis domos. Horrido tamen illo, tristiq; apparatu tamquam ex dumis rosę nihil non lætum, nihil non faustum, fortunatumq; à cuiuscumque sexus, & ętatis ciuibus edebatur, qui abiectis armis, destitutisq; munitionibus certatim sibi occurrentes fęlicissimum gratulabantur ingressum, interque omnium lætissimas acclamationes ex illis angustijs educe-
251 bãt stupore defixum. Interea Cardinalis monitu, Austriacus, Ognatusque constitutis ad Mercatũ rebus ad Principem Ciuitatis Ecclesiam gratias Deo, cuius Numen præsentissi-

tiſſimũ ſenſerant, ſolemniùs relaturi pio Monitore in medium recepto, cuius latera honorificentiſſimè tegebant equos dirigunt;inter quę Ognatus Agneſium reſpicit, Vincẽtiumq;de Andreis cũ alijs pluribus documenta palam expedientes eorum, quę nouiſſimè cum Auſtriaco conueniſſent, ſuſpicatuſque id, quod erat conuentorum fidem exacturos, 252
quos longè antè conſilio præſumpſerat oratione monuit.

Deſinerent commemorare olim conuenta, quando pollicita Populi, quibus innitebantur, illa in irritum cecidiſſent omnia. Mentem induendam rebus conformem, quibus immutatis prætermittenda ea, quæ aliàs placuiſſent, nec ij receptis admittenda, quæ turbatis quietis deſiderium ſuaſiſſet; non permiſſurum ſe propterea, quidquam agi poſt hac de conditionibus cũ Auſtriaco, Auctorem tamen ſe apud eumdem futurum, vt integro obſequio Regi debito ea omnia indulgeret ſublimitas ſua & impetraret à Patre, quæ Ciuitati, ac Regi pariter addecerent.

Quibus obmutuere illi ſerò edocti longè diuer-

diuersam esse conditionem equi per campos vagi, & illius, qui frænum iam, sessoremque
253 admiserit. Inde exuta omni contumacia, & consiliorum communione Populares certare inter se obsequijs erga dominantes, eosdēq; prosequi cum cætera turba venerabūdi progredientes, tam quā in triumphum ad principem Ciuitatis Ecclesiam, qua in pompa & illud contigit nòn prætereundum ijs, qui in Aulis versati inania hæc cætèris omnibus an-
254 teponunt. Ad quædam peragenda diuertit Ognatus illicò rediturus nudato, quod tegebat, sinisteriori Cardinalis latere, quo factū, vt digniorem obtineret locum Austriacus latus nimirum dexteriùs Cardinalis, id quod diutiùs ille non tulit, sed non multum viæ
255 emensus Austriacum anteuertens, solumque deserens in ecclesiam progreditur per occasionem excipiendi honorificentiùs Augustissimū hospitem, & hac arte elusit (si ars fuit) artem, qua Ognatus concesso Cardinalem priuare voluerit, quasi receptis iam rebus dignitatis etiam retinendæ tenaciùs curam subiret, de qua ijs fluctuantibus minus solicitus

licitus fuiſſet. Certè obeunte in Principe Ecclesi a ſacra Pōtificalia munia, ad quę aduenerāt, Cardinali ſuus manſit locus, denegatus 256
tamē in reliquis adeò non diſſimulanter, vt nec permanens in Ciuitate, nec ab ea diſcedens Auſtriacus ſueta peregit erga Cardinalē viſitationum officia. Æſtimet inania hæc, & iudicio quiſque terminet ſuo, per me licet, ego peiùs licet hæc angue oderim, prętetire non debui moribus noſtri ſæculi inter memorata digniſſima recenſenda. Religioni intereſt nō prętetire ingenitam Auſtriaci pietatem, qui inter fauſtas totius Populi acclamationes deducente Cardinali, vniuerſoq; Nobilium cætu proſequēte Aurijs inter pręcipuos Auo, & Nepote, quos Rochæ Prin- 257
ceps primo ſtatim armorum ingreſſu cuſtodia exemerat, templum ingreſſus ſolemni gratiarum carmine ad Aram maximā prouolutus in genua ipſi Deo Optimo Maximo tantam victoriam fælicitatemque acceptam retulit: Indeque ad dicatum S. Ianuario ſacellum digreſſus ſumma veneratione Diui tutellaris reliquias adorauit, inſpexitque vna

cum

cum Ognato, qui ſuperuenerat: celebre per
258 vniuerſum Chriſtianum orbem miraculum,
dum ſacer beati Martiris concretus cruor ad
conſpectum ſacratioris truncati capitis mirè
liqueſcit, eiuſdemque patrocinio, cuius pręſentiſſimam apud Deum ſenſerat opem receptam commendauit Ciuitatem, Peractiſque piè precibus ab ſacris illis ædibus Auſtriacus tegente latus Ognato imperatore Scipio-
259 ne cõſpicuo in Palatium vſque præclariſſimum omnium, quæ vnquã viderit Romanum Capitolium, egerunt triumphum, in
quo perſtrepentium loco tubarũ ſæſtę mu-
260 lierum, puerorumq; acclamationes ingenti
gaudio omniũ animos replebant, proq; pegmatũ ſpeciebus, inſaniſq; arcuũ molibus ſpectaculo erãt diſiecti aggeres, obiceſq; viarum
261 hoſtilia vndique ſpirantia olim, & contumaciam in obſequium cõmutata. Nec imagines deerant, vel ſimulata priſcis triumphatoribus ſolita, ductiuè antè currũ captiui, ſed eò conſpectiora, quò certiùs res eędem per ſe ipſas, quã per effigies, & inania ſimulacra pandun-
262 tur. Vię illę per quas Auſtriacus hilari, & Im-
pera-

peratoria frõte equo ferebatur sublimis, Vrbs ipsa nobilissima, splendidissima Neapolis, quã peragrabat, ducebatur in triumphũ, vt nõ minus ipsa spectaculũ, quã spectatrix daret, simulq; reciperet sibi ipsi ingentis meriti locupletissimũ testimoniũ, quod non tacebat Populus ad vetus obsequium reuocatus vinculis deuinctus eò arctioribus, quò tenaciùs animis per resipiscentiã, quam corporibus per catenam homines vinciuntur. Sequebantur Guzmanius, Vuattemuillius, cæteriq; belli ductores, & cum eis plures longo ordine milites, non splendidis illi quidem armis, vestibusq; in Theatralem modum fulgentes, quinimò feruidi, sed Martiali aspectu, ac militari ferocia planè admirandi. Sed indiscretas inter Populi acclamationes non deerant iusti gestarũ rerum æstimatores Ognati virtutem fęlicitatemque seponentes, extollentesque, & qui in vno Ognato triumphale decus suis momentis interpretarentur. *Vnum illum hominem, suo vnius consilio aduersantibus cæteris deploratas res restituisse, vniusq; mensis interuallo, conuersione ne optata quidem antea ab alijs cõtumaciam amplissimæ Ciuitatis commutasse,* 263

*in obsequium, bellum atrox, & intestinum in
' concordiā & pacem, luctus, & funera in plau-
' sus, & congratulationes, armisq; solummodo
' ostentatis, vna vero lenitate vsum victoriā præ-
' clarissimam fructuosissimamq; sine sāguine re-
' portasse; celebraretur igitur meritis laudibus
' plausibusq; Regis filius, sub cuius fælicissimis
' auspicijs tantæ res fuissent confectæ: certe verū
' triumphum Ognatum agere.* Inter has voces,
' ingēti omniū gaudio tandē in Palatiū ventū.
264 Quod quidē gaudiū cumulauit Guisij infortuniū, qui accepto tristi nuncio eorum, quæ Neapoli gesta erant, Mercatūq; ipsum Regijs armis teneri, tūc introspexit audaciæ suæ vanitatē, qua spe vorauerat Neapolitanum Regnū, seròq; damnauit, assumptisq;, quos circa se habebat, equitibus haud pluribus quadraginta fugæ se dedit per mōtosa, Apprutiū cogitans præsidijs Gallicis insessum, vel ibi ruentes res suas, si qua ratione posset restituturus, vel tutū inde in Pōtificias ditiones habiturus
265 effugium. Sed dū ad S. Mariæ agri Capuani equos, hominesq; à lōga reficit defatigatione ab Aloisio Poderico sūmo Regiarū copiarum Ductore ex inopinato opprimitur, qui ad lę-
tum

tùm ab Neapoli nunciũ cum equitatu Capua egressus, tantæ rei haudquaquã intentus victoriam absoluit capto Duce Partium Guisio.

Atq; in hunc modũ seditio illa, qua Neapolitanus Populus cõcepit, fouitq; Monteregio, ac Medinio Proregibus, quamq; peperit sub Duce de Arcos, eiusdẽq; timiditas aluit, sęuitia verò præcipitem in defectionem egit, Hispanorum militũ patientia Neapolitanæ Nobilitatis fides, Archiepiscopi Cardinalis Philomarini pietas, & studiũ, Comitis de Ognates, & Villæ Medinæ Proregis consiliũ, & virtus Ioannis Austriaci Philippi Regis Hispaniarũ filij auspiciorũ fęlicitas absq; vllius ferè sãguine sedauere. Restituta ad pristinum Regis obsequiũ opulentissima, splendidissimaq; Ciuitate Neapolis, & cum Ciuitate Regno vniuerso, non minus prompto sectatore dum illa furit, quam imitatore dum resipiscit.

Hęc Ego Raphael de Turri Genuensis cõmentabar septuagenarius in meo Suburbano ad Quartũ anno à Deo nato Millesimo Sexcẽtesimo Quadragesimo nono, Mense Septembri, ad maiorem Dei Gloriam, cultumq; asserendum Diuinæ Prouidentię Sanctiorẽ.

DETESTATIO CONTROVERSIARVM IVRISDICTIONALIVM.

INTER ECCLESIASTICAM, AC POLITICAM POTESTATEM,

Iussu auctoris omissa, quæ cadebat sub numero 98. Libri Quarti, fol. 321. aliena diligentia separatim edita, non ingrata Lectori.

AVctor Naturæ Deus humanæ societati cõtinendę, & instruendę œconomicã, & Politicam indidit potestatem, quibus familię singulę à senioribus, & ab horũ consensu Populi regerentur: in erorem verò lapsos cohibebat ipse, vel pręstantioribus cohibẽdos mãdabat; sed vt in ægro corpore remedia expellunt quidẽ morbos, sed frequentiùs vsurpata vires imminuunt, & tandẽ resoluunt; nõ secùs corrupti hominũ mores frequenti curatione faciliores ad lapsũ deprauauere naturã: quã Deus, vt repararet, mirabiliori, quàm quo produxerat modo, in se assumptã Diuinitate donauit: donatę, potestatem illã primæuam, qua stat humanũ genus, nequaquã dẽpsit; sed sanctissimo ore suo sępiùs cõp robatã; alte-

alterius de nouo institutę reddidit auctiorē. Hanc verò sacrā, & ab ipso institutā potestatem, triplici nixā (veluti alterius cęli incognito aliàs sydere) altioris ordinis virtute, præceptis decē instructam, septemq; munitā sacramentis ordinauit, & super Petri, incōcussa Petra stabiliuit Ecclesię militātis appellatione nobilissimā, propositoq; ijs omnibus, qui in ea, per sacrū regenerationis lauacrum, nomina dantes, pia monita sectarentur; beatitatis præmio: tanta repente morū immutatio est facta, vt pueri etiam puellęq; tenerę, contēptis vitæ illecebris omnibus; ipsoq; sæuo mortis horrore; ea passim ederent pietatis, constantię, & fortitudinis documenta, quæ robustior ętas; in ætates singulas; vix semel, aut iterum retroactis temporibus, edidisset. Hinc Sanctarum Virginum, Martyrum, & Confessorum ignota aliàs nomina claruere, & humana societas inter Christianos securior, lætiorque, florescere. Huius S. Matris Ecclesię, dum apud nos moderator idem extitit, summus qui auctor fuerat Christus Dominus; & in recessu, vicarias Diuinitatis partes; Petro, & Sacro Apostolorum cætui, eiusdēq;

suc-

ſucceſſoribus, ritè deſignandis; demandauit: eamq; illis contulit poteſtatem, quam terra vix capit ab occludendis, recludẽdiſque, beatitatis, poſt obitum, poſtibus, clauium appellatione notiſſimam. O beata tempora, & verè aurea! quibus in Chriſtiano Orbe humana ſocietas, politica poteſtate ſubnixa, eccleſiaſtica verò renouata, auctior vigebat; & ad ſacra iuſtè procuranda, ordinandaſque leges quibus Deus ritè coleretur; Clericorũ Sacer Ordo, de more à Sãctis Apoſtolis per manus tradito, vniuerſus incumbebat: regendiſque in pace Populis Imperatores, ac Reges, cæterique rerum publicarũ adminiſtratores toti erant. Vtriq; ad ſua queque peragenda munia ſatis in ſe præſidij habentes (à ſapientiſſimo nimirum, & potentiſſimo inſtructi Cõditore;) certatim ſibi inuicem opem ferebãt, vt fæliciùs flueret apud cunctos, & ſanctius finiret apud ſingulos optata hominum ſocietas. Hinc Coſtãtini Magni, Iuſtiniani, Theodoſij, & aliorum Cæſarum pro Religione, & contra impietatem decreta, & leges; non ex directione Politicæ poteſtatis, ſed ex Sanctorum Patrũ præſcripto. Hinc Gregorij Ma-

ximi,

ximi, pluriumq; Summorum Pontificum, erga Imperatores; de Politica administratione pia monita: non ad eos vi potestatis Ecclesię coercendos; sed sanctitate doctrinę instruendos, fouendosque. Hinc mutua inter vtramque potestatem charitas, & quę charitatem consequitur beneficentia; cum Sacri Ecclesiæ Antistites, & Clericalis ordinis venerabiles conuentus, quæ sui iuris erant, nō rarò auctoritati Imperatorum, & Regū vltrò permitterent: ne reseruata quidem quandoque Summi Romani Pontificis electione. Hi verò liberiori vsi potestate, post exemptas Ecclesias, & Ecclesiasticos omnes cum rebus suis, ab illa politica facultate, quę, in adigendis hominibus ad ius suum vnicuique tribuendū; sita; iurisdictio dicitur; & post permissum eisdem arbitrium circa plura, quæ ad exercendam Christianam pietatem spectare visa sūt: omne genus liberalitatis in eosdem effuderunt, & optimè collocarunt, latifundia, Oppida, Ciuitates, Prefecturas, Prouincias, Regna: ex quo factum, vt pleriq; Ecclesiarum Antistites, & inter præcipuos Primus Romamanus Pontifex Baculo Pastorali regium iun-

iunxerit Sceptrum; & cum clauium potestate, potestatem Politicam , intra suę ditionis terminos; iunctam habebat; & quam optimo exerceat iure. Inter quæ subit Diuina venerari consilia: quibus Deus ipse Ecclesiæ suæ Auctor, & Princeps, cum naturę Vniuersæ Conditor esset, & Dominus; professus Regnum suum non esse de hoc Mundo, vitam in summa paupertate abiectissimè duxerit; nec diuersa pręceperit sectatoribus suis, quibus nec duas tunicas habere permisit. Nihilominus post elapsas ætates plures, Vicarium suum, Petri illius successorem, qui nudo pede, lacera veste, cæno obsitus per Romanæ Vrbis compita despectissimè cursitabat; triplici diademate radiantem, Purpuratis cinctum, milite stipatum, summo cum imperio in eadem vrbe regnare voluerit. Certè, vt pro indubitato habendum est, Ecclesię suę id visum expedire; ita arduum est, & supra humani ingenij vires rimari vnde tanta rerum commutatio. Nisi fortè; cum tardi sint homines ad interpretandam in veste sordida maiestatem, Apostolico muneri parem; faciles autem eam, ex dominatione, & opibus

æſtimandam; ideo Politicam Eccleſiaſticæ permiſiſſe poteſtatem dicendum ſit, vt debitæ exponeret venerationi: non ſecùs, ac ipſe Deus religioſiùs, frequentiùſque; ſe coli ſentit in templis, auro, gemmiſq; radiantibus. Sed quo nam tandem Dei conſilio, hæc ab hominibus Eccleſiaſticæ poteſtati accreuerint additamenta; quæ non ſemper, non eadem, nec apud omnes ſacrorum Antiſtites adſuere. Certè, vt ad conciliandam venerationem aptiſſima, nec vlla ex parte inſtitutioni diuinę repugnantia; nihil prorſus huius ſanctitati detraxerint: cum tamen ſublunaria, & terrena ſint, & ab hominum moribus profecta nemini mirum videri debet, ſi terream ſecum traxere naturã, & quas naturam terream conſequuntur affectiones. Quæ vt nihil obſtent ſanctiſſimis viris, quominus vtraque vſi Poteſtate, in dominatione, & opibus ita verſentur; vt numquam deſerant animo Apoſtolicam Eccleſię ingenitam paupertatẽ, demiſſionemq; vſque adeò, vt Sanctiſſimus idem, & potentiſſimus Sacrorum Princeps, in illo ſuo ſupremæ Maieſtatis faſtigio, non

dedignatur se seruum seruorum Dei, quasi ex formula nuncupare.

Inficiari tamen nemo poterit, quæ quotidianus arguit vsus, & luctuosissimi rerũ testãtur euentus. His humanis additamẽtis, Christiani Orbis quietem sæpiùs interturbatam, dissensiones ortas, seditiones excitatas, & ex seditionibus in pluribus ex Nobilissimis Christiani Orbis plagis; ne dum illa eadem penitus interuersa fuisse: sed (quod numquã satis pro dignitate detestari quisquam poterit) primæuam illam, & à Deo ipso inditam potestatem Ecclesiasticam nefariè eliminatam. Quis enim recordari sine lacrymis potest Lutheri ambitionem, Caluini malitiam non aliundè, quam ex his additamentis, impetu capto, ad impietatis metas peruenisse, afflatuque pestifero Septentrionalis plagę Prouincias pręcipuas, in quibus pietas olim floruerat; adeò infecisse, vt nihil Christianitatis præter inane nomen reliquum fecerunt! vt eam veneni vim, quæ ab altera Potestate in alteram, natura, auctore, munere, pręstãtia, & toto verè Cœlo dissitam, tam facilè,

tanta

tanta edita ſtrage ſerpere potuit, cognoſcamus, & aduerſemur. Quam ſanè malè cognoſcere, & aduerſari videri poſſunt ij, qui in excitandis, fouendis, exercendis inter Politicam poteſtatem, & eam, quæ Eccleſiaſticę poteſtati addita fuit; controuerſijs toti ſunt. Quorum, calamitate temporum, non leuis eſt numerus; cum inde ad dignitates, & opes, quibus inhiant, non paucis patuerit aditus: quibus procliue fuit, aſſumpto arrogãtiſſimè partium patrocinio, rem, inter ſalebras Sacrorum Canonum, legumq; Imperialium non rarò implicitam: pro vt partibus conducibilius viſum fuerit, trahere: tanta plerumq; contentione, vt à ſententia ipſorum diſſidẽtes arguere quidem non dubitent, tamquam Maieſtatis reos: & legere eſt apud non neminem, ſcientiarum omnium rudem, & quem vix prudens aliquis ad literarum elementa edocenda pueris ſuis aſſumpſiſſet, certiora iuris ſtabilimenta, & maiorum noſtrorum placita, in dubium reuocata, eaq; frigidiſſimis ratiunculis ſuis violata, & non rarò imprudentiſſimè lacerata conuitijs. Quorũ

quidē petulantia, repressa licet sæpius ab vtraque Potestate, interdicto huius argumenti librorū plurium vsu, ne dū perdurat; sed perniciosiùs semper iustitiæ simul, ac concordiæ insultat. Cum apud Tribunalia, vel partium fauore, vel inertia vtentium; nulla magis valeat, quā horum Pseudodoctorū auctoritas. Quarè non aliundè præsentior imminet nostris hisce tēporibus in Italia, Hispaniaq; vtriq; potestati calamitas. Quibus in Prouincijs, vt miserentis Dei beneficio, sanctior perseuerat de potestatibus ipsis concordia, ita cū illibata seruentur, quæ, antiquitùs detracta Politicæ, ad maius vtriusq; stabilimentū; addita fuere Ecclesiasticæ potestati; cāpum aperiunt nebulonibus istis, per has inanes, & de leuissimis plerumq; rebus; contentiones, & in nihilum profuturas opes sibi, ac dignitates, vniuersæ autem Reipublicę Christianę, perniciem machinari. His autem, eorumdemq; fautoribus quid imprecer? nihil certè peius, quam, vt illorū praua ignorantia, horū prępostera ambitio, cunctis pateat; omnibus autem, & quibuscunq; siue Ecclesiastica, siue Politica prædi-

ditis

ditis poteſtate(quos ęquè veneror,illos verò etiã colo) innoteſcat:leuiſſimè in vtriuſq; certam perniciem diſputari. Id quod ex ipſo conatu exequendi iuris cõtrouerſi experiendo cognoſcent. Dũ Eccleſiaſticus, quos rebelles putat, ſacris interdicit ijs, quæ, vel cũ vitæ diſcrimine, & ſanguinis effuſione apud barbaras gentes, Chriſtianitatis Oſores; euulgare ſtuduerunt Sanctiſſimi illi, à quibus tantã habent poteſtatem. Politicus verò, quos abuti contumacius poteſtate culpat, bonis, mulctatos, extorres eſſe iubet; quos præmijs, & honoribus cultos, & tanquã cœlo demiſſos, in ſubſidium, & ſtabilimentũ periclitantis Reip. expetierunt maiores ſui, & ratio ſemper eadẽ firmiſſimũ eſſe pręſidium demõſtrat. Nemo eat inficias, ſublunaria omnia ex diuina ordinatione Politicæ poteſtati fuiſſe ſubiecta: Eccleſiaſticæ verò cęleſtia. Sed idem Deus inter terram, & aquam ſuos limites poſuit, qui tamen non obſtitere humanę induſtriæ, quominus ingentes fluuij per medias immitterẽt Ciuitates. Quod factum meritò extollit Regius vates carmine illo.

Flu-

Fluminis impetus lætificat Ciuitatem. Sterilia nimirum fœcundat, ſordes abſtergit, peregrina aduehit, Ciuitatemque ipſam rerum omniũ aſſluentia nobilitat. Modus tamẽ diligentiſſimè ſeruandus eſt, ne vel ob aggeres incuſtoditos, vel ob aggeſtam in alueo materiem, amnis exundet (quo vitio, ipſe Tiber Regnator, non ſemel periculum adijt, ne pauperior flueret) cuius quidem exundationis infortunio, non minus lęditur terra, aquis merſa, quam ipſa, quę mergit in paludes putreſcens; vt, ſi mentem ei ſicut hominibus Deus dediſſet: nihil magis auerſatura ſit, quã eluuionis ex quacumq; cauſa periculum; nihilq; accuratiùs iunctis curatura viribus, quã vt robuſtiſſimi, & impenetrabiles ſint aggeres; alueus autem quàm purgatiſſimus: tantũ abeſt, vt terra admiſſum in ſinu ſuo alueum tentaret replere; aqua verò fixos ſibi terminos tranſilire.

FINIS.

SENTENTIÆ
Selectiores.

IN *Imperijs magnis: necessitas sæpe postulat, consilium flagitat semper arma tractari lib. p. nu. 46.*

Monstrosum esset ex monstro aliã quam monstruosam prolem gigni lib. 1. nu. 79.

Vsque adeò exemplo peccatur, vt capta plerunq; à volentibus, latantibusq; non sine fructu, ab inuitis, volentibusq; cum pernicie peragantur lib. 1. nu. 127.

Ineluctabilis rerũ interitus, quibus alendis eo cibo opus est, quo præsentissimam trahantur ad necem lib. 1. nu. 192.

Rerum opportunitates, sine discrimine praui, vel honesti captare, vtilitateq; solo fructu non causis metiri perniciosum lib. 1. nu. 192.

Facilius humanum animum occupat cõfidentia; quo magis ex insperato locum deserit timor lib 1. nu. 242.

Populus sine nobilitate cadauer truncato capite esse; contradicente vero nobilitate ne cadauer quidem lib. 2. nu. 9.

Vt non equi omnes, ità nec Populi eodem fræno reguntur lib. 2. num. 9.

Errare eos, qui putent pecuniam ex siccis tenuiorum hominum fortunis exprimi; inde deceptos, quod humorem ex cõpressa spongia fluentem, ex proximo attractum, aridis illius imputent venis lib. 3 nu. 9.

Non eundem doloris sensum afferunt mala expectata, quẽ præsentia & quæ ratio anteuertere raro suadet, præsens necessitas semper cogit; multitudinem præsertim apud quã, quo minus ratio valet, eò valentior impatientia dominatur lib. 2. num 18.

Salua Republica fidei læsæ facilè subueniri potest; quam eadem perdita, frustrà seruaueris l. 2. num. 23.

Monstrosi prorsus generis Animal est Cupiditas cuius fames cibo non tollitur, sed augetur lib. 2 num. 27.

Rationes priuatorum semper obfuerunt Publicis semper officient lib. 2. nu. 30.

Nihil periculi à nitrati pulueris sulfurei granis inuicem disgre-

§ gre-

Iura-

meri-

Excursus varij, quos Narratio ipsa vt absolutior esset exposcere visa est.

De

CON-

CONCIONES DIRECTAE.

OBLIQVÆ.

✠

Ad

Ognat.

INDEX RERVM
omnium locupletiſſimus.

A

uer-

✠ 2 nus

✠✠†

roga-

tur

rerum

✱†††

Mus-

dedi-

nelli

nestiores

&

✠††† Pa-

na

Q

R

lega-

Tulia-

FINIS.

Err.	*Corr.*
16. 5. aula	Aulam.
26. fin: cōditionibus	collationibus
30. 8. tum ea	tum eæ
36. 7. Architalatus	Architalaſſus
45. 18. obſeruatæ	obuerſatæ
91. 15. conuerſo pę-nitus	conuerſę, res pęnitus
108.11. hæc interim	hæc inter
117.11 alata	elata
121. *6.* corepturoſq;	corrupturoſque
127. impunitionis	impunitati
129.14. terram	terræ
168.13. vtilitate	vilitate
171.11. Aretinus	Antinus
176.22. Conſiliarij	Conſiliarijs
196. *9* ocilisq;	oſculiſque
198. 2. edita	edicta
202.14. papirij	papiri
208 2. ipſis	ipſos
161.21. miſſis	iuſſis
218. 3. rectractare	retrectare
221.13. lege	Rege
222.20. omitendo	omitendum
241.11. intea	inter
251. 6 arrogātiſſima	arrogantiſſimè
274. 9. deferenda	defendenda
23. recuperatorē	reciperatorem
278.19. incitamentis	imitamentis
280. fin. oppoſito	appoſito
287. 23. promiſcuū	promiſcuam
299.12. conſequētes	conquerentes
301 19 væ	vt
305. 5. præſtituros	præſtituros
16. differenda	deferenda
306.13. Principis	Marchionis
308.15. amātiſſimos	amariſſimos
313.14. ſuffectura	ſuffecturo
328. 8. conuerſum	concurſum
335.27. poſt verbum noſſent	[adde] paucos exequivelle,quę iuncti poſſent
336. *9.* inducerentur	inducerentur
11. imputantur	imputentur
340. 1. die	diem
344.19. cum	non
352.18. dominatio-nibus	dominantibus
353. *9.* tuſnum	uſum

Err.	*Corr.*
355. vlt. reruendum	ſeruandum
19. lacreſio	loceſio
358. vlt. Populo	Populi
362.22.	
363.18. ſe	e
372.3. dijcit	diſicit
373.9. ottiendo	ochendo
376. vlt. lætis	læſis
379. 2. vix	vis
383.27. apparent	appareant
385. 1. interpretari	interpretati
387.18. octauiano	Octauio
20. Gaſparo	Ioſepho
388. 5. acceſcere	acceſſere
7. Dynſio	*Dyoniſio*
11. ſequano	ſequero
393.14. tranſgreſſurū	tranſgreſſura.
15. eandea	eaſdem
196. 7. calamitatum	calamitatem
11. eluſitque	diſcuſſitque
12. iuuriæ	iniuriæ
407. 7. ignauanum	ingenuarum
fo: corum	coram
23. et	vt
414.21. aſſumptus	aſſumpto
418.11. Populo	paulo
419. 4. cutitu	conatus
421.11. ludificāduin	ludificandum
426.13. quęricuerant	quæſicrant
435. 2. mirius	minis
444. 6. inteſtæ	infectæ
449. Cagaraga	ſagaraga
459. 8. ortas	add. exerce-bat
463. 8. vnico	vno
466.12. dum	delendum
476.13. ligones	lingones
477.19. perſeuerant	perſeuerent
496. 2. prætorem	Prætoriam
517.12. vigentes	vergentes
517.22. multitudinē	multitudine
519. 1. ruiturus	ruituros
528.23. terente	tenentem
531.22. fuſcaldo	Tonſardo
537.13. Ioannes	Aloiſius
539.17. Cornus	Coruinus
541.14. condicto	cum dicto
546.22. additionis	addictionis

Err.	*Corr.*	*Err.*	*Corr.*
547. 6. male	malo	8. D.i	Duce
551. 5. quasi	et quasi	618.23. alijs	add· mortema-- lijs
552. 9. viri	vti		
560.17. cæptis	cepti	629. l.6. Pintum	Pintò
562. 3. quia, quia	quà quà	637.17. intra	add: extra illa
556.14. hostibus	hostibusque	638.16. infelicem	add: vt
20. iuris	viris	642.20. mutationib'	munitionibus
567.13. euasit	add: infelicissi-mus	645.17. explosione	explosionis
		ibi. quæ	qua
570. 6. Legina	Leguia	655. 4. Pignella	Pignalua
575.18. Alcinæ	Aluinæ	19. opportunæ	oportuna
20. Branchino	Brinchino	558.19. Vtramq;	vtrunque
578. 6. iattura	iactata	668 9. accedentem	accidentem
580.14. minima	nimirum	671. 7. seruarent	seruarunt
582.22. semper	add: rerum	16. exortam	extortam
583. 9. maximeq;	maximoque	674. 3. ascendentes	accedentes
586.12. obstrengere-tur	add: eorum	16. strata	Strada
		21. adducit	adducitur
18. Legnia	Leguia	678.12. voluerit	add: honore
688.10. exculta	exercita	680. 9 imperatore	imperatorio
20. vtrique	vtranque	20. simulata	simulacra
ibi. sectarentur	testarentur	681.15. feruidi	ferè nudi
592. 2. triremium	triennium	683. 4. qua	quam
596. 5. admonentur	admonetur	688. 3. habeat	habeat
599.14. isse	esse	691. fin. impruden-tissimè	impudentissimè
603.14. apparerne	appetente		
604. 1. regna	add· omnia	694.16. fit	fint
610. 1. Georgij	Gregorij		

40